P. D. THO.

DEL BENE,

CLERICI REGVL.

MARVBIENSIS.

Sacræ Theologiæ Professoris, Examinatoris, S. Officij Qualificatoris in Vrbe, aliarumq; Sacrarum Congregat. Consultoris.

TRACTATVS MORALES.

CVM DVPLICI INDICE AMPLISSIMO; tum rerum, verborum, & sententiarum, tum Sectionum, Dubitationum, & Tractatuum omnium.



AVENIONE,

Sumptibus GVILLELMI HALLE'.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

M. DC. LVII.

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO NOSTRO ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX.

QVo maximè tempore, BEATISSIME PATER, Romana de Summo sacrorum Principe deligendo Comitia haberentur, in his ego de Christiani officij, ac conscientiæ momentis Commentarijs partim lucubrandis, partim secundis curis, atque attentiore iudicij lima expoliendis, ac suo ordine digerendis assiduus versabar: adeò vt cum adgubernante deinde vrnam Numine, prona Augustorum Patrum suffragatione, ac tanto cum Populi Quiritium plausu consalutatus ipse es publicus Christiani Orbis Pater, Deique in terris Vicarius; tum demum aduerterim ego suis illos iam esse numeris absolutos, atque ad vmbilicum perductos. Igitur inter grauissimas illas de Te, Tuaque magnitudine consultationes, ac veluti inter ipsa Principatus Tui cunabula efformatum, enatumque hoc qualecumque opus cum sit, iure, ac fato quodam Tuum esse, ac deberi Tibi, nemo profectò non videt. Et quando ceu grande, atque Augustum sydus eius affulsisti natalibus, hinc illi ingenitus quidam impetus, ac beata temeritas, qua sistere se Sanctitati tuæ audet: itàvt quamuis addita fronti maiestas, ac fusa vultu diuinitas terreat; sequi nihilominus genium, ac ferri vi quadam, timori, venerationique immixtum ad beatissimos pedes Tuos cogatur. Quæ quidem ingenerata Operi propensio, cùm & auctorem etiam Operis trahat, propellatque non equidem ijsdem ipsis vigilijs meis amplitudinem, lucémque aliundè quæsiuerim, quàm ab inclyti Nominis Alexandro, à Te nempè, qui non modò terrarum; Cœlique fascibus, ac dignitate sacrorum, sed doctrinarum etiam splendore mortalium

ã ij

Summus cùm sis, afflare scriptorum meorum monumentis eruditionem, certè eruditionis opinionem, ac famam potes. Quis enim vnquam persuaserit sibi, opus illud non aliqua melioris notæ doctrina delibutum, quod sapientissimo, eruditissimóque Pontifici nuncupatur? aut quæ demum Commentaria non illicò auctori suo ingenij famam conciliauerint, quæ in sui clientelam Supremus Religionis perindè, ac litterarum Antistes semel acceperit? Ità est, Beatissimè Pater, cœteri quidem mortalium literarios aliorum labores fouent, Tu insuper nonnihil ijs doctrinæ inspergis, ac veluti inuris: suo illi patrocinio viros doctos complectuntur, Tu facis: Euoluunt illi per otium lucubrationes, ac perlegunt, Tu peracri tuo iudicio laudem etiam addis, ac expolis. Et verò in sapientiæ spatia semel ingressus, quæ non indè studia longè capacissima mens Tua hausit? Naturæ fines prætervectus, atque in ipsa admissus adyta diuinitatis, cœlestes eas disciplinas incredibili vi pectoris arripuisti: quarum subinde præsidio in ipsa nouatorum monstra exacuere ingenium facile fuit. Et Romæ quidem ceu profligari Ianseniana deliramenta sine Tuo supercilio, ac telo nequirent; visus ipse inter paucos portenta illa opinionum ad orthodoxæ veritatis lancem expendere: tùm mulctare dicta, exagitare, præscribere. Quid si grandia hæc, & serias suis etiam illigas, innectísque amœnitatibus? Rarus hic quidem nexus, ac mixtura literarum. In Te vno Tuæque in Museo mentis grauissimas disciplinas exhilarari Poëtarum elegantijs cernimus. Fœderata hic nempè cum Musis seuerior Pallas, atque ità sese mutuo complectuntur, vt diceres profectò, aut abiecta hanc ægide, canere ad lyræ modos; aut illas ad aquæ lenè caput sacræ Philosophari. Iam verò cum hoc scientiarum, atque artium pulcherrimarum apparatu, si reliquam tuarum virtutum pompam explicem, quantum huic operi ab hac laudum excelsissimarum commemoratione accedet dignitatis, ac lucis? Quæ rudimentum virtutis est, proseminata animo indoles, admiranda in te quidem: quid aura ipsa virtutum seges, labore, & cultu maturior? Quæ populares, quæ Principum laudes sunt, summas, medias, priuatas, publicas; quæ cultum Numinis, quæ hominum commoda respiciunt æquè ad miraculum excoluisti. Hinc singularis ea animi religio, quæ regnandi artes consecrat; moderatio, quæ mentis celsitudinem adauget; acrimonia, ac zelus, quem oris comitas, ac clementia diluit; parsimonia, quam nobilitat magnificentia. Quid pronam subleuēda mortalium calamitati munificentiam memorem? Quid vim mentis, Orbis infulis, ac curis parem, fortunæ magnitudini non imparem. Quod si peregrinari stylum contingat,

quæ non huc illuc ſparſa virtutum veſtigia cum admiratione, ac plauſu releget? Quantum Melitenſis religio vigilijs Tuis, ac Zelo debet, In circumpadana Italia quæ non edidiſti æquitatis, integritatis, ſapientiæ documenta? Quæ non expedis ad Rheni tractum difficillimarum momenta rerum Monaſterienſi Conuentui; quæ non acceſſit à Tui præſentia exiſtimatio, à conſilio pondus; à grauitate maturitas? Romam cui nihil ferè magnum, poſtliminio ſi redis, in omnium oculis, ac laude verſaris. Accedit hic merenti purpura, ac ſimul ornandæ Purpuræ noua curarum ſeges. Non quies magnæ menti, non otium datur, neque in conſiliorum partem vtcumque vocatis, ſed viſa tuis incumbere ceruicibus ſumma rerum; His nempè gradibus ad proximum cœlo verticem eniteris: ſic Pontificum proludis imperio, quod tandem concentus famæ, populorum fauor, Aulæ iudicium, vota Patrum, conſilium Numinis detulit. Porrò quod in hoc Tui Principatus exordio publica nondum deferbuit gratulatio; hoc etiam nomine Sanctitati Tuæ labores hoſce meos addicere, conſilium fuit nempè vt & ipſe, quem honeſtare aliquando beneuolentia Tua, cum eſſes in Purpura, viſus es, in communi hac Orbis lætitia animi obſequium mei teſtatus; intimè gratularer, non Tibi ſummam dignitatem, qua fulges; ſed Te ſummæ dignitati, quam ornas. Qua quidem obſequentiſſimi, ac ſummæ geſtientis animi teſtificatione ominatus item Chriſtianæ Reipub. felicitatem, fauſtitatem, illud poſtremo ex animo; ac prolixius voueo, vt quos ipſe annos Imperio, ac ſapientia Tua facis aureos, eoſdem ad commune Romanæ rei incrementum diuturnos Numen velit. Romæ

Beatitudinis veſtræ.

HVMILLIMVS SERVVS

THOMAS DEL BENE, Cler. Reg.

APPROBATIONES.

HOc opus, cui titulus, *Tractatus Morales*, *R. P. D. Thomæ Del Bene*, diligenter perlegimus, & nihil in eo animaduertimus à pietate, vel à fide dissonum; dignum proinde censemus, quod in communem vsum, & studiosis vtilitatem, & ipsius Authoris laudem singularem, quam primùm in lucem edatur. Datum Romæ die 26. Iunij 1655.

D. CAIETANVS GAVINBERTVS, S. T. P.
& Procurator Generalis.

D. ALPHONSVS BESVTIVS, S. T. P.

D. BONIFACIVS ALLIARDVS, Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

TRactatus Morales, *à R. P. D. Thoma Del Bene*, Conscripti & à duobus ex nostris Theologis, quibus id commisimus, recogniti, & approbati, vt Typis mandentur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has litteras nostra manu subscriptas, & solito nostro sigillo munitas damus. Romæ in ædibus Sancti Syluestri Montis Quirinalis, die 27. Iunij 1655.

D. BONIFACIVS ALLIARDVS, Cler. Regul. Præposit. Gen.

D. NICOLAVS DE LINO, Secret.

EGo infra scriptus de Mandato Reuerendissimi Patris Raymundi Capisucchi, sacri Palatij Magistri, perlegi opus inscriptum, *Tractatus Morales*, *Authore Adm. R. P. Thoma Del Bene*, *Clerico Regulari Congregationis Theatinorum Theologo*, nihilque in eo à me inuentum est, quod doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ consentaneum non sit; immò omnia mira cum eruditione, tum pietate refertissima, vt certè in vtroque foro versantibus Respublica litteraria gratulari possit accessionem tantam: quapropter typis mandare in publicam omnium vtilitatem opus dignum existimo. Datum ex Ædibus Sanctæ Dorotheæ Vrbis 4. Kal. Augusti 1655.

IOANNES ANTONIVS BRVTIVS, I. V. Artium, & Sac. Theologiæ Doctor, Stæ. Dorotheæ Vrbis Rector.

IVssa capessens Reuerendissimi P. F. RAYMVNDI CAPISVCCHI, Ord. Præd. S. A. Palatij Magistri, *Tractatus Morales R. A. D. Thomæ Del Bene, Clerici Regularis, Sacræ Theologiæ Professoris, Examinatoris, S. Officij Qualificatoris in Vrbe, aliarumque Sacrarum Congregationum Consultoris* auida manu versaui Pulcherrimam Domum sapientiæ cum Cicerone 2. offic. reperi benè, & ratione constructam; omni eruditionis supellectili adornatam, omnique carentem caligine Ortodoxam Fidem, sacros Canones, summorum Pontificum sanctiones, ac optimas morum Regulas denigrante. Huius ergo sapientissimi Auctoris verè Gemini, vtpotè Angelici Doctoris nomen possidentis, ac illius cœlestem doctrinam ebibentis, aliam prolem (alia enim, præter multas priores, scholastica Theologia iam nuper omnium applausu est edita) dignissimam typis ad omnium profectum dijudico. Dùm autem de illius Beatissimo Patriarcha Caietano miraculorum gloria coruscante turbarum Orbis nunc personat Elogio; Benè omnia fecit, & surdos audire, & mutos loqui: de ipso eximio Auctore cum scriba proferant sapientes sententiam; Benè Magister in veritate dixisti, scripsisti, &c. Romæ sic censeo è Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam 2. Februarij 1656.

F. CLEMENS BLASIVS BALNEARIENSIS, Ord. Præd. S. T. Magister, & eiusdem in Collegio Romano D. Thomæ Aquinatis Professor.

EGo IOANNES BAPTISTA CAMY, Congregationis Patrum Doctrinæ Christianæ Clericus Regularis, & eiusdem Congregationis Procurator Generalis Theologus, & vtriusque Iuris Doctor Tolosanus fidem facio ac testor me, *Tractatus istos Morales, R. P. D. Thomæ Del Bene, Clerici Regularis Marubiensis, Sacræ Theologiæ Professoris, &c.* non semel tantum legisse, sed & in Indice Libri efformando sæpè sæpius euoluisse, & in annotandis Typographorum erratis,quæ non pauca certe, & plura quam fuisset in votis, ob varios & plerumque mutatos Typographiæ Correctores, irrepserunt, emendatu quidem facillima viro illius artis perito, multoties perlegisse, & auctoris genium, tum in scribendo, tum in hisce rebus Moralibus & Theologicis acute pertractandis, tum in enodandis quæstionum multarum difficultatibus, & dubijs multis subtiliter resoluendis, eximium valdè suspexisse, itavt, demiratus huiusmodi operis penuarium non solum typis, & luce publica dignum, sed vti dignâ Religiosi viri sapientiâ adeò spectabile, vt alijs plerisque multis prælucere possit, euulgandum, & apud posteros non tantum Italos sed & Gallos Germanos & Hispanos, auctoris nomen illustre, & famam funeri superstitem celebraturos, transmittendum censuerim, iudicauerim. Datum Auenione, sexto Kalendas Octobris, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo.

CAMY, Procurator Generalis Congregationis Patrum Doctrinæ Christianæ in Gallia.

IMprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. A. ODDVS, Vicesgerens.

IMPRIMATVR, F. RAYMVNDVS CAPISVCCHIVS, Ord. Præd. Sacri Palatij Magister



TOTIVS OPERIS ELENCHVS.



INDEX



INDEX TRACTATVVM, DVBITATIONVM, ET Sectionum.

TRACTATVS I.

De Conſcientia Errante.

TRACTATVS II.

De Conſcientia opinante, ſeu de Opinione.

SECTIO. I.

Dubitationis resolutio.

TRACTATVS III.

De Conscientia Dubia.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

TRACTATVS IV.

De Conscientia scrupulosa.

TRACTATVS V.

De Radice restitutionis, aliarumque obligationum, & pœnarum vt excommunicationis & irregularitatis ex delicto.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.



TRACTATVS I.

DE CONSCIENTIA ERRANTE.

DVBITATIO I.

Quid ſit Conſcientia, & quotuplex?

SVMMARIVM.

1. *Conſcientia eſt dictamen rationis iudicans aliquid eſſe ſequendum vel fugiendum.*
2. *Conſcientia eſt actus intellectus, non quicumque; ſed iudicatiuus, quo intellectus indicat quid debeat voluntas fugere, quid amplecti.*
3. *Conſcientia quatenus ſe extendit ad opera præſentia, ea vel accuſando tanquã malè facta, dicitur habere remorſum, vel commendando tanquam benè facta, & dicitur habere bonum teſtimonium.*
4. *Conſcientia, quæ verſatur circa agenda vel inſtantia, vel futura dictando tanquam honeſta agenda ſint, & quæ tanquam turpia fugienda dicitur iudicium practicum.*
5. *Conſcientia alia dicitur conſulens, ſeu ſuadens, alia præcipiens, ſeu prohibens. Vide ibi exempla horum.*
6. *Conſcientia multiplex eſt, ſcilicet certa, errans, opinatiua, dubia, & ſcrupuloſa.*
7. *Conſcientia certa eſt iudicium certum ſaltem moraliter, nempè de quo prudenter dubitari non poteſt.*
8. *Conſcientia ſi nitatur auctoritate Dei, certitudinem omnem habet, & dicitur fides diuina, ſi auctoritate humana iuxta varios gradus dicitur fides humana.*
9. *Conſcientia errans eſt quæ proponit ſequendum vel fugiendum quod reuera non eſt.*
10. *Conſcientia opinatiua eſt iudicium infirmum ſeu non certum alicuius partis cum formidine partis oppoſitæ.*
11. *Conſcientia dubia eſt, cum non valet intellectus ſe in alteram partem inclinare, ſed anceps eſt.*
12. *Suſpicio dicitur quando intellectus anceps eſt, ſe magis tamen inflectit ad vnam partem quam ad aliam, ſed illi non aſſentitur.*
13. *Conſcientia ſcrupuloſa eſt apprehenſio ex leuibus rationibus orta quæ iudicium certum vel opinatiuum oppoſitæ partis non excludit.*
14. *Conſcientia dubia, & ſcrupuloſa non eſt propriè conſcientia, cum non ſit iudicium, & dictamen rationis.*
15. *Conſcientia, ſeu iudicium ſumi poteſt in genere, vel in ſpecie, ſeu eſt ſpeculatiua, vel practica.*
16. *Conſcientia ſpeculatiua eſt quæ in communi dictat aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum; practica vero quæ hic & nunc dictat aliquid eſſe in ſpecie, & in particulari faciendum, vel fugiendum.*
17. *Conſcientia practica ſecundum communem DD. ſententiam ſtat in oppoſitum cum iudicio ſpeculatiuo certo de aliqua veritate.*
18. *Vide ibi exempla adducta, & quomodo iudicium ſpeciale non ſit contrarium indicio generali.*
19. *Iudicium practicum, & in particulari, eſt quod præcipuè regulat actiones & ſequi tenemur.*



Eſpondetur, & Dico primò. 1
Conſcientia eſt dictamen rationis, iudicans, aliquid eſſe ſequendum, vel fugiendum. Sic Doctores communiter infra citandi.

Dixi eſſe *dictamen rationis*; 2
quia eſt actus intellectus non quicumque, ſed iudicatiuus, quo intellectus iudicat, quid debeat voluntas fugere, quid amplecti. Vide S. Tho. 1. *p. q.* 79. *art.* 13. S. Antonin. *p.* 1.

tit. 3. *cap.* 9. & 10. & Gabr. *quæst. vnica art.* 2. *concluſ.* 5.

3 Aduerte tamen hîc, quod conſcientia partim ſe extendit ad opera noſtra præterita, ea vel accuſando, tanquam malè facta, et dicitur *remorſus conſcientiæ*, vel Commendando, tanquam benefacta, & dicitur ab Apoſt. 2. *ad Corinth.* 1. & ad Rom. *cap* 2. teſtimonium conſcientiæ noſtræ; partim vero ſe extendit ad

4 opera inſtantia, & futura, dictando, quæ tanquam honeſta, agenda ſint, & quæ, tanquam turpia, fugienda; atque hoc iudicium circa agenda, propriè practicum eſt, ideóque conſcientia ſic ſumpta, quatenus de agendis iudicat, eſt ad rem noſtram.

5 Dico ſecundô. Conſcientia, alia eſt conſulens, ſeu ſuadens, aliquid agendum, vel omittendum eſſe non tanquam neceſſarium ſed vt magis ad morum honeſtatem, & animæ ſalutem conueniens; v. g. virginitatem ſeruandam eſſe, diuitias pauperibus erogandas, &c. Alia verò conſcientia eſt præcipiens aliquid, vt agendum, vel prohibens, vt omittendum, tanquam ad morum honeſtatem, & animæ ſalutem neceſſarium, v. g. non eſſe mentiendum, furandum, occidendum, &c. diſcrimen eſt, quod hæc hominem ligat ſeu obligat, non item illa

6 Dico tertiò: Hoc dictamen rationis, ſeu hæc conſcientia eſt multiplex, certa, errans, opinatiua, dubia, ſcrupuloſa.

7 Certa eſt iudicium certum, ſaltem moraliter, nempè de quo prudenter dubitari non poteſt; quod . ſi nitatur authoritati Dei, certitudinem

8 omnem habet, & dicitur Fides diuina; ſi nitatur authoritati humanæ, varios, iuxtà varium teſtimonium dicentium, certitudinis gradus habet, & dicitur Fides humana.

9 Errans eſt, quæ proponit ſequendum, vel fugiendum, quod reuera non eſt

10 Opinatiua eſt iudicium infirmum, ſeu non certum alicuius partis cum formidine partis oppoſitæ.

11 Dubia, cum non valet intellectus ſe in alteram partem inclinare, ſed anceps eſt, &

12 pendulus; quod ſi in vnam partem ſe magis inflectit, dummodo illi non aſſentiatur, dicitur ſuſpicio.

13 Scrupuloſa eſt apprehenſio ex leuibus rationibus orta, quæ iudicium certum, vel opinatiuum oppoſitæ partis non excludit.

14 Dico quartò: Conſcientia dubia, & ſcrupuloſa non eſt propriè conſcientia; cùm non ſit iudicium, & dictamen rationis, ſed ſit diſpoſitio ad illud: apprehenſio enim, & inueſtigatio rationum diſponit ad iudicium, in quo iudicio conſiſtit propriè conſcientia; ſic communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Azorius, *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 1. Salaſ. 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vn. ſect.* 2. *n.* 12. Vaſq. *diſp.* 67. *cap.* 2. *n.* 7. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 41. *n.* 2. & *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *n.* 1. & Io. Sanch. *in ſelect. diſp.* 41. *n.* 2.


15 Dico quintò. Conſcientia, ſeu iudicium ſumi poteſt in genere, vel in ſpecie; ſeu, vt aliter dici ſolet, conſcientia eſt ſpeculatiua,

16 vel practica Iudicium, ſeu Conſcientia ſpeculatiua eſt, quæ in communi dictat, aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum; v g. in die feſto non eſſe laborandum, ſubripere rem alienam eſſe malum, accipere ſupra ſortem in mutuo eſſe vſuram; Iudicium, ſeu conſcientia practica eſt, quæ in particulari, & in ſpecie dictat, quid ſit hîc, & nunc faciendum, vel fugiendum; v. g. hodiè non eſſe laborandum, hanc acceptationem vltrà ſortem eſſe vſuariam, & vitandam.

Dicunt tamen Doctores communiter, cum iudicio ſpeculatiuo certo de aliqua veritate poſſe, quin ſæpius ſtare de facto iudicium practicum oppoſitum; v. g. in exemplis allatis iudicare, die feſto eſſe obligationem non laborandi, & iudicare ſimul, te hîc, & nunc non eſſe obligatum ad tale præceptum ob aliquam cauſam. 17

At verè hoc iudicium ſpeciale non eſt contrarium iudicio illi generali; quia iudicium illud generale ad hunc caſum nunquam ſe extendit: nunquam enim verè, & ſi generaliter, iudicatum eſt, die feſto obligationem eſſe, non laborandi in omni caſu, ſed potius iudicari debet oppoſitum, poſſe ſcilicet laborare in aliquo caſu, Corduba, *lib.* 3. *qq.* 9. 5. & Vaſq. 1. 2. *diſp.* 65. *cap.* 1. *n.* 2. & 3. 18

Sed, quidquid ſit de contrarietate, vel conformatione huius iudicij practici cum iudicio ſpeculatiuo, iudicium practicum, & in particulari eſt, quod præcipuè regulat actiones, & ſequi tenemur, Doctores, quos refert, & ſequitur, Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 41. *n.* 8. 19



Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Conſcientia diſtinguitur à ſyndereſi, quæ non eſt dictamen rationis; ſed habitus principiorum.*
2. *Principia practica, ſeu moralia ſunt vniuerſales, ac per ſe nota humanarum actionum regulæ, & quaſi quædam lumina virtutum vera; & incommutabilia.*
3. *Principia agibilium indita nobis ſunt naturaliter eodem modo, quo indita ſunt principia ſpeculabilium, licet hæc ad intellectum, illa ad habitum qui dicitur ſyndereſis ſpectent.*
4. *Error non contingit circa ſyndereſim, quia verſatur circa vniuerſaliſſima principia agendorum.*
5. *Conſcientia eſt actus elicitus à virtute prudentiæ circa particularia.*
6. *Syndereſis continet vniuerſaliſſima principia prudentiæ.*
7. *Scientia moralis, iuriſque ſcientia media eſt inter ſyndereſim, ac prudentiam particularem.*
8. *Conſcientia certa, recta, ſeu vera eſt, quæ ex practicis principijs ſecundum omnes circumſtantias rectè applicatas colligitur de agendo, vel non agendo.*

9. *Principij practici applicatio interdum vera non eſt ſpeculatiuè, ſeu ratione obiecti particularis ſpectati abſolutè, ſed ſolum practicè, ſeu in ordine ad practicam concluſionem, & quomodo ſit vide ibi exemplum de Iacob.*

10. *Conſcientia, quæ ſpeculatiuè, ſeu ratione obiecti abſolutè ſpectati eſt falſa, practicè, ſeu moraliter cognoſcetur vera ex duobus practicis principijs indubiè veris per intellectus reflexionem.*

11. *Conſcientia errans, erronea, ſeu falſa eſt quæ ex falſo, ſeu erroneo practico principio colligitur.*

12. *Conſcientia errrans ſubdiuiditur in inuincibilem, & vincibilem, & quid vterque ſit.*

13. *Mentiri religionis cauſa ob errorem inuincibilem vt opus moraliter bonum ratione affectus, ſeu finis, ſecus autem ratione medij, qui tamen defectus cum incognitus, & inuoluntarius ſit, ad culpam non imputatur.*

14. *Conſcientia inuincibiliter errans eſt actus prudentiæ non ſimpliciter ſed ſecundum quid, quatenus in eo ſeruatur recta intentio finis honeſti.*

15. *Conſcientia dubia, & ſcrupuloſa non eſt propriè conſcientia, ſed vmbra, ſeu ſimilitudines conſcientiæ, & cur;*

16. *Conſcientia recta, vera, vel certa præcipiendo, vel prohibendo obligat voluntatem vt peccet, niſi in operando illam ſequatur, quæ eſt ſua regula.*

17. *Conſcientia rationis ducta ſcilicet ex ſyndereſi eſt humanarum actionum regula proxima, quia regula remota licet principalis, eſt lex æterna.*

1 EX dictis ſequitur, conſcientiam diſtingui à ſyndereſi: Hæc enim non eſt dictamen rationis ſed ha-
2 bitus principiorum practicorum, teſte S. Th. 1. *p. q.* 79. *art.* 12. practica verò, ſeu moralia principia ſunt vniuerſales, ac per ſe notæ humanarum actionum regulæ, & quaſi quædam lumina virtutum, vera, & incommutabilia, teſte Auguſtino, *lib.* 2. *de lib. arbitr. cap.* 10. qualia ſunt, *bonum amplectendum, malum fugiendum, ius ſuum cuique reddendum, non plus minuſvè iraſcendum, comedendum, quàm oportet, &c.* quapropter rectè
3 dixit S. Th. loc. cit. *ſicut nobis naturaliter indita ſunt principia ſpeculabilium, ita & principia agibilium*; licèt principia ſpeculabilium, v. g. *ens, vel eſt ſubſtantia, vel accidens: omne totum eſt maius ſua parte, &c.* Spectent ad ſpecialem habitum, qui ab Ariſt. 6. *Ethic. cap.* 6. dicitur intellectus; principia autem agibilium ſpectent ad habitum, qui dicitur ſynderesis, qua de re S. Th. *in qq. diſp.* 9. 16. *art.* 2. Scot. *in* 2. *diſt.* 39. §. *ad quæſtiones*, Durand.
4 *ibid. q.* 5. *art.* 1. & Gabr. *q. vn. art.* 3. vbi rectè colligunt, quod circa ſynderesim non contingit error, quia verſatur circa vniuerſaliſſima principia agendorum, quæ non minus, quàm principia ſpeculabilia, per ſe nota ſunt.
5 Sequitur ſecundò, conſcientiam eſſe actum elicitum à virtute prudentiæ circa particularia,
6 ſynderesim autem continere vniuerſaliſſima principia prudentiæ; Inter ſynderesim verò, ac prudentiam particularem media eſt mora- 7
lis ſcientia, iuriſque prudentia, quippè cuius pronunciata, v. g. *In malis promiſſio fides non eſt ſeruanda: Omne iuramentum, quod ſine diſpendio ſalutis æternæ ſeruari poteſt, ſeruandum eſt, &c* Comparata ad ſynderesim concluſionum locum habent, comparata vero ad particularem prudentiam, ſunt & ipſa moralia quædam axiomata, & rectè viuendi regulæ, Durand. *cit. q.* 5. *art.* 1.

Sequitur tertiò, conſcientiam certam, re- 8
ctam, ſeu veram eſſe, quæ ex practicis principijs ſecundùm omnes circumſtantias rectè applicatas colligitur de agendo, vel non agendo; applicatio vero illa principiorum interdum recta, & vera eſt, tam ſpeculatiua quàm practica veritate, & tunc emergit conſcientia omnimodè recta, & vera; v. g. hæc eſt mea legitima coniux (vti verè, & probè perſpectum habeo) ergo honeſtum eſt ad ipſam accedere (ſi ſcilicet congruentes loci, temporis, &c. circumſtantiæ adſint) quia honeſtum eſt, ius ſuum cuique tribuere, quod coniux habet ad coniugij actum; Interdum autem applicatio illa principij practici vera non eſt ſpecu- 9
latiuè, ſeu ratione objecti particularis abſolutè ſpectati, ſed ſolùm practicè, ſeu in ordine ad practicam concluſionem, vel conſcientiam rectè formandam; vt cùm Patriarcha Iacob acceſſit bona fide, nempè conſcientia recta, ad Liam, ita ſecum diſcurrens Geneſ. 29. *Hæc eſt mea vxor, vt prudenter arbitror*: ergò honeſtum eſt, ad illam accedere, quia honeſtum eſt, accedere ad propriam vxorem. Vbi vides, applicationem principij falſam eſſe ſpeculatiuè, veram tamen practicè ſcilicet in ordine ad inferendam concluſionem, practicè veram: nam acceſſus ille verè honeſtus erat, actus prudentiæ, cum Iacob non, niſi temerè, de mala Libani fide ſuſpicari potuiſſet; ideóque quiuis vir bonus, & prudens, ſpectatis circumſtantijs tunc occurrentibus, ita practicè iudicaſſet, & ſecundum tale iudicium, ſeu conſcientiam operatus fuiſſet.

Vnde autem cognoſci poſſit, quod conſcientia, quæ ſpeculatiuè, ſeu ratione obiecti abſolutè ſpectati, ſit falſa, practicè autem, ſeu moraliter ſit vera, & proxima regula humanæ operationis honeſtæ?

Reſpondetur, tunc cenſendam eſſe talem, 10
cùm ex duobus practicis principijs indubiè veris per intellectus reflexionem colligi poteſt; v. g. honeſtum eſt, accedere ad mulierem, quæ hîc, & nunc prudenter exiſtimatur eſſe mea vxor; ſed hæc à me hîc, & nunc prudenter exiſtimatur eſſe mea vxor, ergò honeſtum eſt, ad eam accedere.

Hinc, licèt huiuſmodi iudicium, ſeu rationis concluſio ſecundùm quid falſa ſit, nempè ſecundùm objectum præcisè ſpectatum, abſolutè tamen loquendo, eſt vera, & recta conſcientia (quidquid incontrarium dixerit Major. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 9. §. *dubitatur*) quia, ſicuti dicebam, per bonam ratiocinationem ex principijs practicis abſolutè veris concludi poteſt; tum quia talis conſcientia eſt regula proxima honeſtæ operationis, ideóque propriè, ac directè

actus prudentiæ, virtutis semper inclinantis ad verum.

11 Sequitur quartò, conscientiam errantem, erroneam, seu falsam esse, quæ ex falso, seu erroneo practico principio colligitur; v. g. mentiri pro religionis augmento est cultus religiosus; ergò mentiri pro religionis augmento honestum est, & Deo gratum; quia cultus religiosus honestus est, & Deo gratus; quæ practicæ rationis conclusio, seu conscientia per se, & simpliciter loquendo, falsa, & erronea est, deducta ex falso, & erroneo principio practico; quod mentiri pro religionis augmento sit cultus religiosus, & honestus.

12 Conscientia errans subdiuiditur in inuincibilem, & vincibilem. Inuincibilis est, cuius error moraliter vitari non potest, ideóque nec voluntarius est, neque ad culpam imputatur. Vincibilis est, cuius error vitari potest, ac debet, & proindè indirectè voluntarius est, & ad culpam imputatur; sicque voluntas, sequendo talem conscientiam, peccat, sequendo vero conscientiam inuincibiliter errantem, non peccat.

13 An autem opus moraliter bonum faciat, qui v. g. ob errorem inuincibilem mentitur religionis causa?

Ratio dubitandi est; quia, cùm omnis actus humanus in indiuiduo moraliter bonus, vel malus sit, videtur affirmandum ex vna parte; ex altera parte videtur negandum; quia omnis actus humanus secundùm prudentiam elicitus est; at conscientia errans, ex falso practico principio deducta, non potest esse actus virtutis prudentiæ: ergò, &c.


Respondetur tamen, talem actum voluntatis propter inuincibilem errorem; v. g. mentiri volentis, esse aliquo modo bonum, & honestum, nempe secundum affectum, & intentionem finis, quamuis non sit talis secundum applicationem medij; quia mendacium non est idoneum ad religionis honestatem; qui tamen defectus, cùm incognitus, & inuoluntarius sit, ad culpam non imputatur; quare

14 conscientia inuincibiliter errans est actus prudentiæ, non simpliciter, sed secundùm quid, quatenus in eo seruatur recta intentio finis honesti; sicque voluntas, sequendo talem conscientiam, aliquo modo bene agit, nempè secundum effectum finis, licèt deficiat secundùm applicationem ad opus; qui defectus propter ignorantiam excusatur, vti dicebam.

15 Sequitur quintò, conscientiam dubiam, & scrupulosam non esse propriè conscientiam, sed vmbras, & similitudines conscientiæ; quia conscientia est practicum iudicium, seu assensus rationis; at neque dubitans, neque scrupulosus determinatè iudicat, aliquid agendum, vel omittendum esse; sed ille ambiguus hæret, hic angitur tantùm, ac veretur, vt infra suis locis dicetur, ergò.

16 Sequitur sextò, conscientiam rectam, veram vel certam præcipiendo, vel prohibendo obligare voluntatem, vt peccet, nisi in operando illam sequatur; quia voluntas peccat, si in operatione non sequatur suam regulam; at conscientia rationis rectè præcipiens, vel prohibens est voluntatis operandis, aliasque potentias ad operandum mouentis regula proxima, sicuti rectè dixit, S. Tho. 1. 2. *q.* 19. *art.* 3. & 4. ergò peccat voluntas, nisi conscientiam rectè præcipientem, vel prohibentem in operando sequatur.

Dixi, conscientiam rationis (ductam scilicet ex synderisi) esse humanæ voluntatis, humanarumque actionum regulam proximam; quia regula remota, attamen prima, & principalis est lex æterna, & diuina, vnde descendit humana ratio, veluti quidam radius, *Psal.* 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vide S. Th. *cit. art.* 4. 17



DVBITATIO II.

An sit obligatio obediendi conscientiæ erranti?

SVMMARIVM.

1. *Conscientiæ erranti extat obligatio obediendi quandiu non deponitur, & ea sit inuincibilis.*
2. *Voluntas humana non alio modo obligatur obedire præceptis nisi quatenus ipsi ab intellectu repræsentatur obligatio, cum sit potentia cæca, quæ ferri non potest in incognitum.*
3. *Voluntatis objectum est bonum, vel malum non quomodocvmque, sed prout est in apprehensione rationis.*
4. *Error vincibilis in principio quandoque fit inuincibilis in operando, & tunc etiam sequi potest.*
5. *Conscientia errans non est contraria formaliter legi diuinæ, quia lex diuina, cui videtur contrariari tunc non obligat, cum non sit in iudicio intellectus.*
6. *Mendacium non est prohibitum per se, seu per accidens, sed solum in casu quo ab intellectu præsentatur absque illius errore lex de non mentiendo, hinc fit quod in conscientia errante licet sit contrarietas materialis, non sit vero formalis.*
7. *Deus non potest inclinare neque physicè, neque moraliter ad malum morale, vel falsum, neque determinat intellectum vt errorem habeat, sed solum tanquam causa vniuersalis ad illum concurrit.*
8. *Deus supposito errore intellectus alicuius bene potest mandare esse mentiendum, non quidem absolutè, sed ex suppositione, qvod conscientia errans id dictet.*
9. *Operans secundum conscientiã errantem inuincibiliter operatur in ea specie virtutis, in qua operaretur si res esset à Deo præcepta.*
10. *Operans contra conscientiam errantem inuincibilem, vel vincibilem delinquit ea ipsa specie peccati, & contra illam virtutem (vt intellectus falsò iudicat.)*
11. *Operans contra conscientiam erroneam vt agendo peccet, opus est quod actio ipsius libe-*

ra ſit. Vide ibi exemplum de carcerato, qui licet putet peccare, non audiendo Miſſam non tamen peccat.

11. *Item neque debet eſſe ſcrupuloſus, qui inuoluntarias paſſiones peccata eſſe putat.*

1 Eſpondetur affirmatiuè (v g. ſi dictet aliquid, vt præceptum; & ſi contrarium ſit alteri præcepto diuino) dum non deponitur. Eſt communis, & certa Doctorum ſententia, ita vt oppoſita ſit temeraria, & periculoſa; Vaſq. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 59. *cap.* 2. *nu.* 6. Salaſ. *q.* 21. *tract.* 8. *diſp. vn. ſect.* 6. *n.* 16. Io. Sanch. *diſp.* 41. *n.* 2. & alij communiter, quos ipſi citant.

Probatur ex ſcriptura, SS. Patribus, & Pontificum decretis, quæ videri poterunt apud Vaſq. & Salaſ. locis ſupra cit. Videri etiam poterit S. Th. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. qui id probat ex Apoſt. ad Roman. 14. *Scio, & confido in Domino IESV, qui nihil commune per ipſum niſi ei, qui exiſtimat, quid commune eſſe, illi commune eſt*; ſcilicet ſcio fretus gratia IESV CHRISTI, qui nos à iugo legis Moſaïcæ liberauit, nullo cibo, veluti immundo, nos inquinari, præterquam, ſi quis exiſtimet, aliquam eſcam (v. g. ſuillam) etiam nunc immundam, & vetitam eſſe: talis enim eſca illi immunda, & illicita erit, propter errantem ſuam conſcientiam; Et paulò poſt, *Qui autem dixerit* (inter cibos, putans aliquos ſecundùm legem Moïſis immundos, ac prohibitos eſſe) *ſi manducauerit damnatus eſt, quia non ex fide,* (nempè ſecundùm conſcientiam) *agit; omne autem, quod non eſt ex fide* (nempè non ſecundùm, ſed contra dictamen conſcientiæ) *peccatum eſt.*

2 Secundò probatur ratione; quia noſtra voluntas non alio modò obligatur obedire præceptis, niſi quatenus ipſi ab intellectu repræſentatur obligatio (cùm ſit potentia cæca quæ ferri non poteſt in incognitum,) ergò, ſi ab intellectu errante repræſentatur voluntati aliqua obligatio præcepti (quia repræſentatur aliquid, vt præceptum) voluntas cenſetur obligata ad illud amplectendum.

3 Confirmatur; quia (cum objectum voluntatis ſit bonum, & malum, non quomodocumque, ſed prout eſt in apprehenſione rationis) ſi ratio apprehendit aliquid, & voluntati proponit, tanquam bonum, eſto tale non ſit, ſed malum, voluntas illud reſpuendo conſentit in tranſgreſſionem legis. Item è contra, ſi ratio apprehendit aliquid, & voluntati proponit, tanquam malum, eſto tale non ſit, ſed bonum, & honeſtum, voluntas illud amplectendo conſentit in objectum malum, ideoque peccat.

Quod autem dixi, intelligitur de conſcientia errante inuincibili: nam ſi vincibiliter errat, non teneris illam ſequi; alias tenereris facere malum, cùm conſcientia te non excuſet: ſupponitur enim, quod ſit vincibilis; Neque indè fit, te poſſe contrarium facere, ſtante illa conſcientia erronea vincibili, cùm non habeas iudicium dictans tibi, contrarium eſſe faciendum; quod ergò facere debes, eſt deponere illam conſcientiam errantem: cum enim vincibilis ſit, vinci, & deponi poteſt, ac proindè abſolutè nunquam & perplexus, & obligatus facere malum.

Obijcies. Sæpe non poſſum conſcientiam errantem vincibiliter deponere; quia non habeo, qui errorem tollat; cum, & præcipuè, quia non dubito de errore, licet alio tempore dubitauerim.

Reſpondetur, in tali caſu errorem reddi inuincibilem: nam licèt à principio fuerit vincibilis, quando tamen operatio dirigitur, eſt inuincibilis, ſiquidem tunc vinci non poteſt; cum autem error eſt inuincibilis, teneris illud ſequi, neque peccas, te illi conformando, Sanchez. *lib.* 1. *mor. cap.* 11. *n.* 12. & Io. Sanch. *diſp.* 41. *n.* 26. 4

Obijcies ſecundò, Conſcientia errans in re morali eſt contraria legi diuinæ; ſed teneris ſequi legem diuinam, ergò non poteris ſequi conſcientiam errantem.

Reſpondetur, conſcientiam errantem non eſſe contrariam formaliter legi diuinæ; quia lex diuina, cui videtur contrariari, tunc non obligat; cum non ſit in iudicio intellectus, quod requiritur ad obligationem inducendam. 5

Obijcies tertiò. Deus non poteſt eſſe ſibi contrarius; at eſſet, ſi mandaret obediri conſcientiæ erranti, ergò. Minor probatur; quia Deus mandat v. g. ſua lege, ob nullum caſum, etiam ob ſaluandam vitam, eſſe mentiendum, ſed conſcientia errans dictat, ad ſaluandam vitam alterius eſſe mentiendum; ergò, ſi Deus mandat, obediri conſcientiæ erranti, eſt ſibi contrarius. 6

Reſpondetur. Nego Minorem; & ad probationem reſpondeo, Deum non mandare, non eſſe mentiendum, tam per ſe, quam per accidens, ſed ſolùm in caſu, quo ab intellectu præſentatur abſque errore illius lex de non mentiendo: in legibus enim latis à Deo immediatè nulla eſt contrarietas, licèt in legibus, quas homo ſibi medio rationis dictamine, præſcribit, contrarietas eſſe poſſit ob contrarietatem in iudicando; ſed illa contrarietas eſt materialis, non formalis, cùm ſemper conformentur legi diuinæ dictanti conſcientiam eſſe ſequendam, & nulla alia præcepta, niſi media conſcientia, obligare.

Obijcies quartò. Deus non poteſt inclinare, ſeu eſſe author alicuius mali moralis, vel falſi, ergò non poteſt eſſe author illius iudicij errantis, eſſe v. g. mentiendum ob ſaluandam vitam alterius; ergò, ſi illius author non eſt, non eſt obligatio ſequendi illud; quia in tantum tenemur ſequi conſcientiam, inquantum eſt quædam regula à lege diuina deriuans.


Reſpondetur: concedo, Deum non poſſe inclinare, neque phyſicè; neque moraliter ad malum morale, vel falſum; ſic neque conſulit, neque præcipit, eſſe mentiendum, neque determinat intellectum, vt errorem illum habeat, ſed ſolùm, tanquam cauſa vniuerſalis, ad illum concurrit; At, poſito errore, bene poteſt mandare eſſe mentiendum, non quidem abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod conſcientia errans id dictet. 7 8

9 Ex his ſequitur, operantem ſecundùm conſcientiam errantem inuincibiliter, operari in ea ſpecie virtutis, in qua operaretur, ſi res eſſet à Deo præcepta; v. g. mentiris, vel furaris, vt proximo ſubuenias, mendacium, vel furtum eſt actus miſericordiæ; quia tunc mendaciū & furtū nullam habet formalē malitiā, & ex alia parte recipit bonitatem à fine prætenſo, ergò; atque ita tradit, Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *nu.* 17. Azor. *lib.* 2. *cap.* 8. *q. vlt.* & Salaſ. 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 3. *nu.* 20.

10 Similiter operans contra conſcientiam errantem vincibilem, vel inuincibilem, delinquit ea ipſa ſpecie peccati, & contra illam virtutem (vt intellectus falsò iudicat) v. g. qui putat, ex lege miſericordiæ ſe teneri ad mentiendum, quia ſic requirit neceſſitas ad hominis vitam ſaluandam, is peccat contra virtutem miſericordiæ, non mentiendo (moraliter, vel venialiter, prout apprehendit) Durand. *in* 2. *diſt.* 39. *q.* 5. *art.* 3. *nu.* 9. Item, qui falsò putat, in vigilia Epiphaniæ, ieiunij præceptum eſſe, & non ieiunat, is peccat contra virtutem temperantiæ, non ieiunando, S. Th. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 3. Nauarr. *in ſum. prælud.* 9. *nu.* 9. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 59. *cap.* 3. *n.* 11. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *nu.* 5. qui

11 rectè ſubdit *nu.* 3. vt quis contra conſcientiam erroneam agendo peccet, opus eſſe, quod actio ipſius libera ſit; quare ſi in carcere con-

12 cluſus putet, ſe peccare, Miſſam non audiendo, non ideò peccat; neque peccat ſcrupuloſus, dum inuoluntarias ſuas paſſiones, aut in oratione diſtractiones peccata eſſe putat Vide *Dubit.* 5.



DVBITATIO III.

Quod peccatum ſit, non obedire conſcientiæ erranti.

SVMMARIVM.

1. *Conſcientiæ erranti non obedire eſt peccatum mortale, vel veniale iuxta naturam actionum, quæ exercentur.*
2. *Conſcientiæ erranti non obedire eſt peccatum illius ſpeciei, cuius eſt obiectum. Vide ibi exempla.*
3. *Cogitatio aliqua in genere non datur, quo quis putat eſſe malum non diſtinguendo ſpeciem illius mali, quatenus vero daretur, peccatum commiſſum eſſe in ea ſpecie in qua eſt actus, quo velles Deum offendere in genere.*
4. *Conſcientia errans ſi non diſtinguat, an peccatum ſit veniale, vel mortale, ſed ſolum in confuſò proponit eſſe malum, peccatum quale nam ſit, deſumendum eſt ab obiectis ſecundum aliquos DD. alij dicunt eſſe ſemper mortale, alij vero veniale, vide ibi rationes, & argumenta quæ afferuntur.*



Reſpondetur. Eſt mortale, vel veniale iuxtà naturam actionum, quæ exercentur. Eſtque peccatum illius ſpeciei, cuius eſt obiectum; v. g. 1

conſcientia errans dictat, die feriali eſſe Miſſam audiendam, omittis, peccas mortaliter, 2
& contra religionem: dictat eſſe mentiendum ob ſaluandam vitam alterius, omittis, peccas mortaliter, & contra charitatem, & ſic de alijs, &c. Ita communiter Doctores.

Quid autem dicendum ſit, cum ſolùm in genere putas, aliquid eſſe malum, neque cognitione diſtinguis ſpeciem mali?

Reſpondetur (& ſi forſan talis cogitatio 3
non detur de facto, cùm conſcientia ſit practica, & dirigat ad opus) eſto detur, peccatum commiſſum tunc eſſe in ea ſpecie, in quo eſt actus, quo velles Deum offendere in genere; quia talis actus conſtitui debet in aliqua ſpecie infima; non enim habet omnes ſpecies peccati; aliàs eſſet peccatum grauius odio Dei, & infidelitate; quod eſt abſurdum.

Sed quid, ſi conſcientia non diſtinguit, an 4
ſit veniale, vel mortale, ſed ſolum in confuſo proponit, eſſe malum, vt ſolet contingere ruſtico, cum creaturas execratur verbum otioſum, inhoneſtum, vel detractorium profert?

Quidam (vt Vaſquez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 3. *nu.* 10. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *nu.* 7.) putant, ſi feratur voluntas in aliqua materia determinata, vt in exemplis allatis contingit, ex materia illa deſumendam eſſe peccati grauitatem, vel leuitatem; vnde dicunt te peccare mortaliter, ſi obiectum eſt mortale, venialiter, ſi eſt veniale; quia illa cognitio de malitia obiecti non dinſtinguens, an ſit mortalis, vel venialis, ſufficit ad vtramque malitiam denominandam, ſicque eius differentia determinari debet ex obiecto; ſed ſi voluntas non feratur circa aliquod obiectum ſpeciale, ſed velit ſolùm in genere malum efficere, putant Vaſq. & Sanchez ſuprà, & Azor. *to* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 6. & Sayr. *in claui Reg. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 17. eſſe peccatum mortale; quia voluntas amplectens malum ſine ſufficienti examine qualitatis peccati, ſe exponit periculo amplectendi peccatum mortale; tum quia illud obiectum, prout voluntas iam amplectitur, eſt indifferens ad veniale, & mortale, ergò voluntas, quantum eſt ex ſe, amplectitur mortale.

Alij) vt Nauar. *ſum. prælud.* 9. *nu.* 9. Lopez 1. *par. cap.* 3. Valent. 1. 2. *diſp.* 2. *q.* 14. *p.* 4. *q.* 3. *in fin.* Salaſ. *ibid. q.* 21. *tract.* 8. *diſp. vn. ſect.* 3. *nu.* 33. *&* *tract.* 3. *diſp.* 4. *nu* 36. & Man. Rodrig. 1. *to. ſum. cap.* 71. *in fine*) putant, eſſe veniale; quia voluntas appetens malitiam in communi, non appetit malitiam excedentem peccatum veniale; aliàs, ſi excederet, non eſſet communis veniali & mortali.

Alij denique (vt Io. Sanch. *diſp.* 18. *nu.* 1. 5
Bonac. *diſp.* 2. *de peccatis*, *q.* 2. *par.* 3. *nu.* 14. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 1. *nu.* 9.) putant, in ſupradictis caſibus peccatum ſemper eſſe mortale; Et quidem cum voluntas nullum amplectitur obiectum ſpeciale, ſed ſolùm in genere; probant; quia tunc voluntas, quantum eſt ex

se, amplectitur mortale, cum ad mortale, & veniale indifferens sit; Neque obstat, ex parte obiecti, malitiam in communi non esse malitia veniali maiorem determinatè, quia sufficit, quod sit maior indeterminatè: nam comprehendit mortale, & ratione huius indeterminationis voluntas illam malitiam amplectens, censetur amplecti mortalem.

Quod si voluntas feratur in obiectum venialiter malum, neque cognoscens eius leuem malitiam, sed solùm cognoscens, esse malum sine distinctione malitiæ mortalis, vel venialis, adhuc probant, esse mortale; quia voluntas iam se exponit amplecti mortale: nam per accidens fuit, quod obiectum esset veniale: eodem enim modo amplecteretur, si esset mortale.

Confirmatur; quia, cum amplecteris obiectum venialiter malum, dubitans, an sit mortale, peccas mortaliter; quia te exponis periculo committendi peccatum mortale; sed, cum tibi repræsentatur obiectum malum, neque distinguens, an sit mortale, vel veniale, illud amplecteris, iam quantum est ex tua voluntate, te exponis periculo committendi mortale, ergò.

Omnes istæ tres opiniones suam habent probabilitatem; Vide tamen, quæ dicentur *tract. 3. dubit. 9. sect.* 1.

DVBITATIO IV.

An sit peccatum, agere contra scientiam habitu, non actu errantem?

SVMMARIVM.

1. *Operans contra conscientiam habitu, non actu errantem præcipuè in casibus hic recensitis peccat quoties dictamen prius non reuocauit secundum aliquos DD. secundum vero alios dummodo dictamen rationis non sit antiquum.*
2. *Probabilius tamen est oppositum in sententia Auctoris, nempè quod talis non peccet actu nisi actu sit conscientia dictans esse peccatum, vel actu dubitans de illius obligatione.*
3. *Propinans veneno censetur homicida si illud dedit, etiamsi doleat priusquam venenum patiens moriatur, quia voluntas occidendi manet in effectu.*
4. *Actus moraliter non censetur manere, & denominare opera subsequentia si sit retractatus.*
5. *Infidelis licet omnia opera sua referat ad honorem Idoli, non tamen si largiatur v. g. Eleemosynam peccat peccato infidelitatis & cur.*
6. *Vide tamen stucteris sententiam in oppositum.*
7. *Dilatio præcisè non tollit perseuerantiam moralem iudicij, & voluntatis.*


. G. Errasti putans, esse peccatum 1
ius Canonicum, vel Physicam audire, ex tali errore ius Canonicum, vel Physicam audis immemor conscientiæ errantis, & dictantis, esse peccatum. Item errasti vincibiliter putans, in hac septimana, nullum esse diem festum, vel ieiunij, cùm tamen sit, adueniente die festo, vel ieiunij; Missam, vel ieiunium omittis, quin tibi dubium occurrat, esse diem festum, vel ieiunij, peccasnè omittens Missam vel ieiunium?

Respondetur (licèt quidam affirment, quoties dictamen prius non reuocasti; quia tale iudicium, cum reuocatum non sit, moraliter manet; Rodrig. *to.* 1. *sum. cap.* 71. *n.* 2. Villalob. *to.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 1. *n.* 2. *&* Medina 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. qui tamen limitat, dummodo dictamen rationis non sit antiquum, quia quod antiquum est, non censetur manere) probabilius tamen esse oppositum, nempè te in omissione Missæ, vel ieiunij non peccare actu, nisi actu sit conscientia dictans, esse peccatum, vel actu dubites de illius obligatione; ita Vasq. *disp.* 60. *cap.* 3. *in. fin.* Salas. *disp. vn. sect.* 3. *nu.* 29. Azor. *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 12. & Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *nu.* 7.

Probatur: Opera illa externa non possunt oriri à voluntate, & iudicio præterito; cùm non adsit, neque adsit illa voluntas, neque iudicium præteritum, neque vllus effectus ab illis productus, qui causet opera illa externa, ergò non possunt in illis operibus malitiam vllam causare.

Confirmatur: Ideo cum alicui venenum 2
das, quo illum occidis, censeris homicidium committere, etiam si doleas, prius quam veneno patiens moriatur, quia illa voluntas 3
antiqua occidendi manet in aliquo effectu; sed in præsenti illa intentio non audiendi Missam, & iudicium errans de obligatione non manent in se, neque in aliquo effectu; ergò.

Confirmatur secundò: si actus moraliter 4
censetur manere, & denominare opera subsequentia, dum non retractatur, infidelis, qui omnia sua opera refert in honorem idoli, peccaret semper peccato infidelitatis; quod non est dicendum.

Dices cum Medina, non peccare, quia exer- 5
cendo aliquod opus bonum, v. g. eleemosynæ ad subleuandam miseriam pauperis, voluntatem priorem censetur retractare.

Sed contra; quia infidelis ex eo, quod 6
opera ex objecto misericordiæ, vel iustitiæ exercet, non propterea censetur retractare priorem voluntatem, quâ vult, omnia sua in honorem idoli referre; cum hæc executio, & intentio non sit contraria priori voluntati.

Dices secundò cum eodem Medina, dum tempus præcessit, non censeri manere moraliter.

Sed contra; quia dilatio præcisè non tollit 7
perseuerantiam moralem iudicij, & voluntatis.




DVBITATIO V.

An sit peccatum, sequi conscientiam errantem, si dictet, vtramque contradictoriam partem esse malam.

SVMMARIVM.

1. *Ad peccandum requiritur sufficiens libertas; quæ quidem cum non possit considerari, si conscientia errans dictet vtramque Contradictoriam partem esse malam, sequitur quod propterea non sit peccatum.*
2. *Ad peccandum non sufficit eligere malum quod determinatè vitari potest, sed necessario requiritur eligere malum quod etiam æquiualenter vitari possit, & ita licet vna dictarum, partium liberè eligatur, non est peccatum.*
3. *Carceratus licet putet peccare non audiendo missam, non tamen peccat.*



V. G. Putas, te peccare, si non audis Missam, cum infirmum curas; & putas, te peccare, si infirmum deseris ob Missam audiendam: Item putas, cùm sis excommunicatus, te peccare, si Missam audis, & peccare, si illam non audis, peccasnè cuiuslibet partis electione?


1 Respondetur negatiuè; Ita Adrian. *q. de restit.* Rodrig. *to.2.cap.* 51. *nu.* 6. Sanch. *lib.*1. *moral. cap.* 11. *nu.* 14. & Io. Sanch. *disp.* 41. *n.* 27.

Probatur? quia non adest libertas sufficiens ad peccatum: cum enim vna pars ex illis contradictorijs sit tibi necessarió eligenda, & in ea repræsentetur peccatum, iam peccatum esset necessariò eligendum; quod est absurdum. Vide infrà *Dubit.* 10.

Obijcies. Et si vna pars ex illis contradictoria est tibi necessariò eligenda, tamen, cùm vnam determinaté eligis, liberè eligis (poteras enim illam non eligere) ergò peccas illam eligendo, si putas esse malam.

2 Respondetur: licèt liberè eligas vnam ex illis partibus contradictorijs, non tamen peccas; quia non sufficit ad peccatum, eligere malum, quod determinatè vitari potest, sed necessariò requiritur eligere malum, quod etiam æquiualenter vitari possit; at in casu nostro licèt euites vnum malum, aliud tamen necessariò eliges; sicque malum illud, quod eligis, non potes, saltem æquiualenter, vitare.

3 Ex his à fortiori sequitur, te carcere detentum, & putantem, Missam non audiendo, peccare, non peccare; quia talis omissio nullo modo est tibi libera; neque illud iudicium est causa talis omissionis; cum illa ab alijs causis extrinsecis procedat, & iudicium illud sit tantùm iudicium speculatiuum falsum, quo iudicas, in tali omissione esse peccatum, cum tamen non sit; Sanch. *suprà nu.* 3. & Io. Sanch *nu.* 27. Vide *Dubit.* 2. in fine.



DVBITATIO VI.

An sit maius peccatum, sequi conscientiam errantem vincibiliter, quàm illam non sequi, posito, quod nolis facere diligentiam, vt deponas.

SVMMARIVM.

1. *Sequi conscientiam errantem non est semper maius peccatum quam illam non sequi, sed aliquando est grauius peccatum, aliquando leuius pro grauitate, vel lenitate materiæ.*
2. *Conscientia non ligat virtute propria, sed præcepti superioris quod media conscientia fertur, & promulgatur.*
3. *Putans debere se mentiri vt seruet alicuius vitam si omittat peccat mortaliter, licet mentiendo peccet venialiter.*
4. *Putans debere furari vt pauperi det Eleemosynam, minus peccat si omittat, quam si furtum comittat.*
5. *Præceptum Dei, & rectæ rationis contemnitur quandocumque operatur contra conscientiam.*



Respondetur contrà Basolum, *in* 2. *dist.* 38. & 39. *q. vn. art.* 3. & *alios* (qui ex fundamento infrà adducendo docent, semper esse maius peccatum, sequi conscientiam errantem, quàm illam non sequi) quod aliquando sit grauius peccatum, aliquando leuius, pro grauitate, vel leuitate materiæ; Ità Durandus, Almainus, Corduba, quos citat. & sequitur Azor. *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *quæst.* 9. Vasq. 1. 2. *q.* 19. *disp.* 60. *cap.* 3. *nu.* 10. Syl. *q.* 2. *ver. consilii*, Salas. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 3. *n.*27. Sayr. *in claui Reg. lib.* 1. *cap.* 24. *nu.* 24. & *seqq.* Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *nu.* 15. 1

Probatur; quia (vt ex S. Th. *in* 2. *dist.* 39. rectè dixit Syl. *ver. Conscientia, q.* 1.) conscientia non ligat virtute propria, sed præcepti superioris, quod repræsentat; quod præceptum, & si à superiore prius latum non sit, tamen media conscientia fertur, & promulgatur; sicque eodem modo obligat, ac si à Deo prius latum fuisset; ergò. 2

Hinc, si putas, debere mentiri, vt vitam alterius serues, & omittis, peccas mortaliter, cum mentiendo pecces venialiter: si putas, 3

debere

debere furari, vt pauperi des Eleemoſynam,
4 & omittis, minus peccas, quàm ſi furtum committis.

Obijcies ex Baſolo. In ſequenda conſcientia contemnitur præceptum ſuperioris, in illa ſequenda contemnitur præceptum Dei, & re-
5 ctæ rationis; ergò ſemper eſt maius peccatum, ſequi conſcientiam errantem, quam illam non ſequi.

Reſpondetur, ſemper contemni præceptum Dei, & rectæ rationis, quæ dictat, contra conſcientiam non eſſe operandum, illa durante.

DVBITATIO VII.

An ſit maius peccatum agere contra conſcientiam, quàm contra præceptum ſuperioris.

SVMMARIVM.

1. *Maior vel minor peccati grauitas quando vel agitur contra conſcientiam, vel contra præceptum ſuperioris deſumitur à maiori grauitate vel leuitate vtriuſque.*
2. *Grauius peccatum eſt agere contra præceptum ſuperioris quam contra conſcientiam mala fide errantem ſi verſentur circa eandem materiam.*
3. *Ignorantia minuit voluntarium, ac proinde grauitatem peccati.*
4. *Error craſſus, affectatus, & ſupinus æquiualet ſcientiæ de præcepto.*

1 Reſpondetur ex dictis *Dubit. præcedenti*, pro qualitate materiæ metiendam eſſe grauitatem; ſicque aliquando eſſe grauius peccatum, tranſgredi præceptum ſuperioris, quam præceptum conſcientiæ, ſi materia præcepta à ſuperiore grauior ſit, vel è contra.

2 At, ſi ſuperior, & conſcientia circa eandem materiam verſantur, grauius eſt, tranſgredi præceptum ſuperioris, quàm præceptum conſcientiæ mala fide errantis; quia in hac tranſ-
3 greſſione conſcientæ inuoluitur aliqua ignorantia, quæ minuit voluntarium, ac proinde grauitatem peccati.

4 Dixi, *grauius eſſe*, regulariter loquendo; quia aliquando error eſt ita craſſus, affectatus, & ſupinus, vt æquiualeat ſcientiæ de præcepto.

DVBITATIO VIII.

An debeas obedire conſcientiæ erranti, vel ſuperiori contrarium præcipienti.

SVMMARIVM.

1. *Conſcientiæ ſine dubio inuincibiliter erranti potius obediendum eſt quam præcepto ſuperioris.*
2. *Conſcientia inuincibiliter errans ſtante ſuperioris præcepto non præſumitur.*

Reſpondetur. Si conſcientia inuincibiliter errat, debes ipſi ſine dubio obedire; at rarò tunc errat inuincibiliter; quia præſumi debet pro ſuperioris præcepto, ſicque deponi conſcientia, & obediri; Vaſq. *diſp.* 61. *cap.* 1. Azor. *lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 10. *& alij paſſim.* 1 2

DVBITATIO IX.

An poßis pro libito deponere conſcientiam errantem.

SVMMARIVM.


1. *Conſcientia errans non deponenda eſt pro libito, ne quis ſubiaceat periculo deponendi conſcientiam veram.*
2. *Conſcientia errans vt ſine peccato deponatur debent adeſſe rationes ſaltem probabiles in contrarium.*

Reſpondetur negatiuè; Ita contra Cajetanum, 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *& 6.* docent Salaſ. *ibid. tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 3. *nu.* 30. Vaſq. *diſp.* 67. *cap.* 1. *ad finem*, & Sanch. *lib.* 1. *mor. cap.* 11. *nu.* 10. 1

Probatur; quia ſic te exponeres periculo deponendi conſcientiam veram: nam illa conſcientia tibi apparet, vt vera; ergò, ſi non potes pro libito deponere conſcientiam veram; quia non potes pro libito te eximere à legibus Dei, neque poteris pro libito deponere conſcientiam errantem.

Secundò: Illa conſcientia vel errat ex rationibus probabilibus, vel ex rationibus moraliter certis ſecundùm tuam æſtimationem; 2
quocumque modo ſit, vt prudenter illam deponas, debent adeſſe rationes, ſaltem probabiles, in contrarium, alias temerè procedis, ne-

que poteſt cohoneſtare actionem, cum oriatur ex iudicio ſine vlla ratione formato.



DVBITATIO X.

Quid interſit inter conſcientiam errantem inuincibiliter, & errantem vincibiliter.

SVMMARIVM.

1. *Conſcientia errans inuincibiliter, differt à conſcientia errante vincibiliter, quia ex illa voluntas obligatur, ex iſta non.*
2. *Lex falſo exiſtimata errore, qui deponi non poteſt per accidens non minus obligat, quam lex vera.*
3. *Voluntas ſequendo, ſeu operando ſecundum conſcientiam errantem vincibiliter, peccat, quia non obligatur ad eam ſequendam.*
4. *Homo non eſt ſimpliciter perplexus aut conſtitutus in abſoluta neceſſitate peccandi ſequendo conſcientiam vincibiliter errantem quia poteſt deponere errorem.*
5. *Conſcientia vincibiliter errans quouſque perſeuerat, & non deponitur inducit neceſſitatem peccandi, non abſolutè, ſed ex hypotheſi, nempè ſi error non deponatur.*
6. *Error vincibilis, ſeu culpabilis eſt cum intellectus aliquid agendum, vel omittendum iudicat (non ſine dubio, ſeu formidine oppoſiti) explicitè, vel implicitè dictans rem magis conſiderandam eſſe.*
7. *Arbitrans vtrumque oppoſitorum eſſe peccatum (mentiris contra virtutem veritatis, & non mentiris contra virtutem miſericordiæ,) ſi ſe à tali errore liberare non poſſit, & non habeat conſulentum debet minus malum eligere, quod ſi nequeat id diſtinguere non peccat quidquid egerit.*
8. *Parrochus ad Eccleſiam die feſto veniens ſacrificaturus pro populo ſi recordetur ſe ieiunum non eſſe poteſt ponderare ſcandalum populi, & irreuerentiam ſacramenti, & eligere minus malum, quod ſi id nequeat percipere quidquid egerit, non peccabit.*
9. *Lex Eccleſiaſtica cedit maiori legi naturalis charitatis.*

1 Reſpondetur. Intereſt, quod voluntas obligatur ea conſcientia, ita vt, niſi eam ſequatur, peccet; ad hanc autem ſequendam voluntas non obligatur, ſed tantum ad non repugnaudum ei, quandiu perſeuerat; S. Th. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6.

2 Probatur prior pars; quia lex falsò exiſtimata errore qui deponi non poſſit, ratione talis falſæ exiſtimationis per accidens non minus obligat, quam lex vera, adeo vt, qui ſecundum talem exiſtimatam legem operatur, moraliter non malè, ſed bene operetur, vt dicebam *Dubit.* 1. 2. & 3.

Probatur poſterior pars; quia, qui per vincibilem, ſeu culpatam ignorantiam putat, eſſe mentiendum, vt vita hominis ſaluetur, is duo virtualiter iudicia facit; vnum, *oportet mentiri*; ad quod iudicium ſequendum, ſeu ad operandum ſecundum illud voluntas non obligatur: nam implicat voluntatem obligari ad peccandum; at voluntas, ſequendo, ſeu 3
operando ſecundùm conſcientiam errantem vincibiliter, peccat; ergò non obligatur ad eam ſequendam. Alterum iudicium, *peccatum eſt mentiri*, ſecundum quod iudicium, ſi voluntas nolit mentiri, etiam peccat, quia conformat ſe malo peccati putati, ſicuti dicebam *Dubit.* 2.

Obijcies: hinc ſequitur, hominem perple- 4
xum fore, vt, quidquid agat, peccet: nam, ſi ſequendo conſcientiam vincibiliter errantem conſentiat in mendacium, peccabit contra virtutem veritatis; ſi autem, reſiſtendo conſcientiæ nolit mentiri, peccabit contra virtutem miſericordiæ, ergò.

Reſpondetur ex S. Bonau. *in* 2. *diſp.* 39. *art.* 1. *q.* 3. Richar. *ibidem*, *art.* 1. *q.* 3. Gabr. *q. vn. art.* 3. *dub.* 2. & S. Anton. *par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. §. 4. non fore hominem ſimpliciter perplexum, aut conſtitutum in abſoluta neceſſitate peccan- 5
di: poterit enim, vt ſuppono, & debebit deponere errorem, quo depoſito, ceſſabit conſcientia, cum ex ſolo errore nota fuerit; dum autem conſcientia non deponitur, ſed perſeuerat, adeſt quidem peccandi neceſſitas non tamen abſoluta, & antecedens, ſed ex hypotheſi, & conſequens; nempè, ſi nolis deponere errorem, quem deponere potes, & debes ideoque tibi indirectè voluntarius exiſtit.

Aduerte tamen, tunc errorem vincibilem, 6
ſeu culpabilem eſſe, cum intellectus aliquid agendum vel omittendum iudicat (non ſine dubio, ſeu formidine oppoſiti) explicitè, vel implicitè dictans, rem conſiderandam eſſe: nam in tali caſu voluntas nec debet velle, neque nolle, quod intellectus proponit; quia datur medium inter hæc, ſcilicet intellectum ad rem melius conſiderandam applicare.


Quod, ſi quis adeò perplexus ſit, vt vtrumque 7
oppoſitorum eſſe peccatum arbitretur (mentiri ſcilicet contra virtutem veritatis, & non mentiri contra virtutem miſericordiæ) & ſe à tali errore explicare non poſſit neminemque habeat quem conſulat, eligere debet, quod minus malum apparet; v. g. in caſu poſito mentiri, vt culpa, quæ grauior videtur, contra miſericordiam vitetur; cum enim omne peccatum non neceſſitate committatur ſed liberè, debet homo perplexus ex inuincibili errore putans ſibi neceſſitatem impoſitam, ex duobus (quæ alioquin peccata eſſe, arbitrantur) alterum committendi formare practicum iudicium, non fore ſibi hîc, & nunc imputandum, ſi quod minus malum ſibi videtur, elegerit, Abb. *in cap. non magnopere nu. vltimo de Immunit. Eccleſiaſt. & alij paſſim.*

Quod, ſi tandem quis adeò perplexus ſit, vt neque hoc ipſum iudicare poſſit, quodnam

ſcilicet ex propoſitis ipſi malis minus exiſtat, non peccabit, quidquid egerit; quia nemo neceſſitate peccat, vti dicebam *Dubit.* 5. & docent, Henriq. *lib.* 12. *cap.* *nu.* 7. & alij communiter.

8 Vnde ſimiliter, ſi Parrochus ad Eccleſiam die feſto veniens, ſacrificaturus pro populo, recordatur, ſe ieiunum non eſſe, nec alius Sacerdos vocari poteſt, neque populus edoceri, vt ſine Miſſa diſcedat, tali caſu Parrochus perplexus de peccato aduerſus reuerentiam Sacramenti, ſi celebret, & de peccato ſcandali, ſi non celebret, debet (ſuppoſito quod ſcandalum vitari non poſſit) celebrare; quia

9 lex Eccleſiaſtica cedit maiori legi naturali charitatis; ſi tamen hanc ipſam veritatem attingere nequeat, & alium non habeat, à quo edoceatur; non peccabit Parrochus (licet non celebret cum populi ſcandalo) ſeu id maius malum eſſe arbitratur, quam non ieiunum celebrare, ſeu quodnam ex his duobus maius malum ſit, propter ignorantiam determinare non poteſt. Vide *cit. Dubit.* 5.



DVBITATIO XI.

An ad rectè, ſeu honeſtè operandum, ita deponendum ſit dubium, vt requiratur iudicium practicum moraliter certum, quo excludatur omnis formido oppoſiti?

SVMMARIVM.

1. *Dubium eſt cum mens anceps hæret, vt neutri parti contradictionis aſſentiatur.*
2. *Opinio eſt aſſenſus incertus, & non carens ſaltem virtuali formidine oppoſiti.*
3. *Iudicium ſeu animi ſententia certa excludit omnem dubitationem, ac formidinem partis oppoſitæ.*
4. *Dubium aliud eſt iuris, aliud facti.*
5. *Dubium iuris eſt ſi ſit de obligatione, vel facultate legitima agendi, vel de legitimo valore actus, & diuiditur, in ſpeculatiuum, & practicum.*
6. *Dubium iuris ſpeculatiuum eſt in quo non quæritur de praxi nempè de actione humana an ea licita ſit nec ne, ſed de quodam alio legitimo.*
7. *Dubium iuris practicum eſt in quo quæritur de praxi, ſeu de actione humana an ea licita ſit.*
8. *Afferuntur dubij diſtinctiones in dubium generale, & abſtractum, & practicè practicum, & quæ ſint.*
9. *Dubium facti eſt in quo dubitatur an aliquid factum ſit.*
10. *Dubium iuris ſæpè oritur ex dubio facti, & è contra.*
11. *Afferuntur diſtinctiones ſcientiæ, & opinionis inſtar diſtinctionum, ſeu diuiſionum dubij.*
12. *Agere aliquid, vel omittere cum dubio propriè practico ſemper eſt peccatum.*
13. *Omnis actus humanus rectus, & honeſtus debet eſſe prudens & prudentia conſiſtit in iudicio mentis definientis quid hic, & nunc licitè fiat, vel non fiat.*
14. *Exponens ſe peccandi periculo peccat eodem genere peccati, cui ſe exponit.*
15. *Ad rectè, ſeu honeſtè operandum probabilius requiritur iudicium practicum moraliter certum, quo excludatur omnis formido oppoſiti.*
16. *Prima regula humanarum actionum debet eſſe firma, & conſtans.*
17. *Scrupulum eſt ex inani ratione apprehenſio.*
18. *Perplexitas per quam intellectus iudicat vtrumque oppoſitorum excipitur à doctrina ſupra tradita.*

SVppono, ſicuti dicebam *Dubit.* 1. aliud eſſe dubium aliud opinionem, aliud ſententiam, ſeu iudicium animi certum: nam dubium eſt; cum mens anceps hæret, vt neutri parti contradictionis aſſentiatur. Opinio eſt aſſenſus incertus, & non carens, ſaltem virtuali, formidine oppoſiti; quare opinio aliquid de dubio participare cenſetur. Iudicium, ſeu animi ſententia certa excludit omnem dubitationem, ac formidinem partis oppoſitæ, idque vel propter euidentiam obiecti, vel propter authoritatem dicentis. 1 2 3

Suppono ſecundò, dubium, aliud eſſe iuris, aliud facti: Dubium iuris eſt, ſi ſit de obligatione, vel facultate legitima agendi, vel de valore actus, &c. quod diuiditur in ſpeculatiuum, & practicum: Dubium iuris ſpeculatiuum eſt, in quo non quæritur de praxi, nempè de actione humana; an ea licita ſit, nec ne; ſed de quodam alio legitimo; v. g. an baptiſmus collatus in nomine CHRISTI ſit validus; an hoc teſtamentum ſit legitimum; an hoc matrimonium ſit validum; an hoc bellum ſit iuſtum, &c. Dubium iuris practicum eſt, in quo quæritur de praxi, ſeu de actione humana; an ea licita ſit; Et tale dubium (vt notant Cajet. *to.* 1. *tract.* 31. *opuſc.* 17. *Reſponſ.* 13. *Dub.* 7. Couarr. *reg.* *poſſeſſor.* *par.* 2. §. 7. *nu.* 2. Nauarr. *in ſum. prælud.* 9. *n.* 9. & Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 42. *nu.* 4. & *lib.* 1. *moral. cap* 9. *nu.* 3. Vnum eſt generale, & abſtractum; v. g. an contractus talis ſit vſurarius, an liceat die feſto pingere, bellare, &c. aliud eſt propriè practicum, ſeu practicè practicum; quia proximè eſt de praxi, ſeu actione morali, ſpectatis eius ſingulis circumſtantijs; dubium illud generale, & abſtractum eſt magis remotum à praxi, ideóque dicitur ſpeculatiuum, comparatione ſcilicet alterius dubij magis practici, vt rectè notauit, Sanch. *cit. diſp.* 41. *nu.* 4. Dubium facti eſt, in quo dubitatur, an aliquid factum ſit, v. g. an votum elici- 4 5 6 7 8 9

tum; an septemnium completum, an promissio facta, vel acceptata, an baptismus collatus, an diuinum officium dictum, &c.

10 Cæterum ex dubio facti sæpè oritur dubium iuris, v. g. dubitans, an fecerit votum religionis mox dubitare incipit, an eo obligetur, similiter ex dubio iuris sæpè oritur dubium facti, v g. dubitans, an baptismus fuerit validus, mox dubitare incipit, an repeti debeat; & dubitans, an matrimonium fuerit validum, mox dubitare incipit, an vsus licitus sit, &c.

11 Porrò, sicuti dubium, ita & opinio, & sententia diuidi debent, quod alia sit de iure, alia de facto, & illa vel merè speculatiua, vel practica; illaque vel in generali & in abstracto (ideòque sententia potius speculatiua) vel in particulari, & propriè, ac proximè practica, seu operis directiua.

12 Suppono tertiò, agere, vel amittere aliquid cum dubio propriè practico, semper esse peccatum. Ita communiter Doctores; & probatur, tum ex Apost. *ad Rom.* 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*, scilicet quod non sit cum determinato intellectus iudicio, seu conscientia, licitum esse, quod hìc, & nunc agitur, vel omitti-
13 tur, id peccatum est; tum ratione; quia omnis actus humanus rectus, & honestus debet esse prudens; at prudentia consistit in iudicio mentis definientis quod hìc, & nunc licitè fiat, vel non fiat, ergò: tum quia, qui agit, vel omittit cum dubio practico, nempe dubitans, an agendo vel omittendo peccat, iste exponit se peccandi; periculo, ergo peccat: nam expo-
14 nens se peccandi periculo peccet eodem genere peccati, cui se exponit, vti rectè docet S. Tho: *quodlibet.* 8. *art.* 13. & Nauar. *cap. qualitas*, *nu.* 18. *dist.* 5. *de poenit.* vide etiam, quæ dicentur infra *tract.* 3. *dubit.* 1. His suppositis.

Respondetur (quamuis Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 5. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *nu.* 19.
15 putent, ad rectè, seu honestè operandum sufficere assensum probabiliter dictantem, & si non sine formidine oppositi, hoc, vel illud honestè agi) probabilius tamen esse contrarium; requiri scilicet iudicium practicum, moraliter certum: quo excludatur omnis formido oppositi; atque ita docent Caiet. *ver. opinionis vsus*, Armilla. *ver. opinio.*, *nu.* 2. Nauar. *cap. siquis autem*, *nu.* 63. *dist.* 7. *de pœnit.* *Suar. to.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *nu.* 14. *& sect.* 6. *nu.* 6. Less. *de iust. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. *de prudentia.* Vide, quæ dicentur *tract.* 3. *Dubit.* 1.

16 Probatur; quia prima regula humanarum actionum debet esse firma, & constans (nempè conscientia recta, quæ est actus prudentiæ, vnius ex intellectualibus virtutibus, quæ semper ad verum, & nunquam ad falsum inclinant, teste Aristot. 6. *Ethic. cap.* 3. opinio autem interdum nos fallit: ergò.

Secundò, quia qui operans, practicè certus non est, an rectè, & honestè operetur, is se exponit periculo practicè errandi, seu peccandi, ergo peccat, vt suprà dicebam.

Cæterum, quæ dixi, intellige de incertitudine, ac formidine intellectus iudicantis,
17 non de scrupulo, quæ est ex inani ratione apprehensio, & inde exortus apprehensiuus peccatum alicubi esse, vbi non est timor, nam sicuti dicam *tract.* 4. cum tali irrationabili formidine potest, quin & debet consistere dictamen, seu iudicium intellectus, rectè, ac honestè aliquid agi, nonobstante vana illa apprehensione peccati.

Porrò ab hac doctrina excipienda est per- 18
plexitas per quàm intellectus iudicat, vtrumque oppositorum (facere scilicet, & omittere) esse peccatum, eoque errore non potest se expedire (inquo casu, si quod minus peccatum apparet, homo elegerit, non peccat, vti dicebam *Dubit. præcedenti*) quia dicere, hominem semper peccare, si, quod agit, peccatum esse, putat, aut dubitat, verum est, si amplectatur liberè actionem malam, non autem, si necessariò, sicuti accidit in casu nostro; cum vtrumque, tam agere quàm omittere per inuincibilem ignorantiam peccatum esse apprehendit.



Objectiones.

SVMMARIVM.

1. *Iudicium practicum moraliter certum quo excludatur omnis formido oppositi requiritur ad rectè, seu honestè operandum.*
2. *Iudicium practicum sequitur etiam ex ratione solum probabili.*
3. *Opinio, quæ non est aliena à recta ratione prudenter amplecti potest.*
4. *Veritatis exacta certitudo difficilè in moralibus reperitur.*
5. *Opinionum quænam probabilior sit valdè difficilè est examinare, & propterea ad id nemo tenetur.*
6. *Opinionem probabilem sequi in operando absolutè licitum est, etiamsi speculatiuè operanti minus probabilis videatur.*
7. *Opinio speculatiua eo ipso quod incerta, & forsan falsa est non potest esse regula operationis.*
8. *Conscientia non est speculatiua aliqua opinatio sed practicum certum iudicium de agendo.*
9. *Datis duabus probabilibus quæstionibus licitum est sequi opinionem etiam minus tutam.*
10. *In moralibus non est necesse sequi quod est optimum, & tutissimum, sed sufficit sequi quod est bonum, & rectum.*
11. *Lapsus in peccatum mortale ordinariè non tenetur ad confitendum statim habita copia confessoris contra Alensem, Bonauenturam, & alios.*
12. *Regula quod in dubijs tutior pars est eligenda intelligitur de consilio non præcepto.*
13. *Item intelligitur de dubio negatiuo, non de positiuo, seu probabili quod est opinio, vel intelligitur de dubio practico, non speculatiuo & abstracto.*
14. *Certitudo conscientiæ, quam operans habet, non est speculatiua ex principijs rei intrinsecis*

petita, ſed eſt practica ex rei extrinceſis, & practicis principijs deſumpta cum enim vtraque opinio v. g. ſit certa, non poteſt ex certis ſequi niſi certum contra obiectum aduerſariorum.

15. *Doctores diuiſi pro vtraque ſententia conſcientiam practicè certam formare non poſſunt, interim tamen non prohibent quominus alij DD. habentes pro certis ſuis opinionibus non poſſint concludere certum iudicium.*

16. *Doctor conſultus poteſt conſulenti conſilium dare non ſolum ex propria; ſed etiam ex oppoſita aliorum probabili ſententia, ſi forſan hæc illis fauorabilior ſit.*

17. *Doctor conſultus poteſt conſulenti ſignificare opinionem defenſam à quibuſdam DD. tanquam probabilem, quam proinde illi ſequi liceat, quamuis talem ſententiam ſpeculatiuè falſam eſſe credat.*

18. *Conſulens in re dubia ius habet ſe conformandi opinioni, quæ à quibuſdam viris doctis defenditur.*

19. *Confeſſarius ſiue ordinarius, ſiue delegatus, ſi pœnitens in praxi ſequatur opinionem, quam quidam DD. tanquam probabilem, & tutam defendunt, licet ipſe confeſſarius eam ſpeculatiuè improbabilem iudicet, tenetur abſoluere.*

20. *Confeſſarius audita confeſſione non poteſt denegare abſolutionem rectè diſpoſito, & obicem peccati non ponenti.*

21. *Confeſſarius non eſt ſuperior ſimpliciter pœnitentis, neque habet ius præcipiendi in omnibus pœnitenti, ſed ſolum in ordine ad peccata confeſſionis.*

22. *Subditus tenetur obedire ſuperiori ſecundum opinionem probabilem præcipienti, etiam contra propriam probabilitatem, & tutiorem.*

23. *Præſumptio ſtat pro ſuperiore in dubio inter ſuperiorem, & ſubditum.*

24. *Amplia etiamſi dubitetur de poteſtate præcipiendi.*

25. *Limita ſi graue incommodum in perſona, rebus, vel honore timeatur obedienti, vel alteri perſonæ.*

1 Bijcies: ad rectè, ſeu honeſtè operandum, ſicuti dicam *tract.* 3. *Dubit.* 1. ſufficit, vt ratio aliqua efficax, vel probabilis appareat, qua deponatur dubium, ergo non neceſſario requiritur iudicium practicum, moraliter certum, quo excludatur omnis formido oppoſiti.

2 Reſpondetur: Nego conſequentiam; quia ex ratione etiam ſolùm probabili ſequitur iudicium practicum, moraliter certum, in hunc modum: Opinionem, quæ non eſt aliena à recta ratione, poteſt quis prudenter ſequi; at
3 opinio probabilis non eſt aliena à recta ratione, ergò poteſt quis eam prudenter ſequi. Minor patet ex definitione opinionis probabilis, quæ eſt, ſi (vti dicam *tract. ſequenti*) vel graui authoritate, vel graui ratione nititur. Maior etiam patet; & confirmatur; quia, cùm in
4 moralibus difficilè ſit, reperire exactam veritatis certitudinem, ſufficit ſequi, quod eſt
5 probabile: nam valdè difficilis, & propè impoſſibilis obligatio foret, ſi quis examinare ſemper debeat, quænam duarum opinionum efficaciori ratione, vel plurium, aut doctiorum Doctorum authoritate nitatur.

Hinc ſequitur, abſolute licitum eſſe, probabilem opinionem in operando ſequi; quod autem & licitum etiam ſit (tametſi ipſi operanti ſpeculatiuè minus probabilis, & oppoſita probabilior appareat) indè probatur, quia ſpeculatiua illa opinatio, eo ipſo quod incerta, & forſan falſa ſit, non poteſt eſſe regula operationis, conſequenter operans aliam regulam, illamque certam, ſequi debet, nem- 6
pè quod in dubijs quæſtionibus circa mores quiſque operari poteſt ſecundm opinionem, quam viri docti, vt probabilem defendunt; Neque verò tunc agit contra propriam con- 7
ſcientiam; cum conſcientia non ſit ſpeculatiua 8
aliqua opinatio, ſed practicum certum iudicium de agendo, quod in tali caſu per reflexionem formari poteſt, vt infra dicetur.

Sequitur ſecundò, ex duabus probabilibus 9
quæſtionis partibus licitum eſſe etiam, eam ſequi, quæ minus tuta eſt, nempè minus, quàm eius oppoſita, ab omni peccati ſpecie remota videtur (quidquid in contrarium dicere videantur Caiet. *ver. opinionis vſus*, Syl. *ver. dubium, q.* 2. Io. Maior *in prologo* 4. *ſent. q.* 1. *concl.* 3. & Corduba *in qq. lib.* 2 *q.* 3 *prop.* 3.)
quia in moralibus non eſt neceſſe ſequi, quod 10
eſt optimum ac tutiſſimum ſed ſufficit ſequi, quod eſt bonum, ac tutum; at quod tradit opinio probabilis, eſt bonum ac tutum; ergò licitum eſt, eam ſequi, licèt oppoſita opinio ſit tutior, nempè remotior ab omni peccati ſpecie vel ſimilitudine. Minor patet ex dictis. Maior probatur; quia alioquin conſilium non differret à præcepto; tum quia nimis grauis foret hominis operantis obligatio: Exemplum huius doctrinæ dat S. Anton. *par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. ex S. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. qui probabiliter docet, quod lapſus in peccatum mortale ordinariè non teneatur ad confitendum ſtatim, habita copia Confeſſoris, cum
tamen contrarium doceant Alenſis *par.* 4. *q.* 77. 11
memb. 4. *art.* 2. & S. Bonau. *cit. diſt.* 17. *par.* 2. *art.* 2. *q.* 2. quorum opinio ſine dubio eſt tutior, & conſultior, cum nihilominus in praxi licita ſit etiam probabilis opinio S. Thomæ.

Inſtabis. *Cap. Iuuenis de Sponſal.* &c. *ſiquis au-* 12
tem, diſt. 7. *de pœnit.* *In dubijs tutior via eſt eligenda.*

Reſpondetur cum S. Anton. *loc. ſuprà cit* & Nauar. *cit. c. ſiquis autem, nu.* 34. & ſum *cap.* 27. *nu.* 281. id intelligi de conſilio, non de præcepto.

Reſpondetur ſecundò, intelligi de dubio ne- 13
gatiuo, non de poſitiuo, ſeu probabili; Vel reſpondetur, intelligi de dubio practico (vt ſi dubito, vel incertus ſum, an mihi hîc, & nunc licitum ſit, contractum talem inſtituere, peccabo, niſi abſtineam; quia committerem me peccandi periculo) non de dubio abſtracto, & ſpeculatiuo; v. g. an contractus talis ſecundùm ſe & ſua natura ſit iuſtus: nam tunc non eſt opus ſequi partem tutiorem; quia ſequendo partem minus tutam, tamen probabilem, poſſum formare conſcientiam, ſeu iudicium moraliter certum, licitum eſſe mihi hîc, & nunc operari ſecundùm opinionem ſpeculatiuè

probabilem, licet certior, & à peccandi periculo, vel potius a specie periculi, remotior essem sequendo opinionem oppositam; Et in hoc sensu locum habet iuris *reg. 31. in. 6. Qui certus est, certiorari vlterius non oportet*; & patet responsio ad alteram illam regulam *cit. c. si quis autem* (quæ videtur contraria) *tene certum, & dimitte incertum*.

14 Reinstabis. Non potest in operando certus esse, qui incertam, & dubiam opinionem sequitur; quia ex incerto non potest colligi certum.

Respondetur ex dictis, certitudinem conscientiæ, quam operans habet, non esse specnlatiuam ex principijs rei intrincesis petitam, sed esse practicam ex rei extrinsecis, & practicis principijs desumptam, v. g possum in praxi me conformare Doctorum opinioni probabiliter docenti, aliquid esse licitum agere; sed Doctores aliqui probabiliter docent, talem contractum v. g. celebrare, licitum esse, ergò possum me hinc opinioni conformare; vbi vides, vtramque huius practici discursus propositionem certam esse; ex certis autem non potest sequi, nisi certum.

15 Vrgebis. Non desunt Doctores, qui negent, maiorem huius ratiocinationis propositionem veram esse: cum ponamus, esse Doctores, qui negent, opinionem, quæ defendit iustitiam talis contractus, probabilem esse, putantes se habere demonstrationem de contrario (quo casu minor etiam propositio certa non est) ergo ea ratiocinatio non habet veritatem certam.

Respondetur, hinc non plus probari, quam, quod hi ipsi (qui ita putant) conscientiam practicè certam formare non possint; interim tamen non prohibent, quominus alij Doctores, tam maiorem, quam minorem propositionem pro certis habentes, ex ijs certum iudicium practicum concludant; neque etiam prohibent, quominus alij rem ipsam secundùm se non ita penetrantes, horum Doctorum authoritatem secuti certo putent, quod hi docti, & probi viri agunt, vel ab aliis agi posse, fatentur, se bona conscientia sequi, quantumuis aliis reluctantibus.

16 Hinc sequitur, quod Doctor consultus possit consulenti consilium dare; non solum ex propria, sed etiam ex opposita aliorum probabili sententia, si forsan hæc illi fauorabilior sit; Lopez *p. 1. cap. 120.* Sayr *lib. 1.* Claui Reg. *cap 6. nu. 11.* Vasq. *disp. 62. cap. 9. nu. 47.* & Sanch. *cit. cap. 9. nu. 20.*

17 Quinimo Doctor consultus potest consulenti significare, opinionem à quibusdam Doctoribus, tanquam probabilem defendi, quam proinde illi sequi liceat (quamuis Doctor consultus, talem sententiam speculatiuè falsam esse, certò teneat, vt proinde in praxi ipse sequi eam non possit:) cum enim consu-
18 lens in re dubia ius habeat, se conformandi opinioni, quæ à quibusdam iuris doctis defenditur, nonobstante, quod alij illam speculatiuè improbabilem iudicent, hoc ipsum ius consulenti Doctor iudicare potest; atque hinc fit, quod vir doctus diuersis, secundùm oppositas probabiles opiniones, opposita consilia dare possit.

Sequitur secundò, quod si pœnitens in pra- 19
xi sequatur opinionem, quam quidam Doctores, tanquam probabilem, ac tutam defendunt, confessor autem (seu ordinarius, seu delegatus) eandem speculatiuè improbabilem iudicet, nonobstante sua persuasione, teneatur absoluere; Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad quintum*, Nauar. *in sum. cap. 26. nu. 4. &c. si quis autem, dist. 7. de pœnit. nu. 54. & seqq. & lib. 1. consil. 1. de constitut. qu. 12.* Victor. *de confess. nu. 177.* Med. *lib. 1. cap. 8. & 1. 2. q. 19. art. 6.* Sanch. *nu. 27.* & Vasq. *cap. 7.* quia Confessarius, audita confessione, 20
non potest denegare absolutionem pœnitenti rectè disposito, & obicem peccati non ponenti; sed sequendo opinionem probabilem pœnitens non peccat, ac proinde quantum est ex hoc capite, rectè dispositus est; ergò non potest absolutione priuari; quare reprehendendi sunt (qui nolentes confitentem absoluere contra propriam conscientiam, eum mittunt ad alium confessorem, qui contrariam opinionem probabilem tenet) nam si alter potest absoluere, poteris, & tu; cum tua speculatiua persuasio obesse pœnitenti non debeat.

Dices: Confessor est pœnitentis superior; ergò pœnitens tenetur, deposita propria opinione, sequi opinionem Confessoris præcipientis.

Respondetur, Confessorem non esse supe- 21
riorem simpliciter, neque habere ius præcipiendi in omnibus pœnitenti, sed solum in ordine ad peccata confessionis; at, vt supra dicebam, pœnitens non peccat sequendo opinionem, quæ à DD. probabiliter defenditur, ergò nihil illi confessor in hac causa, tanquam subdito, potest præcipere.

Sequitur tertio, quod superiori præcipien- 22
ti secundùm opinionem probabilem tenetur subditus obedire, etiam contra propriam probabiliorem, & tutiorem, Cordub. *lib. 3. q. 4.* Vasq. *disp. 62. cap. 6.* & Maranda. *to. 1. q. 26. art. 1.* quia, si subditus potest aliquid agere licitè, præcipiente superiore, ergo etiam debet; at quisque agere potest licitè secundum opinionem probabilem, etiam contra propriam probabiliorem, ac tutiorem, vt supra dicebam, ergò subditus, præcipiente superiore, obedire etiam debet. Confirmatur; quia in dubio 23
inter superiorem, & subditum præsumptio est pro superiore, *argum. c. quid culpatur, 23. q. 1.*

Idem dicendum, si dubitatur de potestate 24
præcipiendi an scilicet limites excedantur, an iusta causa subsit, &c, Less. *lib. 22. cap. 41. nu. 77.* & Maranda *loc. cit. art. 6. argum. cit. c. quid culpatur.*

Excipe, si graue incommodum in persona, 25
rebus, vel honore timeatur obedienti, vel alteri personæ: tunc enim subditus sequi potest partem benigniorem; vt obedire cum tanto incommodo non teneatur, quamdiù non constat, præceptum iustum esse, Medina *1. 2. q. 19. art. 6.* Adrianu. *quodlibet 2. par. 1. ad 3.* Arago. *2. 2. q. 63. art. 2.* & alij; Sed de his omnibus dicam diffusius, *tract. 2. & 3. seqq.*

TRACTATVS II.

DE CONSCIENTIA OPINANTE, SEV De Opinione.

DVBITATIO I.

Quæ nam opinio sit probabilis, & quænam probabilior?

SVMMARIVM.

1. *Opinio probabilis firma ratione fulcitur, neque admittit contra se rationem aliquam conuincentem, & cur?*
2. *Opinio non ex eo amittit suam probabilitatem, quod in sententia alicuius saluari nequeat, dummodo ab aliquo alio eius probabilitas adstruatur.*
3. *Ratio aliqua sæpè alteri insolubilis, alteri vero solubilis videtur.*
4. *Opiniones aliorum quæ vt probabiles circumferuntur, non sunt iudicandæ impossibiles licet ita eas aliqui existiment.*
5. *Opinio aliqua probabilior alteri probabilis tantum videtur, & cur.*
6. *Actiones humanæ regulandæ sunt pensatis opinione, & eo, quod agens morale sentit in conscientia.*
7. *Opinio bifaria consideratur & ab intrinseco, & ab extrinseco.*
8. *Opinio in communi est quæ certitudinem non habens firma tamen ratione, vel graui authoritate fulcitur.*
9. *Auctoritas grauis censetur si sit vnius viri docti, & probi post bene perspectas rationes, & discussas sententias oppositas.*
10. *Opinio inuenta contrà communem, & reiecta re bene discussa ab alijs communiter, non censetur probabilis.*
11. *Opinio probabilis firma ratione fulciri intelligitur si vir doctus, & rerum peritus contraria perspexerit, & dissoluerit.*
12. *Limita nisi ab alijs tanquam improbabilis, & erronea, re bene discussa damnata fuerit.*
13. *Opinio probabilior est, cui lex eo loco recepta assistit.*
14. *Iudex in mandatis habet vt secundum leges iudicet.*
15. *Iudex potest supplere quod scit legibus, & iuri publico conuenire si à litigantibus, & eorum Aduocatis omissum sit.*
16. *Limita id procedere solum in iure, quod pars ignorabat, non vero in facto ipsius partis, nisi notitiam publicam ex actis, vel instrumentis acceperit.*
17. *Opinio probabilior item est, cui loci consuetudo fauet.*
18. *Opinio probabilior item est, quam Doctores in eo genere periti communiter sequuntur, at non præcisè quia ab ijs defenditur, sed ob rationem efficaciorem præsumptam.*
19. *Opinio, quæ caret firmo fundamento licet communis sit, non tamen est probabilior.*
20. *Opinioni carenti simpliciter fundamento, simpliciter credendum non est.*
21. *Opinio communis æstimanda non est nisi etiam ab alijs ex professo quæstionem tractantibus firmis rationibus confirmetur.*
22. *Asserenti hinc inde de communi credendum non est nisi visis auctoribus pro vtraque parte, ac perpensis numero, auctoritatibus, & validioribus fundamentis.*
23. *Iudex, cum nequeat cognosci quæ nam verè sit communis opinio potest adhærere cui maluerit, nec tenebitur in sindicatu.*

24. *Imo nec tenebitur quoties sequitur opinionem probabilem relicta probabiliori, & cur.*
25. *Opinio minus communis licitè præferri potest communiori, si rationem efficacem habeat pro se.*
26. *A communi sententia recedendum non est, nisi sit in contrarium textus expressus, uel ratio efficax.*
27. *Opinio vt probabilis constituta esse dicatur, sufficit vnius grauis Doctoris dictum contra communem si firmæ nitatur rationi ab alijs insufficienter solutæ.*
28. *Ecclesia Dei quotidie in dies illuminatur, & interdum reuelatur minori quod maior nescit.*
29. *Doctor singularis vt plurimum timere debet ne decipiatur.*
30. *Prudentia potius petit aliorum iudicio communi se subijcere quam contra illud sapere.*
31. *Propositiones alicuius Doctoris Neoterici contra communem non sunt iudicandæ improbabiles nisi improbabiles à sede Apostolica habeantur.*
32. *Consilium alicuius Doctoris typis mandatum fortius mouet ad agendum, quam verbo tenus prolatum.*
33. *Propositio Doctoris antiqui, & eius opinio licet suo tempore probabilis dubium nunc potest an antiquata sit, & à sede Apostolica reprobata.*
34. *Opinio alicuius Doctoris vt censeatur probabilis contra communem non sufficit si incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit.*
35. *Confessio incidenter, vel ad alium finem facta non præiudicat confitenti; sed requiritur vt resolutoriè dicatur.*
36. *Confessio dicta in indice libri etiam cum assignatione rationis non præiudicat confitenti, contra Sancium.*
37. *Opinio probabilis non constituitur per factum vnius Doctoris pij, qui motiuum facti specificatiuum potest esse ignotum alteri; secus autem si plures viri docti, & pij id efficiant absque scrupulo.*
38. *Opinio benignior cæteris paribus præferenda est.*
39. *Causæ fidei, Religionis, atque salutis animæ fauorabiles sunt.*
40. *Reo potius fauendum est quam Actori si partium iura sint obscura.*
41. *Reus absoluitur actore non probante.*
42. *Reus non absoluitur ex capite innocentiæ si Actor succumbat. sed ex eo quod Actor non probauit quando causa vt dubia.*
43. *Pœna non debet esse certa sine culpa certa.*
44. *Probationes in criminalibus debent esse luce meridiana clariores.*
45. *Iudex in criminalibus existente opinione æquè probabili sequi potest quam magis voluerit.*
46. *Opinio singularis alicuius Doctoris probabili rationi nitens præferenda est communi contrariæ si defendat valorem matrimonij vel faueat causæ piæ.*
47. *Opinio quæcumque similis defendens valorem actus præferenda est contrariæ opinioni licet sit contra Reum in fauorem actoris.*
48. *Puer filius infidelis, de cuius vsu rationis dubitatur quocumque dubio siue positiuo, siue negatiuo si petat baptizari etiam renuente Patre baptizandus est, si commodè expectari non possit donec certius appareat de rationis vsu.*
49. *Puer oblatus à Patre. vt baptizetur si non constet de rationis vsu, & ipse renuat baptizari, nihilominus baptizandus est.*
50. *Spiritualis necessitas proximi magis attendenda in administratione Sacramentorum quam reuerentia Sacramenti.*
51. *Absolutio impendi etiam potest in articulo mortis ei, qui petijt confessionem.*
52. *Amplia vt absoluendus sit etiam sine conditione si versemur in bubio positiuo, & improprio; secus autem si in dubio negatiuo, & proprio.*
53. *Testi deponenti infirmum, dedisse signa contritionis credendum est etiam non iurato, imo & infideli, & cur.*



Respondetur, & Dico primò. Opinio probabilis est, quæ firma ratione fulcitur, & contra se non habet rationem conuincentem: quia si haberet, non opinio. sed er- 1
ror esset: contingere verò potest, vt tibi ratio aliqua in contrarium videatur conuincens, & non propterea opinio probabilitatem amittit; quia licet tu non possis rationem illam soluere, poterit alius; & hoc tibi debet persuadere; cùm sæpè multæ rationes tibi insolubiles videantur, quæ ab alio facilè soluentur quapropter imprudenter ageres, si ob hanc causam aliorum opiniones, quæ, vt probabiles circumferuntur, tu improbabiles iudicares. Vide Vasq. 1. 2. *quæst.* 19. *disp.* 62. *cap.* 4. *nu.* 8. Azor. *tom.* 1. *instit.moral. lib.* 2. *cap.* 9. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *nu.* 6. Sayr. *in claui Reg. lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 7. & Ioan. Sancium. *in select. disp.* 14. *nu.* 8. Contingere etiam potest, quod aliqua opinio probabilior sit, non tamen tibi sic videatur, vel quia eius rationes, & Authores non noueris, vel quia tibi contrariæ rationes probabiliores videntur; Ad actiones tamen regulandas non tam attendere debes, quid opinio in se habeat, sed qualis tibi videatur, vt rectè dixit, Caiet. quem citat, & sequitur Anton. Perer. *certam. Scholast.* 10. & Villalobus *in summa tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 4. *nu.* 8. 2 3 4 5 6

7 Hactenus de opinione probabili ab intrinseco locutus sum, non de opinione probabili ab extrinseco; quapropter si de opinione probabili in communi loquamur, sic illa definiri poterit est: *quæ certitudinem non habet tamen vel firma ratione, vel graui authoritate fulcitur*; authoritas grauis hic censetur, quæ est saltem vnius viri docti, & probi, qui talem doctrinam non inconsideratè, ac temerè, sed post perspectas rationes, quæ in oppositum afferri possent, amplexus est; quod quidem ab ipso factum fuisse, alij plerumque præsumere possunt, præsertim indocti; Ea verò opinio non facilè probabilis censeri debet, quam vnus, quin plures contra communem inuenerunt, alij autem postea examinantes, communi calculo, tanquam improbabilem reiecerunt, adductis rationibus, vel principum decretis, ad quæ priores illi; vel non attenderunt vel solidè non responderunt: Vide, quæ dicentur infrà; Vide etiam S. Thomam *quodlibet* 3. *art.* 10. Siluest. 8 9 10

vers.

vers. opinio quæst. 1. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 288. Vasq. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 17. *& seq.* Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 7. *&* 11. & Sa. *verb. dubium, num.* 3.

11 Dixi, *opinionem probabilem esse, quæ firma ratione fulcitur*: quod intellige in ordine ad virum doctum, & rerum peritum, qui rationes opinionis contrariæ, licet alioquin communis, perspexerit, & dissoluerit, Vasq. *cit. cap.* 4. *in princip.* Sanch. *cit. cap.* 9. *nu.* 9. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 6.

12 Id tamen vt plurimum limitauerim, nisi singularem viri docti opinionem alij postea discutientes, tanquam improbabilem, & errorem damnauerint; quia tunc non potest ei sua opinio non valde suspecta reddi de falsitate, licet ob intellectus tenuitatem, vel potius ob affectus prauitatem non agnoscat, vt mox infrà dicetur *dict.* 2.

Dico secundò: opinio probabilior est,
13 Primò, cui lex eo loco recepta assistit; quia
14 Iudex in mandatis habet vt secundum leges iudicet, *l. nemo Cod. de sentent. & interlocut. cap.* 1. *de*
15 *constitut. &c. in istis, dist.* 4. Adde, quod, si à litigantibus, eorumque aduocatis minùs dictum fuerit, iudex potest supplere, & proferre, quod scit legibus, ac iuri publico conuenire, iuxta *tit. Cod. vt quæ desunt aduocatis*, & notat Glos. *ibi*, & Abb. *in c. Raynutius de testam. num.* 11. quatenùs ait: *Vbicumque aliquod ius ex deductis in iudicium competit parti, licet pars ignoret, potest, & debet Iudex ex officio supplere, cùm ipsi notorium sit* (quamuis contrarium dixerint Vasq. *cit. cap.* 2. *&* Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 48.) Illa tamen, quæ ad
16 factum pertinent, in sententia omnium non debet iudex proferre, nisi quorum publicam notitiam ex actis, vel instrumentis acceperit, Abb. *in cap. bonæ de postulat. Prælat. num.* 9.
17 Secundo cui loci consuetudo fauet, *l.* 1. *Cod. quæ sit longa consuet.* quia in dubio consuetudo *est optima legum interpres, l. si de interpretatione ff. de legib.* & docet Abb. *in cap.* 1. *de constit. num.* 14.
18 Tertiò quam Doctores in eo genere periti communiter sequuntur, vti dixit Arist. 1. *topicor. c.* 1. ibi: *probabiliora sunt, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, & ijs, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, & illustribus*: non præcisè; quia ab ijs defenditur, sed quia præsumi debet, efficaciorem rationem pro se habere, cum plures ad eam defendendam
19 confluxerint; quare, si careat firmo fundamento; licet communis sit, non erit iudican-
20 da probabilior opinio, quin si careat simpliciter fundamento, simpliciter ei credendum non est, Io. Lupus *in cap. per vestras de donation. inter*
21 *vir. & vxor. notab.* 3. §. 20. *num.* 12. communis autem opinio æstimāda est, non ex numero opinantium (cum fieri soleat, quod vnius dictum plures sequantur nulla noua ratione permoti, sed pecudum more; quapropter tunc potius singularis, quàm communis opinio dici debet) nisi etiam alij ex professo quæstionem tractantes firmis rationibus eamdem opinionem confirment; Nauarr. *cap.* 27. *num.* 286. *& seqq.* Azor. *lib.* 2. *cap.* 8. *ad fin.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 71. *num.* 39. Alciat. *de præ-*
sumpt. regul. 1. *præsumpt.* 51. *num.* 2. & Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 68. Inter Docto- 22
res verò ex professo quæstionem tractantes inuenies plures, qui suam opinionem communem esse contendant; quo casu non facilè scire poteris, quænam verè communis sit, nisi Doctores euoluas, & videas, multò plures, & doctiores stare pro vna, quàm pro altera; quando verò non facilè recognosci potest, quænam verè sit communis opinio, tunc Iudex 23
poterit adhærere, cui maluerit, nec tenebitur in sindicatu, Mascardus *de probation. concl.* 24
1143. *num.* 10. ex Baldo Abb. & alijs: imò nec tenebitur, quoties sequitur opinionem probabilem relicta probabiliori, quia prudenter operatur, & sine peccato mortali, Sanch. *in select. disp.* 44. *num.* 74. *in fin.* qua de re tamen quid ego sentiam, dicam infra.

Quartò, quam rationes firmiores stabiliunt, 25
quod adeò verum est, vt si ratio efficax opinionem minus communem stabiliat, communiori licitè præferri possit, Nauarr. *cap.* 12. *num.* 10. (quatenus ait, quod à communi sententia; 26
recedendum non est, nisi sit in contrarium textus expressus, vel ratio efficax) Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 44. *num.* 2. Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 68. Azor. *lib.* 2. *instit. mor. cap* 10 *quæst.* 2. *& cap.* 13. *in fin.* Henriq. *lib.* 4. *de pontific. leg cap.* 18. *num.* 3. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffin.* 4. *num.* 2. Mascard. *de probation. Concl.* 1143. *num.* 3. *&* 5. & constat *ex l.* 1. §. *neque Cod. de veteri iure enucleand.* ibi, *sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius est, iudicari debet, cum possit vnius forsan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare*, (quem textum commendat Abb. *in cap.* 1. *de constitut.* & ibi. Io. Andreas) *& ex cap. Capellanus, de ferijs*, vbi duæ fuerunt opiniones pontifici propositæ, & posteriorem elegit, quia (inquit pontifex) meliori, & subtiliori rationi nitebatur.

Quapropter cum Vasq. 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 12. Sanch. *cit. cap.* 9. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *cap.* 17. *quæst.* 6. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 4. *num.* 17. & Henriq. *de Pontif. leg. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 13. arbitror, quod vnius 27
grauis Doctoris dictum sufficiat ad probabilem opinionem constituendam, tam sibi, quàm alijs, aduersus communem (non solùm, si res, pro qua est opinio, agitata non sit ab authoribus, vel agitata à paucis, in quo conueniunt Doctores; sed etiam si agitata sit à multis, & ex professo, & omnibus perpensis rationibus) si firmæ nitatur rationi, ab alijs insufficienter solutæ; quia, hoc modo contra communem, & receptam opinionem probabiles opiniones in scholis sæpiùs introductæ sunt, & meritò, quia quod multis reconditum, & abstrusum erat, aliquando alicui manifestatur, quandoquidem Ecclesia Dei quotidie in dies 28
illuminatur, &, vt rectè dicit Glos. *in cap. ad nostram. de consuetud. interdum reuelatur minori, quod maior nescit*: ad quod probandum est optimus textus *in cap. si habes*, 24. *quæst.* 3. & *in cap. esto subiectus, dist.* 95. Quamuis vt plu- 29
rimum talis singularis doctor timere debet, ne recipiatur, & potiùs credere, se errare, quàm iudicio aliorum communi debere præponi

30 quia prudentia potiùs petit aliorum iudicio communi se subijcere, quàm contra illud sapere; præsertim si postea alij eius opinionem examinantes, tanquam improbabilem, communiter damnent.

31 Hinc, si in libro alicuius Doctoris neoterici reperias aliquas propositiones contra communem, non debes illos iudicare improbabiles, quin potiùs probabiles, donec non noueris, improbabiles illas à Sede Apostolica fuis-
32 se iudicatas: quia, si ex consilio illius Doctoris verbotenùs prolato rectè moueri poteras ad agendum (qualiter mouetur discipulus sequendo magistri grauis, & pij sententiam, Abb. *in cit. cap. Capellanus*, Imola *in cap. per tuas 2. de Simonia.* Nauarr. *consil. 2. de Pœnit. & remiss.* & Villalob. *tom. 1. tract. 1. diff. 6. num 1.*) à fortiori moueri poteris ex consilio typis mandato, cum tunc maturiùs proferatur, & ab alijs viris doctis sit approbatum Azor. *lib. 2. cap. 17. quæst. 4. & 5.* Villalob. *loc. suprà cit.*

33 Dixi, *alicuius Doctoris neotorici*, quia de Doctore antiquo dubium esse potest, an eiùs opinio, licet suo tempore probabilis fuerit, antiquata sit, & à Sede Apostolica reprobata, consequenter vir indoctus non tantùm ei fidere debet, Sanch. *cit. cap. 9. nu. 10. & 11.* Vasq. *disp. 62. cap. 4. nu. 17. & seq.* Villalob *tom. 1. tract 1. diff. 9. nu. 1.*

34 Aduerte tamen, vt opinio alicuius Doctoris aduersùs communem probabilis censeatur, non sufficit contra Sancium *disp. 44. nu. 62. in fine*, si incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit, quia (sicuti rectè docet Mascardus *de probation.*) quæ dicuntur incidenter, fortè dicuntur ad colorem, non ad probationem: quapropter confessio inciden-
35 ter, vel ad alium finem facta, non præiudicat confitenti, Glos. *in c. pœnitentibus, dist. 10.* & Doctores *in cap. at si clerici, in princip. de iud.* sed requiritur, vt resolutoriè dicatur.

36 Hæc sufficit, si in indice libri dicta sit, etiam cum assignatione rationis, contra Sancium, *cit. disp. 44. nu. 69.* quia index ab authore non tam accuratè inspicitur, & sæpè non ab
37 ipso authore, sed ab alio tertio efficitur: multò minus sufficit ad probabilem opinionem constituendam factum vnius Doctoris, etiam pij, quia sæpiùs is ad factum moueri potest ex dispensatione, quàm tu non noueris, vel ex passione, aut inaduertentia: non enim religiosus semper operatur, quod honestum est, Sancius *loc. suprà cit. nu. 71.* arbitror tamen sufficere, si plures viri pij, & docti id efficiant absque scrupulo: quia tunc præsumendum est, id licere, San. *verb. dubium num. 3.*

38 Quintò, si cætera sint paria, præferri debet opinio benignior, *iuxta regul. 56. ff.* v. g. quæ fauet promissori, vt scilicet in casu dubio non astringatur, *l. quidquid ff. de verbor. obligat. &*
39 *si semper in obscuris ff. de regul. iur.* Item quæ fauet fidei, religioni, atque animæ saluti, quia tales causæ quàm maximè fauorabiles sunt, cum summa ratio sit, quæ pro Religione facit, *l. sunt personæ ff. de Religios. sumptib. funer.* Item
40 si partium iura sint obscura, Reo potiùs fauendum est, quam actori, *regul. 11. in 6.* quapropter, Actore non demonstrante, Reus absolui 41
debet, non quidem pronunciando, ipsum in- 42
nocentem esse (cum enim causa dubia sit, talis sententia erroris periculo subjaceret) sed crimen de eo demonstratum non fuisse; quia pœna non debet esse certa sine culpa certa: tum 43
quia in criminalibus probationes debent esse 44
luce meridiana clariores: etsi Sanch. & alij teneant, quod in criminalibus etiam existente opinione æquè probabili (siue ex parte iuris, siue ex parte facti) possit Iudex, sicut in ciui- 45
libus, iuxta ea, quæ mox infrà dicentur, sequi opinionem, quam magis voluerit, vel pœnæ partem imponere, nisi aliter ferat consuetudo, vel statûtum: sed quod dixi, propter rationes dictas est multò probabilius

Hinc Sanch. *de matrim. lib. disp. 18. num. 7.* 46
Mascard. *de probation. concl. 1143. nu. 12.* Nau. *cap. 27. num. 287.* & Villalob. *tom. 1. tract. 1. difficul. 7. num. 3.* probant, opinionem singularem alicuius Doctoris probabili ratione nitentem, præferendam esse communi contrariæ, si defendat valorem matrimonij, & adducunt pro se Hostiensem, Abbatem, Felinum, & Decium: Idemque dicendum existimant, si faueat causæ piæ, testamento, libertati, doti, vel similibus: & generaliter, quod quælibet opinio similis, defendens valorem actus, præfe- 47
renda sit contrariæ opinioni, etiamsi sit contra Reum in fauorem actoris: quorum omnium ratio est, quia stat pro omnibus præsumptio iuris, & veritatis pro omnibus illis causis, vt rectè probat Barbatia *in cons. 6. scriptum est præclarè, col. 2. vers. est nouum, vol. 1.*

Hinc etiam, si puer, de quo, examinatis 48
indicijs, dubitatur (dubio, siue positiuo, siue negatiuo) an vsum rationis adeptus sit, petat, renuentibus parentibus infidelibus, baptizari (licet Henriq. *lib. 2. cap. 25. nu. 3.* putet, baptizandum non esse: quia in dubio potior est conditio patris hactenus habentis filium in potestate sua) baptizandus erit, si commodè expectari non possit, donec certiùs appareat de rationis vsu: quia in dubio inclinandum est in fauorem fidei, religionis, & animæ salutis, vti suprà dicebam: cum maior sit hæc iniuria, maiusque detrimentum, si puero, qui fortè rationis vsum habens Sacramentum petit, illud denegetur, quam sit iniuria, & damnum patris, si fortè puer nondum rationis vsum consecutus ab eius voluntate, & potestate abstrahatur: Sot. *in 4. d. 5. art. §. sed alterum*, Suar. *in 3. part. disp. 25. de Baptismo sect. 3.* & Vasq. *ibidem tom. 2. disp. 155.*


Qua simili ratione, si parentes puerum ba- 49
ptismo offerant, at ille baptizari renuat, & consideratis indicijs, dubium manet de rationis, vel vsus discretione (licet baptizandus non esse videatur propter reuerentiam Sacramenti, ne fortè inualidè administretur, sicuti docent nonnulli, inter quos Suar. *cit. sect. 3. in fin.*) baptizandus etiam erit: quia in dubio pro salute animæ (saltem, si periculum sit in mora) pronunciandum est, sicuti suprà etiam dicebam, & tradunt Sotus, & Vasq. *in locis cit.* siquidem minus extimari debet periculum, ne baptismus puero renuenti inualidè conferatur (saltem sub conditione, si capax est) vt euite-

tur maius periculum damnationis æternæ, quod puero immineret, niſi tunc baptizaretur : quia
50 cum Sacramentum inſtitutum ſit in hominum ſalutem, maior habenda eſt ratio ſpiritualis neceſſitatis proximi, quam reuerentiæ Sacramenti : quod propterea cedit iuri ſuo.

51 Quapropter contra loquetum *de confeſſione per litteras cap.* 7. qui petijt confeſſionem abſolui poteſt in articulo mortis ; Zambranus *de Caſib. in mortis artic. cap.* 4. *dub.* 2. Salaſ. *in* 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 5. *nu.* 56. Valentia. *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 11. Bellarmin. *lib.* 2. *de Pontific. cap.* 7. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 36. *nu.* 8. Sylu. *in* 3. *part. quæſt.* 9. *artic.* 2. Reginald. *de offic. confeſſ. cap.* 21. *nu.* 16. & in praxi *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. *nu.* 28. Coninch. *de Sacram. diſp.* 7. *dubit.* 10. *nu.* 99. Pontius *de matrim. lib.* 4 *cap.* 25. *nu.* 8. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 2. §. 7. Monteſin. *in* 1. 2. *diſp.* 29. *quæſt.* 5. *nu.* 176. Pitigianus *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt. vnic. concl.* 4. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 120.

52 Quod adeo verum arbitror, vt abſolui poſſit etiam ſine conditione : quia, cum quis agit probabiliter iudicans non delinquere, poteſt agere abſolutè : nam cum dicitur, miniſtrandum eſſe Sacramentum ſub conditione, ſi de valore eius dubium ſit, intelligi debet de dubio negatiuo, & proprio, non autem de dubio poſitiuo, & improprio, ſeu opinione, vt eſt in caſu noſtro : quare, ſi dubium proprium ſit, num ſigna ſint ex dolore, an ex anguſtia mortis, moribundus ſub conditione abſolui debebit. Vide Io. Sancium *in ſelect. diſp.* 44. *num.* 32.

53 Cæterum, teſtis, qui deponit, infirmum ſigna pœnitentiæ dediſſe, ſufficit ſi ſit quicumque, etiam non iuratus, quin neque baptizatus vel Chriſtianus idque ob ſalutem animæ, quæ eſt maximè fauorabilis, vti ſuprà dicebam.



DVBITATIO II.

An Iudex ſequi debeat opinionem probabiliorem ?

SVMMARIVM.

1. *Opiniones dantur tam circa factum, quam circa ius ortum ex facto : Item circa probationes, & earum maiorem efficaciam, Item circa ius excluſa qualibet facti dubitatione, vide ibi exempla horum.*
2. *Iudex debet ſententiam ferre in fauorem eius, qui habet tam iuris quam facti efficaciores probationes.*
3. *Iudex debet iudicare ſecundum acta, & approbata.*
4. *Iudicis officium eſt partibus litigantibus iudicare ſecundum merita cauſæ.*

Del Bene, p. Pars.

5. *Iudex caſu quo ex parte facti probationes ſint æquales, & ius æquè faueat vtrique Parti ſi res diuiſibilis ſit, in communi ſententia doctorum debet eam diuidere, vel ſi diuidi nequeat, debet partes inter ſe componere contra nonnullos aſſerentes quod poteſt applicare cui maluerit.*
6. *In Iudicijs non eſt habenda acceptio perſonarum.*
7. *Iudex non eſt rei Dominus, ſed diſtributor.*
8. *Reijcitur ratio Ledeſmæ & Cæterorum afferentium exemplum de beneficio Eccleſiaſtico.*
9. *Nemo habet ius ad beneficium Eccleſiaſticum etiam iuſtitiæ diſtributiuæ quouſque eligatur.*
10. *Beneficium Eccleſiaſticum ex dictamine iuſtitiæ diſtributiuæ conferri debet vni ex contendentibus.*
11. *Iudex caſu quo factum & ius faueat æquè vtrique parti, debet pro vtraque parte declarare quia ſententia non tribuit, ſed declarat ius.*
12. *Iudex caſu quo factum, & ius faueat æquè vtrique parti quid agere debeat poſt cauſæ diutius dilatæ accuratam diſcuſſionem.*
13. *Ius non æquè vtrique parti fauet, ſed magis poſſidenti quam non poſſidenti, etiam ſi facti probationes æquales ſint.*
14. *Teſtes ambarum partium ſi ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur.*
15. *Reo fauendum eſt potius quam actori cum ſunt partium iura obſcura.*
16. *Limita niſi ſit contra matrimonium, dotem, libertatem, pupillum peregrinum, viduam, aliamque cauſam piam.*
17. *Limita in caſu quo opinio in contrarium eſſet magis probata, ſeu probabilior quia tunc fauor piæ cauſæ non eſſet attendendus.*
18. *Fauorabilibus cauſis debitores ſumus, ita tamen vt alteri iniuſtitia non fiat.*
19. *Iudex in criminalibus non debet contra Reum ſententiam pronunciare ſi probationes accuſatoris non ſint conuincentes, licet ſint æquales, aut efficaciores quam accuſati.*
20. *Iudex opinans probationes ex parte facti non eſſe æquales, aut data æqualitate probationum opinans cui ius magis faueat ſeu caſu, quo vnus excedat in facti, alter in iuris probationibus quomodo ſe gerere debeat.*
21. *Iudex in caſu æqualium probationum in caſibus ſupra recenſitis non improbabiliter beneuolentiæ cauſa poteſt amico ex litigantibus rem applicare.*
22. *Iudex cum cauſa fuerit ambigua cui parti fauere voluerit iuſtè poteſt.*
23. *Iudicem in arbitrarijs gratioſum habere vtile eſt.*
24. *Sententia Iaſonis confirmatur auctoritate & ratione circa iudicis poteſtatem in ambiguis.*
25. *Iudex data opinione circa maiorum probationum efficaciam adhuc poteſt cuinam maluerit rem adiudicare.*
26. *Ius conſulit diuiſionem, ſeu compoſitionem, ſi fieri poteſt, quando probationes ex parte facti æquales ſunt, & ius vtrique parti æquè fauet.*
27. *Secus eſt quando ſub opinione ſtat quiſnam efficaciores probationes, ſeu efficaciora iura habeat, quia eo caſu poteſt iudex applicare rem cui maluerit.*

28. *Iudex supremus debet semper iudicare iuxta id, quod ipsi probabilius videtur, & cur.*

29. *Iudex inferior timens suam sententiam reuocandam esse à iudice superiore potest relicta propria opinione, iuxta aliorum probabiliorem sententiam ferre, & cur.*

30. *Iudex sequi debet opinionem, quæ ei videtur probabilior, & cur.*

31. *Iudex siue superior, siue inferior potest relicta opinione, quæ ipsi videtur probabilior, ferre sententiam secundum opinionem aliorum probabilem, & quæ ab alijs probabilior iudicatur.*

32. *Doctor quilibet interrogatus respondere potest ex aliorum sententia, si responsum fauet interroganti.*

33. *Iudex cessante scandalo siue supremus, siue inferior sit, potest modo secundum vnam, modo secundum aliam opinionem etiam contrariam iudicare.*

34. *Iudex iudicans contra contrariam opinionem probabiliorem potest quidem peccare peccato scandali, non tamen tenetur ad restitutionem.*

35. *Indicis iudicio res iudicanda committitur quatenus regulato ab opinione, quæ pluribus, & doctioribus viris videtur probabilior.*

36. *Iudex, si eius opinio ab omnibus probabilior censetur, non debet ab illa in iudicando recedere.*

37. *Iudex electus à litigantibus tanquam arbiter vt iudicet secundum suum iudicium non tenetur iudicare secundum opinionem aliorum nisi in casu, quo vtramque opinionem opinetur.*

38. *Iudex in pluribus casibus recensitis potest modo affirmatiuam, modo negatiuam sequi opinionem, nec peccat, nec tenetur in sindicatu etiam probabiliori relicta.*

39. *Iudex non solum ad allegata iura, sed etiam ad ea, quæ allegari possunt supplendo defectum Aduocati; attendere debet contra Vasquium, & alios.*

1 SVppono, posse dari opiniones, tam circa factum, quàm circa ius ortum ex facto: vt si contendas cum Titio de hæreditate, & probes, illam ad te pertinere: quam ad se pertinere, probat similiter Titius: Item, posse dari opiniones circa probationes, quænam ex eis efficacior sit, túa scilicet, an Titij: Item, posse dari opiniones circa ius, nulla existente dubitatione circa factum: vt si tibi sit relictum legatum in testamento minus solemni, vel si controuertas de hæreditate cum Titio, eo quod tu sis consanguineus Petri, qui decessit sine liberis, & Titius controuertat eodem titulo consanguinitatis, et si non in eodem gradu: vel si accuseris de delicto, de quo, capta informatione, sunt opiniones circa quantitatem, & qualitatem pœnæ delicto irrogandam: in quibus casibus factum est certum, ius autem controuersum, & sub opinione. His positis.

2 Respondetur & Dico primo: si certum sit, te efficaciores, tam iuris, quàm facti probationes habere, debet Iudex pro te sententiam ferre, & sequi in iudicando opinionem probabiliorem quia debet iudicare secundùm alle-
3 gata, & probata, quæ, cum certum sit, esse pro te efficaciora, pro te debet sententiam ferre, in quo conueniunt Doctores, & meritò, si quidem Iudicis officium est partibus litigantibus 4
iudicare secundum merita causæ, sed qui causam suam in Iudicio secundùm leges, & rationes probabiliores defendit, maiora causæ merita habet, seu potiori iure meretur, ergo &c. Vide Io. Andream *in cap.* 1. *super glos. fin. de constit.* Felinum, & Abbatem *ibi. & in cap. finem, de dol. & contum.* Bartolum *in l. vlt. Cod. de pen. Iud. qui sua iud.* & Butrium *in cap. ex literis* 1. *de spons.* Siluestrum *verb. opinio, quæst.* 2. Sotum *de iust. & iur. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Bannez 2. 2. *quæst.* 63. *art* 2. *dub.* 1. *ad* 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 64. *cap.* 2. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. Sanch *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 47. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 15. *num.* 6. Malder. *in* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. *disp.* 86. *circa fin.* Fillinc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 144. Becan. *in summ. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 9. *num.* 13. Iannerum *in* 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 6. *num.* 128. Portel. *in addit. ad dub. Regular. verb. opinio eligenda, num.* 12. Lorcam *in* 1. 2. *disp.* 39. *membr.* 2. Martinez *ibid. tom.* 1. *quæst.* 29. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 2. Aluarez *ibid. disp,* 80. *num.* 12. Martinum Delrium *in disquisit. Magic. lib.* 5. *quæst.* 20. Sancium *in select. disp.* 44. *num.* 50. Triuignum *in prax. Examinat. fol.* 2. Hieronymum de Rua *in controuers. tom.* 2. *controuers.* 6. & Dianam *par.* 2. *tract.* 3. *resol.* 3. At,
si ex parte facti constat, probationes æquales 5
esse, & ius æquè, tibi, ac alteri faueat licet sentiant Ledesma *de matrimonio quæst.* 45. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 3. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. & Io. Sanch. *in select. disp.* 44. *nu.* 51. posse iudicem rem applicare, cui maluerit, v. g. beneuolentiæ causa, amico: sicuti cum duo de beneficio Ecclesiastico contendunt, & pro vtraque parte probationes, seu præsentationes, & conditiones æquales sunt, potest Iudex beneficium, cui maluerit, v. g. beneuolentiæ causa, amico applicare, nihilominus cum communi sententia Doctorum dicendum arbitror, Iudicem, si res diuisibilis sit, debere diuidere, vel si diuidi vtiliter illa non possit, debere partes inter se componere, & vtrique satisfacere: quia, cum Iudex debeat esse Iuris interpres, iustitiæque administrator, ab æquitate alienum ést, si duo æquale ius habeant, vni eorum totum adiudicare, & alteri abiudicare.

Accedit, quod ex iuris regulà 12. *in* 6. *In* 6
Iudicijs non est acceptio personarum habenda.

Accedit secundo, quod Iudex non est rei 7
Dominus, sed distributor, ergo debet illam distribuere pro qualitate Iuris, quod vnaquæque pars habet: nam, cum vnaquæque pars habeat ius in rem illam æquale, non est ratio, cur potiùs vni parti, quàm alteri Iudex rem totam tribuat: sicut enim vnaquæque pars non potest sibi rem illam integrè vindicare, sic non poterit Iudex alteri illam eamdem integram adiudicare: debet ergo eam diuidere, vel si vtiliter diuidi non potest, alio modo satisfacere parti, cui rem non tribuit.

Neque obstat exemplum de beneficio Ec- 8
clesiastico allatum: quia ab beneficium Ecclesiasticum nemo ius, etiam iustitiæ distributi- 9

10 uæ, habet, quouſque eligatur: quin potiùs
diſtributiua dictat, quod vni tantùm ex con-
tendentibus conferatur: At extra materiam
beneficiorum vtraque pars ante ſententiam
11 Iudicis habet ius iuſtitiæ ad rem illam, quia
vtriuſque eſt, & Iudex aliud non facit, quàm
declarare, cuinam tale ius competat: qua-
propter, cum vtrique æquè competat, debet
pro vtraque parte declarare.

Atque ita tenent Salon. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.*
4. *concl.* 2. Bannez *ibid dub.* 1. *ad* 2. Sayr.
in claui Reg. lib. 1. *quæſt.* *cap.* 11. *nu.* 22.
Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 41. *num.* 16. *&*
lib. 1. *moral. cap.* 9. *num.* 45. Salaſ. 1. 2. *tract.*
8. *diſp. vnica, ſect.* 12. *num.* 118. *& ſect.* 23.
num. 240. Suàr. *de charit. diſp.* 13. *de bell.*
ſect 6. *num.* 4. Coninch. *de matrim diſp.* 34.
dub. 10. *num.* 94. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1.
diffic. 15. *num.* 2.

12 Itaque ſi poſt cauſæ, diutiùs dilatæ, ac-
curatam diſcuſſionem, neutra litigantium
pars inſpectis allegatis, de facto, vel de iu-
re, ſuperare videatur, arbitror, vel ad ſupe-
riorem Iudicem eſſe cauſam ablegandam, vel
arbitror conſenſu partium conſtituendos, vel
compoſitionem ſuadendam: quin ex Abbate
in cap. vlt. not 4. *de maior. & obed.* imperan-
dam, vel denique (ſicuti ſuprà dicebam, ſi
res vtiliter diuidi potuit) vni dimidium, alteri
alterum dimidium rei, vel iuris, de quo lis
eſt, ad iudicandum.

13 Dixi rem diuidendam eſſe, quando ius
vtrique parti fauet, ſi æquales ſint probatio-
nes facti: quia ſolet contingere quod proba-
tiones facti æquales ſint, ius tamen non æquè
vtrique parti faueat: fauet enim magis poſſi-
denti, quam non poſſidenti, ſicuti conſtat
14 *ex cap. ex literis de probation. ibi Quod, ſi am-*
barum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris
15 *teſtes proferuntur:* & ex regula iuris *in 6. ibi: cum*
ſunt partium iura obſcura, Reo fauendum eſt po-
tius, quàm actori. Hoc tamen intelligit, mo-
16 do non ſit contra matrimonium, dotem, li-
bertatem, pupillum, peregrinum, viduam,
aliamque cauſam piam, pro qua, cæteris pa-
ribus, etiamſi ſint actores, iudicandum po-
tiùs eſt, vti colligitur *ex cap. fin. de ſentent. &*
re iudic. Dixi, *cæteris paribus*: quia, ſi opinio
17 in contrarium eſſet magis probata, ſeu pro-
babilior, iudicari non debet pro matrimonio,
vel alia ex dictis fauorabili cauſa, *l. ſi. pars ff.*
18 *de inofficioſo teſtamento*: fauorabilibus enim
cauſis (vt rectè dixit Maſcardus *de probat.*
verb. opinio. num. 14. *concl.* 1143.) debitores
ſumus, ita tamen, vt alteri iniuſtitia non fiat,
cap. ex tenore, de foro compet. & cap. vlt. de do-
19 *nation. inter vir. & vxor.* In criminalibus
etiam, eſto accuſator probationes æquales
cum accuſato, quin efficaciores, protulerit, ſi
tamen non ſunt conuincentes, non debet Iu-
dex contra Reum ſententiam pronunciare:
quia quoad condemnationem probationes
debent eſſe luce meridiana clariores, Docto-
res communiter, quos citat, & ſequitur
Maſcardus *de probat. verb. delictum, concl.* 497.
num. 1. Salaſ. *ſect.* 12. *num.* 115. Salon. *concl.*
2. & Villalob. *num.* 2.

20 Dico ſecundò, ſi probationes ex parte facti
non conſtat, æquales eſſe, ſed hoc eſt ſub
opinione, vel caſu, quo probationes ſint æ-
quales, ſub opinione eſt, cui ius magis fa-
ueat, vel denique caſu, quo vnus excedat al-
terum in probationibus facti, alter excedit in
probationibus iuris, adhuc Iudex non poteſt
rem applicare, cui maluerit, ſed debet eam
inter partes, ſi diuidi vtiliter poteſt, diuide-
re, vel alio modo iuxta ſupradicta vtrique
parti ſatisfacere, Bannez. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.*
4. *dub.* 1. *ad* 2. Suàr. *ſect.* 6. *nu.* 4. Coninch.
nu. 49. Laym *lib.* 1. *tract.* 1. §. 3. *nu.* 16. &
Villalob. *diff.* 15. *nu.* 2. & 4. contra Docto-
res mox infrà citandos: quia etiam in his ca-
ſibus æquale eſt ius ex parte vtriuſque (ſicuti,
cum conſtat, vtrumque æquales probationes
de facto habere) ergo iudex, qui non eſt rei
Dominus, ſed diſpenſator, & diſtributor, non
poteſt rem vni applicare, altero omnino ex-
cluſo (cum æquale ius, ac alter habeat) ſed
eam diuidere, vel ſi diuidi vtiliter non po-
teſt, alia via vtrique ſatisfacere, ſicuti ſuprà
dicebam.

Contrarium tamen (poſſe ſcilicet Iudicem 21
in dictis caſibus, cui maluerit, v. g. bene-
uolentiæ cauſa, amico rem applicare) non
improbabiliter docent Medina 1. 2. *quæſt.* 19.
art. 6. *concl.* 2. Salaſ *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp.*
vnica ſect. 12 *num.* 125. Salon. 2. 2. *quæſt.* 63.
art. 4. *controu.* 2. *concl.* 1. Aragon. *dub. vlt. in*
fin. Valentia. *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3.
Ledeſma *tom.* 2. *ſummæ tract.* 8. *cap.* 22. Sanch.
lib. 1. *moral. cap.* 9. *num.* 45. Sancius *in ſe-*
lect. diſp. 44. *nu.* 51. Sayr. *in claui Regia lib.*
1. *cap.* 11. *nu.* 4. *& ſeqq.* Io. Valerius *in diffe-*
ren. vtriuſque fori, verb. opinio, differ. 3. *nu.*
1. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *reſolut.* 3. Gloſ. *in cap.*
per venerabilem: verb. fauere, de elect. & electi
poteſt. ibi: cum cauſa fuerit ambigua, Iudex, cui 22
parti fauere voluerit, iuſtè poteſt: & regul. *in iu-*
dicijs de regul. iur. in 6. *in fine dict. vtile eſt, in*
arbitrarijs Iudicem gratioſum habere: & Iaſ. *in*
l. 1. *poſt dotem ff. ſolut. matrim. nu.* 105. *ibi:* 23
huiuſmodi cauſæ ambiguæ decidi poſſunt pro ami- 24
co, quapropter in talibus bonum eſt Iudicem pro-
pitium habere: vt dixit etiam Decius *in cap.* 1.
de Conſtitut. in fin. & traditur. *in l. ſi quis ſer-*
uum, §. ſi inter duos ff. de legatis 2. Et ratio eſ-
ſe poteſt, quia Iudex in huiuſmodi caſibus
tenetur ferre ſententiam: ergo, cum non ſit
maior ratio fauendi vni parti, quam al-
teri, poterit: cui maluerit fauere: nam, quod
non teneatur rem diuidere, aut alio modo ſa-
tisfacere parti, cui rem non applicuerit (ſi-
cuti tenetur, cum probationes ex parte facti
æquales ſunt, & ius æquè vtrique parti fauet)
inde probari poteſt, quia, cum ſunt æquales
probationes, facti, & ius æquè vtrique parti
fauet, clarum eſt, eſſe ius æquale in vtraque
parte, ergo iniuſtum videtur, alteri parti rem
integram adiudicare, altera excluſa, æquale
ius etiam habente: At cum de æqualitate pro- 25
bationum, vel iuris non conſtat, ſed ſub opi-
nione eſt, quænam pars ex duabus vincat alte-
ram, ſub opinione etiam erit, cuinam parti
debeat res adiudicari: ergo poterit tunc Iudex,
cuinam maluerit, illam adiudicare, cum opi-
nionem probabilem de iure ſequatur.

26 Deinde, cum probationes ex parte facti æquales sunt & ius vtrique parti æquè fauet, ius ipsum diuisionem, seu compositionem (si fieri potest) consulit, Doctores, quos citat, & sequitur Sayr. Salonius, & Salas. supra nu. 118. ex l. ex hoc Tiberius ff. de hæredibus instit. l. sed etsi §. adeo in fin. ff. de petit. hæredit. & l. Titius
27 ff. ad Tribell. At cum opiniones sunt, quisnam ex parte facti probationes efficaciores, vel efficaciora iura habeat, ius ipsum non consulit diuisionem, vel compositionem (cum ius ipsum dicat, iuxta diuersas probabiles Doctorum opiniones, quemlibet habere ius integrum ad rem) ergo poterit Iudex illam applicare, cui maluerit; cum in hac applicatione se conformet opinioni probabili, dicenti illum habere ius integrum in rem, integreque ipsi rem debitam esse.

An autem, stantibus diuersis opinionibus de iure partium, possit Iudex, relicta opinione, quæ ipsi videtur probabilior, ferre sententiam secundùm opinionem aliorum probabilem, & quæ ab aliis probabilior iudicatur.

Nonnulli, inter quos Vasquez. 1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 64. cap. 2. Sanch. lib. 1. mor. cap. 9. nu. 47. Torres. de iust. disp. 45. nu. 9. & Perez. certam. Scholast. dubit. 2. cap. 16. nu.
28 17. & seqq. Distingunt de Iudice supremo, & de inferiori, & aiunt, Iudicem supremum debere semper iudicare iuxta id, quod ipsi probabilius videtur: quia eo ipso, quod Iudex est, iudicio ipsius committitur res iudicanda: nam si ex aliorum opinione, vel iudicio sententiam ferret, non tam ipse, quàm alter Iudex esset:
29 At si Iudex sit inferior, & videat, suam opinionem non esse ita receptam in praxi, timeatque consequenter, fore illam à Iudice superiore reuocandam, affirmant posse iudicem iuxta aliorum opinionem, relicta propria, quæ ipsi videtur probabilior, ferre sententiam. Ratio, quia non committitur Iudici res iudicanda cum tanto dispendio sui honoris, tum quia cum ipsius sententia debeat facilè reuocari, nullius affectus esse videtur: Et
30 de quolibet Iudice quod debeat sequi opinionem, quæ ipsi videtur probabilior, docent Bannez, Valentia in locis suprà citatis, & Villalob. diffic. 15. nu. 4. & 5. quia Iudex tenetur ferre sententiam in fauorem illius, qui ius primus habere censetur, sed hoc ipso, quod probabilius ita putatur, ius firmius censetur habere ergo &c. His tamen nonobstantibus.
31 Respondetur, probabilius esse, posse Iudicem siue supremum, siue inferiorem, relicta opinione, quæ ipsi videtur probabilior, ferre sententiam secundùm opinionem aliorum probabilem, & quæ ab alijs probabilior iudicatur: quia, cum opinio aliorum sit fortè re vera probabilior, & praxi confirmior, non est, cur Iudex non possit secundùm illam, relicta propria, ferre sententiam: nam, si alij Iudices secundùm iudicantes rectè procedunt non est, cur non procedat, & ipse alijs se conformando.
32 Accedit, quod (sicut infrà dicetur, & consentiunt etiam aduersarij, vt. Vasq. disp. 62. cap. 9. nu. 47.) quilibet Doctor interrogatus respondere potest ex aliorum sententia, si responsum fauet interroganti, ergo & Iudex, etiam si supremus sit, interrogatus à litigantibus de suo iure, poterit ex aliorum opinione respondere, cum ipsius responsum nisi parti debeat necessariò fauere.

Quinimo, cessante scandalo, poterit Iudex 33
qualiscumque ille sit, modò iudicare secundùm vnam, modò secundùm alteram opinio- 34
nem etsi contraria sit probabilior: quamuis, si adesset scandalum, peccaret quidem peccato scandali. non tamen teneretur ad restitutionem, Io. Valerus? & Diana in locis supra cit.


Ad supposita Respondetur: quod res com- 35
mittitur quidem iudicanda iudicio Iudicis sed non secundùm opinionem, quæ ipsi, sed secundùm eam, quæ pluribus, & doctioribus viris videtur probabilior: sic enim populis litigantibus, & Regi conuenientius est, vt rectè dixit Salas loco suprà cit. nu. 114. & 120.

Quapropter si Iudicis opinio ab omnibus 36
probabilior iudicaretur (quod ferè est impossibile) tunc secundùm illam Iudex iudicare deberet: quia tunc pro illa parte esset ius non solùm firmius, seu probabilius, sed etiam ferè certum: At cum quis solùm ex Iudicis opinione, quæ ipsi probabilior videtur, ius firmius 37
habet non censetur absolute ius firmius habere; quapropter nón cogitur Iudex pro illo sententiam ferre, nisi casu, quod Iudex sit arbiter, & à litigantibus eligatur sub conditione quod iudicet iuxta suum iudicium, quia tunc (vti rectè notauit Montesinus, in 1. 2. tom. 1. disp. 29. quæst. 5. nu. 213. & Diana cit. resol. 3.) non poterit iudicare iuxtà opinionem aliorum: nisi in casu, quod vtramque opinionem probabilem opinetur: nam tunc iuxta quamlibet iudicando censebitur iuxta iudicium proprium iudicare.

Ex his sequitur, quod in casibus sequenti- 38
bus. (Primò, an vnus testis omni exceptione maior constituat semiplenam probationem in causis criminalibus? Secundò, an in causa capitali possit Iudex interrogare Reum ex præcepto, obligando eum ad responsionem veritatis, quando solum delictum est semiprobatum? Tertiò, an Iudex, vel eius Minister possit incarcerare Reum in alieno territorio repertum? Quartò, an fructus industriales bona fide consumptos bonæ fidei possessor teneatur restituere? Quintò, an filij Reorum Maiestatis Diuinæ, vel humanæ, geniti ante parentum delictum, afficiantur pœnis iure statutis in eorum filios? Sexto, an filij expositi reputentur legitimi? Septimò, an Iuspatronatus possit præscriptione acquiri? Octauò, an pater teneatur filiam naturalem dotare? Nono, an tempore pestis possit fieri testamentum cum minori numero testium? Decimò, an beneficij collatio infami facta, sit ipso iure nulla) & in similibus possit Iudex, modò secundùm affirmatiuam, modò secundùm negatiuam, licet minùs probabilem contra probabiliorem, & communiorem opinionem iudicare: absque eo, quod ob id subijci possit sindicatui: quia cum sequendo opinionem probabilem, relicta probabiliori, & communiori, non peccet, iniquum, & rectæ rationi dissonum est, quod puniatur, Docto-

res, quos ſequitur Io. Sancius, *in ſelect. diſp.* 44. *nu.* 72. *in fine*: licet contrarium tradant, Bart. *in l. vlt. Cod. de pœn. Iud. qui ma.* Butrius *in cap. ex literis* 1. *de ſponſ.* Abb. *in cap. prudentiam de offic. deleg. per text. in cap.* 1. *de decimis.* Felin. *in repetit. c. Canonum de conſtitut.* & alij quos cit. Io. Valer. *verſ. opinio, diffic.* 1. *nu.* 1.

39 Cæterum (etſi Vaſq *loco ſuprà cit.* & Sanch. *cit. cap.* 9. *nu.* 48. ſentiant. Iudicem in eligendis opinionibus attendere ſolùm debere, quæ allegata ſunt. non quæ allegari poſſunt, & ſic non poſſe alteri parti, quæ allegare debeat, aperire, cum hoc, vt inquiunt ipſi, ſit officium, non Iudicis, ſed aduocati) contrarium tamen mihi videtur probabilius, vt dixi *Dubit.* 1. *Dict.* 2. *nu.* 2.



DVBITATIO III.

An idem dicendum ſit de Medico?

SVMMARIVM.

1. *Medicus ſi poteſt tenetur adhibere medicamentum certum, relicto medicamento probabili, vel dubio.*
2. *Medicus tenetur ex officio procurare ſalutem infirmi omni meliori modo, quo poteſt, & eum nullo modo exponere periculo vitæ.*
3. *Argumentum quod quiſque ſequi poſſit opinionem probabilem relicta probabiliori non applicatur in medicamento, & cur.*
4. *Medicus caſu, quo nullum ſit medicamentum certum poteſt adhibere probabile, & quando nullum eſt probabile adhibere dubium, modo certum ſit non eſſe nociturum.*
5. *Medicus cauſa experiendi medicamentum an ſcilicet ſit ſalutare vel nociuum, non poteſt illud propinare infirmo etiam de ſalute deſperato, & cur.*
6. *Medicus dubius an mortem acceleraturus ſit ſuo medicamento, quantum eſt ex ſe cum mortis accelerationem intendat peccat.*
7. *Medicus non poteſt infirmo, de cuius ſalute deſperatum eſt, adhibere medicamentum, de quo dubitat an ſit profuturum, vel nociturum, ſed neceſſario requiritur quod ipſe certus ſit non nociturum vel probabiliter credat eſſe profuturum, & cur.*
8. *Medicus dubitans an nociturum, vel profuturum ſit medicamentum, non format iudicium de eius nocumento; ſed hæret ſuſpenſus.*
9. *Opinio Valentiæ & Sanch. quod Medicus in caſu deſperatæ ſalutis poſſit propinare medicamentum dubium refellitur, & cur.*
10. *Correctio fraterna adhibenda eſt peccatori in extremis conſtituto cum dubio an illa ſit profutura, vel nocitura.*
11. *Correctionis fraternæ ratio non applicatur ad medicamenta temporalia, & cur.*
12. *Medicus poteſt propinare medicamentum ſi credat probabiliter profuturum, quia in tali caſu viliter gerit negotium infirmi.*
13. *Medicus poteſt propinare infirmo medicamentum in aliorum opinione probabilius, quod ipſe putat tantum probabile, relicto eo quod ipſe putat probabilius multis rationibus, quæ recenſentur.*
14. *Medicus obligatus eſt curare infirmum non certiori modo, quo ipſi videtur, ſed certiori modo, quo poteſt.*
15. *Medicus poteſt deponere opinionem propriam, & aliorum opinioni ſe conformare.*
16. *Aſſiſtentes non poſſunt infirmo relictis remedijs aſſignatis à Medico, adhibere alia pro ſua voluntate, quare ſæpè peccare poterunt mortaliter, niſi ignorantia, vel inaduertentia eos excuſet.*

Reſpondetur, & Dico primò, tenetur Medicus, ſi poteſt adhibere medicamentum certum (id eſt, quod iudicatur certò profuturum) relicto medicamento probabili, vel dubio, id eſt, quod iudicatur probabiliter, vel ſub dubio profuturum eſt communis ſententia Doctorum apud Syluestrum, *verb. Medicus, quæſt.* 4. Sotum *de iuſt. lib.* 3. *quæſt.* 6. *art.* 1. *ad* 4. Nauarr. *cap.* 25. *nu.* 61. *& in cap. ſi quis autem d.* 7. *de pœnitent num.* 74. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 40. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 64. *cap.* 4. Becanum *in ſum. tom.* 2. *tract.* 1 *cap.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 13. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *nu.* 15. Bonacin. *de legib. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 22. Portel. *in addit. ad dub. regular. verb. opinio eligenda num.* 10. Villalob. *in ſumm. tom.* 1 *tract* 1. *diffic.* 1. *num.* 6.

Probatur quia Medicus tenetur ex officio procurare ſalutem infirmi omni meliori modo, quo poteſt, & eum nullo modo exponere periculo vitæ: cum irreparabiliter tractetur de negotio illius: quapropter meritò infirmus conquereretur de Medico potente ſecurum medicamentum applicare, ſi applicet ſolum probabile, & multò magis, ſi applicet dubium. 2

Ne obſtat, ſi dicas, quemlibet poſſe ſequi opinionem probabilem, probabiliori relicta: ergò poterit & Medicus, relicto medicamento certo, vti medicamento probabili. 3

Reſpondetur enim, etſi ſit opinio probabilis de vtilitate medicamenti, non tamen eſt opinio probabilis de tali vſu in noſtro caſu.

Dico ſecundò, tenetur Medicus, quando nullum eſt medicamentum certum, adhibere probabile, & quando nullum eſt medicamentum probabile, adhibere dubium (modò certum ſit medicamentum huiuſmodi non eſſe nociturum) quia tunc Medicus infirmum nulli periculo exponit: & ex alia parte poteſt, tali medicamento adhibito, eum ab infirmitate liberare, ergo tenetur applicare: Doctores communiter, quos ſequitur Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 2. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 42. & alij ſupra citati. 4

Dico tertiò: non poteſt Medicus cauſa experiendi medicamentum, an ſcilicet ſit ſalutare, vel nociuum, illud adhibere infirmo, etiam ſi ſit de ſalute deſperatus: quia non licet periculo vitæ proximi ſcientiam conſequi: tum 5

6 quia sic operans Medicus, dubius esset an mortem acceleraturus sit medio suo medicamento: ergo quantum est ex se mortis accelerationem intendit, ergo peccat: Sayr. *in Claui Regia lib. 1. cap. 10. num. 6.* Corduba *lib. 3. quæst. 5.* Vasq. 1. 2. *disp. 64. cap. 4.* Salas. *ibid. tract. 8. disp. vnic. sect. 14. num. 136. circa fin.* Nauar. *cap. 25. num. 61.* Sanch. *lib. 1. moral. cap. 9. num. 38.* Perez *certam. 10. Scolast. num. 87.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 15. &* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 1. diff. 16. num. 1. & 4.*

7 Dico quartò: non potest Medicus, etiam infirmo, de cuius salute desperatum est, adhibere medicamentum, de quo dubitat, an sit profuturum, vel nociturum: sed necessariò requiritur, vel quod Medicus certus sit, illud non esse nociturum, vel quod probabiliter credat, illud esse profuturum: quia Medicus applicans medicamentum, de quo nullam probabilitatem habet, esse profuturum, sed potius dubitat, an sit nociturum, applicat, quantum est ex se, causam efficacem mortis, ergo non potest applicare.

Confirmatur, quia ideò communiter Doctores negant posse Medicum causa experiendi, infirmis desperatis medicamentum applicare, quia per talem applicationem, manifesto periculo infirmum exponit, eius mortem accelerando: sed idem prorsus est in casu nostro, ergo.

8 Confirmatur secundò, quia Medicus dubitans, an nociturum, vel profuturum sit medicamentum, non format iudicium de eius nocumento, vel vtilitate, sed hæret suspensus: ac proinde propriè, & in rigore nescit, an vtile, vel damnosum sit, ergo cum applicat, applicat ad experiendum, quod est omninò illicitum, vti dicebam.

Atque ita ex communiori, & probabiliori Doctorum sententia docent Abb. *in cap. tua nos de homicid. §. ad vlt. num. 4.* Innocent. *ibid. num. 1.* Syluest. *verb. Medicus, quæst. 4. dict. 1.* Angel. *eod. verb. num. 2.* Salas. 1. 2. *tract. 8. disp. vnic. sect. 14. num. 136.* Vasq. *quæst. 19. art. 6. disp. 64. cap. 4. num. 22.* Azor. *lib. 2. cap. 17. quæst. 11.* Corduba *lib. 3. quæstion. quæst. 5. post. 2. proposit.* Sayr. *in claui Reg. lib. 1. cap. 10. nu. 9. & seqq.* Perez. *certam. 10. scholast. num. 88. §. mihi* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 1. diff. 16. nu. 1.* & Man. *in summa tom. 2. cap. 51. num. 6. concl. 4.* contra Valentiam. 2. 2. *disp. 3. quæst. 10. punct. 2.* & Sanch. *lib. 1. moral. cap. 9. num. 19.*

9 Obijcies ex Valentia, & Sanch. *locis cit.* ex applicatione dicti medicamenti in casu nostro solum sequi potest periculum, accelerando mortem infirmo per paucos dies (cum vtpotè de salute desperatus, certè moriturus sit) at hoc periculum sufficienter compensatur spe, licet dubia, de eius salute per multos annos, ergo potest Medicus in casu dicto tale medicamentum applicare, quin, vt sentit Sanchez, tenetur: quia non est, neque contra iustitiam, neque contra charitatem infirmo debitam, si periculo exponatur tam exiguo ob vtilitatem tam grauem, & magnam.

Respondetur, nego consequentiam; quia licet in hominum æstimatione leuioris considerationis sit, exponere infirmum periculo priuandi eum vita per paucos dies, quam eumdem exponere spei consequendi vitam per multos annos, tamen non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: quandoquidem qui exponit infirmum periculo accelerandi mortem, exponit eum periculo mortis: quod est intrinsecè malum.

Instabis: potest quis adhibere correctionem 10
fraternam peccatori constituto in extremis cum dubio, an illa ei sit profutura, vel nocitura: quia damnum, quod timetur, est longè minùs vtilitate, quæ speratur (siquidem damnum, quod timetur est nouum peccatum, ob quod ille sit damnandus, qui iam erat damnandus: at vtilitas, quæ speratur, est vitatio æternæ damnationis) ergo similiter in nostro casu.

Respondetur: concedo antecedens: At nego 11
consequentiam, & disparitas est, quia correctio fraterna non est causa per se illius noui peccati, & maioris damnationis: At medicamentum in nostro casu est per se causa accelerationis mortis infirmo: quapropter illud applicans censetur exponere infirmum morali periculo mortis

Dixi, *non posse Medicum adhibere medicamen-* 12
tum, si dubitet: quia, si probabiliter credit, medicamentum fore profuturum, potest illud, vt ibidem annuebam, adhibere: siquidem tunc non exponit infirmum morali periculo mortis, sed probabili spei salutis: quapropter, si medicus intelligat, certò moriturum infirmum, nisi medicamentum adhibeat, non carens quidem periculo accelerandæ mortis, iunctum tamen cum probabili spe confirmandæ sanitatis, adhibere poterit, sicut ex Galeno refert Adrianus *de Sacramento confess. quæst. de correct. fraterna*, Corduba *cit. quæst. 5. propos. 2. reg. 2.* Sanch. *num. 39.* Valentia, & Vasq. *in locis suprà citatis*: & meritò, quia Medicus in tali casu vtiliter gerit negotium infirmi.

Dico quintò: potest Medicus adhibere in- 13
firmo medicamentum in aliorum opinione probabilius, quod ipse putat tantùm probabile, relicto eo, quod ipse putat probabilius. Sic ex probabiliori, si non ex communiori Doctorum sententia, docent Aragon. 2. 2. *quæst. 63. art. 4. dub. penult.* Salas. *tract. 8. disp. vnic. sect. 14. num. 136.* Azor. *lib. 2. cap. 17. quæst. 11.* Montesinus *disp. 29. quæst. 5. num. 214.* & Io. Sancius *in select. disp. 44. num. 36.* contra Sotum *de iustit. lib. 3. quæst. 6. art. 5. ad 4.* Salonium 2. 2. *quæst. 63. art. 4. controuers. 2. ad 2.* Suar. *tom. 3. in 3. part. disp. 21. sect. 4. in fin. & tom. 4. disp. 26. sect. 6. num. 5.* Vasq. 1. 2. *disp. 64. cap. 4. in fin.* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. diffic. 16. num. 6.*

Probatur: quia alij Medici periti tale medicamentum adhibentes ritè, & secundum regulas artis operantur, cum iudicent, illud infirmo magis profuturum: ergo & operabitur alter, qui ex opinione eorum sic operatur: præsertim, quia non semper quod vni videtur probabilius, in re est probabilius, & securius.

Secundò, quia graue onus imponeretur Medico in operando, ſi teneretur ſemper, quod ipſi videtur probabilius, operari: ſiquidem teneretur ſemper cauſas probabilitatis maiores examinare, & ſic quolibet temporis momento medicamentum variare: cum in hoc iudicio de maiori probabilitate, quod modò probabilius videtur, paulò poſt non videatur.

Tertiò quia applicatio talis medicamenti non eſt temeraria, neque imprudens, ſed ſecundùm regulas artis (eſt enim iuxta opinionem peritorum in arte, ſicuti dicebam) ergo non eſt neque contra iuſtitiam, neque contra charitatem infirmo debitam, ergo ſine peccato.

Quapropter pro ſolutione rationum, quæ in contrarium adduci poſſent, dicendum eſt, quod Medicus obligatus ſit curare infirmum,
14 non certiori modo, quo ipſi videtur, ſed certiori modo, quo poteſt, ſiue ſecundùm opinionem ſuam, ſiue aliorum.

15 Ex his ſequitur, quod poſſit Medicus infirmo conſulere medicamentum, quod alij artis periti ſalutiferum arbitrantur, etſi ipſe non arbitretur, quia poteſt deponere opinionem propriam, & opinioni aliorum ſe conformare: Nauarrus *in cap. ſi quis autem de pœnit. diſt. 7. num. 74. & 75. ad 3.*

16 Sequitur ſecundò è contra, quod non poſſint infirmo aſſiſtentes, relictis remedijs aſſignatis à Medico, adhibere alia pro ſua voluntate, nec dare infirmo aquam, vel vinum, vt eius voluntati ſatisfaciant: quia cum non ſint in arte periti, imprudenter exponunt infirmum periculo moriendi, ſaltem citius, quod ex ſe eſt illicitum: quare ſæpè peccare poterunt moraliter, niſi ignorantia, vel inaduertentia excuſentur, Doctores, quos ſequitur, Villalob. *in ſumm. tom. 1. tract. 1. diffic. 16. circa finem.*



DVBITATIO IV.

An idem dicendum ſit de Aduocato, vel Procuratore?

SVMMARIVM.

1. *Aduocatus, vel Procurator poteſt cauſam ſibi probabilem etiam relicta probabiliori defendere tam attento iure naturæ, quam attento iure poſitiuo contra Syluestrum, & Valentiam.*
2. *Aduocati, & Procuratoris officium eſt veritatem Partis, quam defendit elucidare, & merita eius cauſæ Iudici præſentare.*
3. *Aduocatus, & Procurator non petit à Iudice ſententiam in fauorem Actoris contra Reum caſu, quo illam Iudex non poteſt dare, ſed ſolum repræſentat ius actoris.*
4. *Aduocati, vel Procuratoris munus non eſt definire, ſeu ius dicere inter Partes litigantes, ſed vni parti aſſiſtere, & patrocinari.*
5. *Aduocatus, ſeu Procurator poteſt ſuſcipere cauſam quam manifeſtè non iniquam, ſed probabilem iudicat.*
6. *Aduocatus, vel Procurator attento iure naturæ, & poſitiuo in communi inter cauſas probabiles modo vnius, modo alterius patrocinium ſuſcipere poteſt.*
7. *Aduocatus, ſeu Procurator, ſi pro vtraque parte adſit probabilis pro vtraque parte poteſt ſuſcipere patrocinium*
8. *Limita niſi ſcriberet contra factum alias pro alio ab ipſo firmatum.*
9. *Limita id non licere nec contra factum, nec contra iura attento iure municipali quorumdam locorum & in eadem & in diuerſis inſtantijs.*
10. *Aduocatus vel Procurator de rigore lite non dum cœpta, & actibus non dum factis patrocinari poteſt pro contraria parte, ſi ipſi ſalarium non ſoluatur, indecens tamen videtur.*
11. *Aduocatus, vel Procurator etiam in cauſa criminali ſanguinis vel honoris, vel maximi momenti poteſt cauſam minus probabilem defendere contra Sotum. & alios.*
12. *Aduocatus, vel Procurator poteſt patrocinari etiam cauſam parum probabilem, dummodo aliqualiter probabilis ſit, ſicut poteſt clientulus eam attentare.*
13. *Aduocatus, vel Procurator cauſam dubiam ſuſcipiens quæ debeat animaduertere, & ad quid teneatur.*
14. *Aduocatus, vel Procurator ſi bona fide vel aliqua ignorantia ductus cauſam ſuſcepit quam in progreſſu cauſæ iniquam reperit, poteſt nihilominus petere ſalarium, ſecus ſi ſuſcepit ex imperitia.*
15. *Aduocatus, vel Procurator poteſt patrocinari non ſolum pro opinione quacumque, vel leuiter probabili relicta probabiliori etiam in cauſa ſanguinis, vel amiſſionis omnium bonorum contra Sotum & plures alios DD.*
16. *Sententia Soti, & aliorum locum habet in Iudice, non autem in Aduocato, vel Procuratore.*
17. *Aduocatus, vel Procurator licet attento iure naturæ, & iure poſitiuo, præciſo municipali quorumdam locorum cauſa iniqua, derelicta, non aperto tamen ſecreto parti, poſſit aduerſario operam præſtare, ratione tamen ſcandali plerumque id facere non debet.*
18. *Aduocatus, vel Procurator, ſicut & Iudex & Conſiliarius inducentes ad tranſactionem cum alterius partis detrimento ſi bonum ius foueat, & altera non, peccat.*



Eſpondetur, quod (licet Syluest. *verb. aduocatus quæſt. 13.* & Valent. *2. 2. diſp. 5. quæſt. 15. punct. 14. concl. 1. & 2.* exiſtiment, non 1 poſſe quempiam in cauſa æquè probabili eſſe Aduocatum, vel Procuratorem Actoris contra Reum, attento iure poſitiuo: quia ex regula 11. *iuris in 6. cum ſunt partium iura obſcura, fauendum eſt potius Reo, quàm Actori.* Quod ſi dicas, textum hunc loqui de Iudice, non de Aduocato, & Procuratore: inſtant, quod

præterquam quod id non est certum: cum indistinctè, & absolutè loquatur, nemini licet petere, & persuadere, quod alius non potest efficere: sed cum est causa æqualis, non potest Iudex illam præstare in fauorem Actoris contra Reum: ergo non licet Aduocato, vel Procuratori postulare) nihilominus oppositum fit commune: posse scilicet Aduocatum, vel Procuratorem causam sibi probabilem, etiam relicta probabiliori, defēdere, tam attento iure naturæ, quàm attento iure positiuo: colligitur *ex c. si virgo 34. quæst. 2. & ex l. rem non nouam. §. patroni. Cod. de Iudic.* vbi lex solùm causam desperatam præcipit Aduocato deserere: & probatur, quia Aduocati, & Procura-
2 toris officium est, veritatem partis quam defendit, elucidare, & merita eius causæ Iudici præsentare: quod, quando causa est probabilis, non est, cùr non possit fieri: cum sæpè, quod tibi probabilius apparet, Iudici non appareat: & in re forsan ita non sit: quapro-
3 pter Aduocatus, & Procurator non petit à Iudice sententiam in fauorem Actoris contra Reum, casu, quòd illam Iudex non potest dare, sed solùm repræsentat Iudici ius Actoris, vt ipse examinet, & videat, an possit pro illo sententiam ferre, quam aduocatus, vel Procurator putat, Iudicem pro illo posse ferre: quia pars, quam defendit, habet probabile ius, & forsan in opinione aliorum probabilius.

4 Accedit, quia munus Aduocati, vel Procuratoris non est definire, seu ius dicere inter partes litigantes sed parti vni litigantium assistere, & patrocinari (vnde patet dispāritas ad argumentum, quod sit de Iudice) quaprop-
5 ter si clientuli causam non manifestè iniquam, sed probabilem iudicet, licitè eam suscipit, etsi contrariam probabiliorem, & facilius obtinendam apprehendat. Quod inde confirmatur, quia in tali casu potest pars cum Aduersario litem contestari, atque propositis iuribus, & rationibus suis, Iudicis dirimentis sententiam postulare, quod autem quis potest per se ipsum, non est, cur non possit per alium, regul. 68. *in 6.* consequenter etiam per Aduocatum, & Procuratorem: cum iura Aduocatum, & Procuratorem permittant, vt sit vterque partis litigantis, veluti Vicarius.

Atque ità docent Syluest. *verb. Aduocatus, quæst.* 10. Sot. *de iust. lib. 5. quæst. 8. art. 3.* Nauar. *cap. 25. num.* 28. Sayr. *lib. 1. cap. 11. num.* 17. Vasq. *disp. 64. cap.* 1. Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 31. dub. 9. num.* 52. Sanch. *lib. 1. moral. cap. 9. num,* 51. *&* 52. Sa. *verb. Aduocatus, num.* 1. Diana *part. 2. tract. 2. resol.* 4. Burgos. *de Paz. in proem. legum. Tauri, num.* 409. *& seqq.* Gutierez. *canon.* 99. *lib. 1. cap. 13. num.* 24. Salas. 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 11. *num.* 104. Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 2. *quæst.* 71. *art.* 3. Lorca *in* 1. 2. *tom. 1. disp. 39. membr.* 2. Io. Sanc. *in select. disp.* 44. *num.* 54. Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. vlt.* Villalob. *tom. 1. tract. 1. diff. 4. num.* 3. & Perez. *certam. 10. scholast. dub. 2. cap. 15. num. 67. & seqq. vbi dicit, esse communem.*

6 Ex dictis sequitur, posse Aduocatum, & Procuratorem, attento iure naturæ, & positiuo in communi, inter causas probabiles modò vnius, modò alterius partis patrocinium suscipere, idque etiam in diuersis articulis, & diuersa instantia, modò scilicet patrocinando pro vno in causa principali, & modò pro altero in causa appellationis, Io. Andr. & Præposit. *in cap. disciplina, dist.* 46. speculator *tit. de Aduocatis* & Syluest. *loc. suprà cit. quæst.* 13.

Quod adeò verum est, vt id possit Aduocatus, & Procurator etiam in vna, & eadem causa, quia, dum pro vtraque parte adest probabilitas, neque apparet iustitia, non est, cur vtramque partem pro libito non possit defendere: siquidem non est maior ratio, cur possit vnam magis, quàm alteram. 7

Quod, si dicas, Aduocatum & Procuratorem arctatum esse defendere eam, quam primò suscepit: quia allegans contraria non est audiendus, *l. 1. Cod. de furtis, & l. cum precum. Cod. de liberali causa.* 8

Respondetur facilè, allegantem contraria facta, non item allegantem contraria iura, non esse audiendum.

Dixi, *attento iure naturæ, & positiuo in communi*, quia attento iure municipali quorumdam locorum, non licet ibi Aduocato vel Procuratori, vnius litigantis causa suscepta, alterum in eadem causa patrocinari, sicuti constat *ex l. 13. tit. 16. lib. 2. nouæ compilat.* Et hoc non solùm in eadem instantia, sed etiam in diuersis, vt probat Salas. *sect. 12. nu.* 119. Burgos. de Paz. *in proemio legum Tauri, nu.* 410. & Areued. *in cit. l.* 13. qui rectè subdit *in l. 17. num. 5. & 6.* Aduocatum, & Procuratorem de rigore posse, litè nondum cœpta, & actibus nondum factis, patrocinari pro contraria parte, si ipsi salarium non soluatur: quamuis indecens sit, Aduocatum, vel Procuratorem, ob non solutum salarium, partem susceptam relinquere, & in alteram, nisi adsit licentia Iudicis, se inflectere ad patrocinandum. 9 10

Sequitur secundò, posse Aduocatum, & Procuratorem etiam in causa criminali sanguinis, vel honoris, vel maximi momenti, vt Maioratus, insignis, vel possessionis omnium bonorum, &c. causam minùs probabilem defendere: sic contra Sotum *de iust. lib. 5. quæst. 8. art. 5.* Bannez. 2. 2. *quæst. 71. art. 4. in 1. part. dub.* 6. Salonium 2. 2. *quæst. 62. art. 3. contr.* 2. Aragonium *ibid.* Mercadum *lib. 6. de contractib. cap.* 8. Burgos. de Paz. *nu.* 421. & alios docent Turrianus, Lorca, Vasquez, Salas. Sanchez, Villalobos, Diana, & Perez *in locis suprà cit.* & probatur: quia ideo Aduocatus, vel Procurator in rebus minoris momenti potest causam probabilem patrocinari, quia eius officium tantùm est, merita clientuli sui allegare, & Iudici examinanda, & decidenda præsentare, etsi iusta sunt, rogare, & persuadere, quod pro illa sententiam ferat: quæ ratio æquè probat, siue causa sit maioris, siue minoris momenti, siue criminalis, siue ciuilis, &c. 11

Sequitur tertio, posse Aduocatum & Procuratorem, etiam causam parùm probabilem, 12

dummodò aliqualiter probabilis ſit, patrocinari quia hoc ipſo, quod probabilis eſt, poteſt abſolutè Aduocatus, & Procurator eam defendere, ſicuti poteſt clientulus illam attentare: nam quotieſcumque poteſt quis litem contra aliquem mouere, poterit contra eundem, Aduocatum, & Procuratorem habere, ſicuti ſuprà dicebam, & docet Vaſq. *loc. ſuprà cit. num.* 4. quidquid in contrarium dixerit Sanchez *num.* 54.


13 Aduocatus tamen, & Procurator cauſam dubiam ſuſcipiens obligatur. Primò, vt ante omnia diligenter inſpiciat merita cauſæ, quam ſi improbabilem ſeu iniuſtam compererit, nullo modo poteſt ſuſcipere, & multò minus partem ad litigandum inducere, alioquin, tanquam concauſa, ad compenſandum parti læſæ damnum tenebitur, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *& q.* 71. *art.* 3. *in corp.* quapropter abſolui non poteſt, qui cauſam probabilem, ſiuè improbabilem, iuſtam, ſiuè iniuſtam paratus eſt ſuſcipere. Secundò, vt poſt diligentem cauſæ conſiderationem ſincerè aperiat clientulo, quantam probabilitatem, & ſpem vincendi habeat; quia, ſi falſa promiſſione, vel inani ſpe victoriæ clientulum ad litem faciendam inducit, ad damnum, etiam clientuli nedum partis aduerſæ litigantis, compenſandum tenebitur, caſu, quo clientulus, cognita veritate, ſeu cognito dubio cauſæ, litigaturus non fuiſſet; Syluest. *verb. aduocatus*, *quæſt.* 10. Salaſ *ſect.* 11. *num.* 103. Sanchez *num.* 51. Io. Sanch. *num.* 54. Vaſq. *cap.* 1. *num.* 3. & Leſſ. *cap.* 31. *dub.* 8. Tertiò, vt ſi cauſæ dubiæ patrocinium ſuſcepit, paratus ſit quamprimum ab eius patrocinio deſiſtere, ſi in progreſſu temporis iniquam eam eſſe, deprehenderit, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 3. *ad* 2. quod ægrè ferre non debet; quia à principio cauere debebat, ne ſuſciperet cauſam dubiam, cuius vincendæ ſpes nulla, vel valdè exigua exiſteret, Io. Maior. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 28. *§. quintò infertur*, & Gabr. *quæſt.* 6. *art.* 2.

14 Cæterum, ſi bona fide, & probabili ignorantia ductus cauſam ſuſcepit, quam poſteà ex aliquo accidenti, vt propter inſtrumentum repertum, vel clientuli confeſſionem, iniquam deprehendit, poteſt nihilominùs ſalarium petere. Secùs, ſi ſuſcepit ob imperitiam; quia tunc ſibi imputare debet; ſi ad eam defendendam labores inſumpſerit, Syluest. *verb. aduocatus*, *quæſt.* 2. 2. Armilla *eod. verb. num.* 18. *argum. l. Prætor. ff. de vacant. & excuſat. muner.*

15 His adde, quod Aduocatus, vel Procurator poſſit patrocinari (non ſolum pro opinione quacumque, vel leuiter probabili, relicta probabiliori, etiam in cauſa ſanguinis, vel amiſſionis omnium bonorum; quia ſcilicet, vti dicebam, officium Aduocati, vel Procuratoris non eſt definire, ſed tantùm proponere merita cauſæ, tum quia, ſi clientulus poteſt litigare; poteſt etiam Aduocatus, vel Procurator cauſam illam patrocinari, Vaſquez, Salaſ. Sanchez, Villalobos. Perez, Turrianus, & alij *in locis ſuprà citatis* contra Sotum, Bannez, Salonium, Aragonium, Mercadum, Burgoſ. *de Paz. vbi ſupra*, & contra Io. de la Cruz. *part.* 1. *præcept.* § 8. *art.* 5. *dub.* 1. *concl.* 2. Malderum *in* 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 3. qui contrarium tenent ex eo, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & in dubio fauendum eſt Reo: ad quorum tamen rationes. Reſpondetur ex dictis quod eæ locum habeant in ordine ad iudicem, qui definit, non autem in ordine ad Aduocatum, & Procuratorem, qui tantùm proponit merita cauſæ), ſed etiam poſſit patrocinari in cauſa dubia, ob eaſdem rationes, quia ſcilicet Aduocatus, vel Procurator non definit, ſed ſolùm proponit, quæ ſui clientuli ius confirmare poſſunt: quæ iudici proponere in cauſa dubia, non eſt iniuſtum, ſed iuuat, vt à Iudice cauſa melius expendatur; Maldarus *loco ſuprà cit. in fin.* Lorca *cit. membr.* 2. & videri etiam poterit Syluest. *verb. Aduocatus*, *quæſt.* 10. Angel. *eod. verb. num.* 17. Armilla *nu.* 20. S. Anton. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 19. §. 8. & Nau. *cap.* 25. *num.* 28.

Adde ſecundò, quod quamuis, attento iure 17 naturæ, & iure poſitiuo in communi (non ſit municipali quorumdam locorum) abſolutè loquendo, talis deprehendens iniquitatem cauſæ quam defendendam ſuſcepit, poſſit ea derelicta (dummodo ſecreta, quæ cum expreſſo, vel tacito reticendi pacto excepit, non aperiat) parti aduerſæ operam præſtare, tamen plerumque, ratione ſcandali, id facere non debeat, nec Magiſtratus permittere, Guttierez *lib.* 1. *quæſt. pract. quæſt.* 30. quos citat. Farinac. *lib.* 1. *tit.* 1. *praxis crimin. quæſt.* 4. *num.* 16.

Adde tertiò, quod peccet Aduocatus, vel 18 Procurator (ſicut & Iudex, vel Conſiliarius) ſi ſciens, quod vna pars litigantium iniquam cauſam habeat, author ſit, quod fiat tranſactio cum alterius partis detrimento, ſiquidem tranſactio fit ſolum in cauſa dubia, S. Thom. *cit. quæſt.* 71. *art.* 3. *ad* 2. & Leſſ. *cit. dub.* 8. *num.* 49.



DVBITATIO V.

An idem dicendum ſit de agente morali in ſuis actionibus moralibus.

SVMMARIVM.

1. *Agens moraliter poteſt etiam in articulo mortis ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam etiam aliorum relicta probabiliori, & tutiori, etiam propria.*
2. *Agens probabiliter vel in opinione aliorum, vel propria prudenter agit, vt potè non temerè, ſed cum fundamento.*
3. *Homo non tenetur in moralibus agere optimum, ſed ſufficit ſi agat bonum.*
4. *Affertur ratio, ob quam homo non teneatur ſequi opinionem probabiliorem in agendo ne vi aperiatur via ſcrupulis.*
5. *Soluitur argumentum aſſerentium quod homo non eligens tutiorem videtur velle errare.*

6. *Opinionum securitas in eo sita est, quod operans ex illis Deum non offendat.*

7. *Agens secundum opinionem probabiliorem non solum non attingit culpam formaliter, sed neque etiam materialiter.*

8. *Agens secundum opinionem probabilem de facto etiam agit ex opinione probabiliori, vide exemplum in materia restitutionis.*

9. *Regula, quod in dubijs tutior pars est eligenda, est de consilio, non autem de præcepto.*

10. *Homo lapsus in peccatum mortale, quod statim teneatur confiteri habita copia Confessarij tutior opinio est, at in praxi seruatur quod solùm in Paschate teneatur, vel in periculo mortis.*

11. *Dolor, quod debeat esse de omnibus peccatis in communi, & æquali quocumque minus tuta opinio est, quam dicere debere esse de singulis peccatis distinctè, & tamen in praxi illud primum. non secundum seruatur.*

12. *Regula, quod in dubijs tutior pars est eligenda intelligitur de dubio negatiuo, quando scilicet operans est anceps, & nullam rationem habet operandi; non autem de dubio positiuo è contra.*

13. *Regula, prædicta intelligitur etiam de dubio practico, si v. g. dubitet quis vtrum sibi liceat inire contractum aliquem, peccabit si ineat.*

14. *Prudentia consistit in iudicio mentis definientis quid hic, & nunc agendum sit.*

15. *Apostoli dictum ad Rom. 14. declaratur.*

16. *Regula prædicta non intelligitur de dubio speculatiuo; quia ex eo non cogimur sequi tutiorem opinionem.*

17. *Textus in cap. Capellanus de ferijs declaratur quod intelligi debeat de Consilio, non autem de præcepto, secus tamen est in Iudice, qui dicto cap. tenetur, non autem agens morale in suis actionibus moralibus.*

18. *Arguitur à repugnantia, à contrarijs, & contradictorijs quod retinens propriam opinionem non possit operari secundum opinionem aliorum.*

19. *Soluitur argumentum in sententia eorum qui docent operantem secundum opinionem aliorum non posse retinere propriam nam sufficit quod suspendat iudicium suum probabile, vel probabilius de obligatione, cum euidens non sit, & non necessario habeat intellectum.*

20. *Soluitur prædictum argumentum in opinione eorum qui docent operantem secundum opinionem aliorum; non esse necessarium, relinquere, sed posse retinere propriam.*

21. *Contradictoria, seu propriè pugnantia sunt quæ dicuntur de eodem respectu eiusdem secundum idem, non autem secundum diuersa.*

22. *Opinio propria speculatiua eo ipso, quod incerta, & facta, falsa est, non potest esse regula operationis.*

23. *Conscientia non est speculatiua aliqua opinatio; sed practicum moraliter certum iudicium de agendo.*

24. *Qui certus est certiorari vlterius non oportet.*

25. *Ieiunare non tenentur fœmina quinquagenaria, & vir sexagenarius siue ieiunium sit de præcepto, siue ex voto; licet quoad votum dissentiant DD.*

26. *Ieiunium ex voto est de iure diuino, quod fortius obligat quam Ecclesiasticum, quod est de iure positiuo.*

27. *Agens morale non solum potest in agendo sequi opinionem aliorum probabilem relicta propria probabiliori, sed etiam in casu grauis necessitatis tenetur sequi opinionem aliorum quamuis parum, quin & ferè nihil probabilem relicta propria licet multò probabiliori.*

28. *Testis legitimè interrogatus à Iudice de crimine alicuius grauis, & honesti viri, vel reipublicæ non mediocriter necessarij quam tamen grauitatem, & honestatem non nouerit, sed de ea dubitet, potest in tali casu probabiliter tacere si ita opinetur.*

29. *Matrimonium bona fide contractum à muliere inualidè tamen si non possit per nouum consensum expressum à marito validari, sufficit si affectu maritali accedat.*

30. *Absolutio impendi debet morituro qui absente Sacerdote exhibuit signa doloris.*

Respondetur affirmatiuè; ita vt agens moraliter possit in agendo, etiam in articulo mortis, sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, etiam aliorum, relicta probabiliori, & tutiori, etiam propria, quia, cum quis agit probabiliter (siue in opinione propria, siue in opinione aliorum) agit prudenter, vt potè non temerè, sed cùm fundamento, ergo sine peccato. 1 2

Confirmatur, quia alij ex illa opinione agunt prudenter, & sic sine peccato, ergo & iste; præsertim, quia in moralibus non tenetur homo agere optimum, sed sufficit, si agat bonum; præsertim etiam, quia sæpè opinio, quæ alicui probabilior, & tutior apparet, in se probabilior, & tutior non est. 3

Confirmatur secundò, quia si homo in agendo semper teneretur sequi opinionem, quæ ipsi probabilior apparet, & non possit operari ex opinione aliorum probabili, grauis obligatio ipsi incumberet, ponderandi scilicet opinionum probabilitatem maiorem; vnde via scrupulis aperiretur quàm maxima; præsertim quia obligaretur singulis horis opus variare, cum facilè contingere possit, quod modò vni opinioni adhæreat, vt probabiliori, modò contrariæ. 4

Atquè ità docent Nauarr. *cap. 27. num. 280. & 288. &c. si quis autem d. 7. de pœnit.* Vasq. *quæst. 14. punct.* 4. Petrus Nauarr. *de restitut. lib. 3. cap. 1. dub.* 13. *num.* 237. Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num.* 7. Medina 1. 2. *quæst. 19. art. 6. dub. penult.* Aragon. 2. 2. *qu. 63. art.* 4. Salon. *ibid. controuers.* 2. Lopez *part. 1. Instr. cap.* 120. Suar. *tom. 5. disp.* 40. *sect.* 5. Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 16. quæst.* 2. & 4. Gutierez *lib. 99. can. cap. 13. num.* 23. Henriq. *lib. 14. cap. 3. num.* 3. Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 15. num.* 4. Filliuc. *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num.* 128. Malder. *in* 1. 2. S. Th. *quæst. 19. art. 5. disp. 86. assert.* 3. Tamner. *ibid. disp. 2. quæst. 4. dub. 3. num.* 36. Gartias *de benefic. tom. 2. part. 11. num.* 361. Eman. Barbosa *in Remiss. Doctor. ad ordin. Relig.* Lusit. *lib. 3. tit. 64. num.* 10. Villalobos. *tom. 1. tract. 1. diffic.*

diffic. 10. num. 2. Lorca in 1. 2. tom. 1. diſp. 39. membr. 2. Martinez. ibid. tom. 1. quæſt. 29. art. 6. Aluarez. ibid. etiam diſp. 80. Sanctarellus var. reſol. part. 1. quæſt. 59. num. 4. Barboſa in collectan. tom. 1. lib. 2. tit. 9. cap. 4. num. 6. Portel. in addit. ad dubia Regular. verb. opinio num. 3. Diana part. 2. tract. 2. reſol. 1. & 9. Sayr. in claui Reg. lib. 1. cap. 5. num. 4. & 8. & innumeri alij, quos citat, & ſequitur Salaſ. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 6. num. 66. Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. num. 9. & lib. 1. moral. cap. 9. num. 14. & Io. Sanc. in ſelect. diſp. 19. & 42. num. 12 contra Gloſſam in cap. Capellanus de ferijs, Caietanum verb. opinionis vſus, Angelum verb. opinio, Io Maiorem in prologo 4. ſentent. q. 2. concl. 3. Syluestrum verb. opinio quæſt. 1. & 2. & verb. dubium. quæſt. 2. Armillam eod. verb. opinio, §. 1. & ſeqq. Gabrielem in 4. diſt. 15. quæſt. 8. art. 3. dub. 2. S. Antoninum part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. Regul. 4. Comitolum in Reſponſ. lib. 1. quæſt. 15. Perez. certam. ſcholaſt. 10. num. 55. Cordubam lib. 2. quæſt. 3. & Burgos de Paz. in proœm. legum Tauri. num 162. & ſeq. quamuis iſte num. 409. concedat, eligi poſſe opinionem æquè probabilem, & ſi non minùs probabilem.

5 Obijcies: ſic operans videtur velle errare, non eligendo, cum poſſit, partem tutiorem, ergo peccat.

Reſpondetur: nego antecedens; quia eligendo opinionem aliorum probabilem, æquè tutam partem eligit, ac, ſi ex ſua probabiliori opinione operaretur: nam inter probabiles opiniones neutra datur formaliter tutior, ſeu ſecurior altera ſed vtraque eſt æquè tuta, ſeu ſecura; ſiquidem ſecuritas opinionis ſita eſt in

6 eo, quod operans ex illa, Deum non offendat; cum ergo operans ex opinione probabili, nullo modo Deum offendat ſequitur, operantem æquè ſecurum eſſe, ac ſi ex opinione probabiliori operaretur: Itaque quando dicitur vnam opinionem eſſe tutiorem, ſeu ſecuriorem altera, intelligitur non de ſecuritate formali, ſed de

7 materiali, ſcilicet quod qui ſequitur opinionem probabiliorem, non ſolùm non attingit culpam formaliter, ſed nec etiam materialiter; vti contingit, cum eſt opinio probabilior obligans ad reſtitutionem, & eſt altera opinio probabilis deobligans. in quo caſu ſi fiat reſtitutio, nulla poteſt eſſe diſſonantia ad legem diuinam, nec formalis nec materialis; at ſi non fiat poterit, eſſe diſſonantia materialis ad dictam legem diuinam, quæ dictabat, in tali caſu reſtitutionem eſſe faciendam; At non obligatur homo ſequi, quod in ſe tutius eſt, vti ſuprà dicebam; præſertim, quia quan-

8 do operatur ex opinione probabili, de facto operatur ex probabiliori, ſi quidem de facto probabilior opinio eſt, hominem poſſe operarari ex opinione probabili, relicta probabiliori; conſequenter, cum operatur ex illa, de facto operatur ex opinione probabiliori: nam v. g. ad eum excuſandum à reſtitutione facienda concurrit opinio probabilis, & ad eumdem excuſandum, quod non obligetur ſequi opinionem probabiliorem (quæ ipſi dictabat, reſtitutionem faciendam eſſe) concurrit opinio probabilior, ergo &c.

Obijcies ſecundò: In dubijs, ne errandi 9
periculo quis ſe exponat, tutior via eligenda, cap. iuuenis de ſponſalibus, cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti. 2. de homicid. quapropter in c. ſi quis autem, diſt. 7. de pœnit. dicitur; tene certum, & dimitte incertum.

Reſpondetur primò, regulam iſtam intelligi de conſilio, non de præcepto; ſic S. Antonin. part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. & Nauarr. in c. ſi quis autem, num. 34. & in Man. cap. 27. num 281. Vnde (licet tutior, & conſultior ſit opinio v. g. dicentium, hominem laſpum in 10
peccatum mortale, habitâ copia confeſſarij, teneri ſtatim ad confitendum: Item teneri dolere peccata diſtinctè ſingula, & intentius 11
grauiora) nihilominus licitum eſt, in praxi ſequi opinionem oppoſitam probabilem, ſcilicet teneri confiteri ſolùm in Paſchate, vel in periculo mortis; & teneri dolere peccata omnia in communi, & æquali quocumque (vel remiſſo, vero tamen) dolore.

Reſpondetur ſecundò, Regulam dictam intel- 12
ligi de dubio negatiuo (quandò ſcilicet operans eſt anceps, & nullam rationem, ſeu motiuum habet operandi; quia tunc operando operaretur imprudenter, & ſine fundamento atque adeò cum peccato quapropter in tali caſu, cum ſit propriè dubium, ſolùm eſt vna pars tuta) non autem intelligi de dubio poſitiuo; quando ſcilicet operans rationem, ſeu motiuum habet operandi probabile quia tunc prudenter, & cum fundamento, atque adeo ſine peccato operatur: quapropter in tali caſu, cum non ſit propriè dubium, (quia ſcilicet operatur ex opinione probabili) vtraque pars eſt æquè tuta.

Reſpondetur tertiò, Regulam dictam intel- 13
ligi de dubio practico (in hoc enim vltrò concedo, quod quiſque obligatus ſit ſequi partem tutiorem; v. g. ſi dubitat, ſeu incertus ſit, vtrum ſibi hic, & nunc licitum ſit, contractum talem inſtituere, peccabit, ſi inſtituat; quia committeret ſe peccati periculo; ſiquidem omnis actus humanus rectus, & honeſtus, debet eſſe prudens; prudentia autem 14
conſiſtit in iudicio mentis definientis, quid hic, & nunc licitè fiat, vel non fiat; quapropter Apoſt. ad Rom. 14. ait: quod non eſt ex fide, 15
peccatum eſt; ideſt, quod non ſit cum determinato iudicio intellectus, ſeu cum determinata conſcientia, licitum eſſe, quod hic, & nunc agitur, vel omittitur, id peccatum eſt) Non autem intelligi de dubio ſpeculatiuo, v. g. 16
vtrum talis contractus ſecundum ſe, & ſuapte natura iuſtus ſit; quia in dubio ſpeculatiuo, non eſt neceſſe ſequi partem tutiorem; ſiquidem ſequendo partem minùs tutam, tamen probabilem, formare poſſum conſcientiam, ſiue iudicium moraliter certum, licitum eſſe mihi hic, & nunc operari ſecundùm opinionem ſpeculatiuè, & aliorum probabilem; conformando me illis, & certo mihi perſuadendo, quod ſoluent illæ rationes in oppoſitum, iuxta ea, quæ infrà dicentur ad 4.

Obijcies tertio: in cap. Capellanus de ferijs 17
ſecutus eſt Pontifex ſecundo loco ſibi propoſitum, eo quod meliori, & ſubtiliori ratione nitebatur; ergo ſequenda eſt opinio

probabilior, relicta semper probabili.

Respondetur, vt supra, distinguo consequens; de consilio, concedo; de præcepto, ità vt ad id agens obligetur, si oppositæ sententiæ rationem probabilem habet, nego; sic Syluest. *verb. opinio in fin. quæst.* 1. vel Respondetur distinguo etiam consequens; si loquamur de Iudice, concedo: si loquamur de agente morali in suis actionibus moralibus, negò; & disparitas patet ex dictis; quia agentis moralis officium non est definire, seu ius dicere inter partes litigantes iuxta merita causæ, & sine acceptione personarum, sed potius sibi consulere, & magis sibi, quàm alijs; cum charitas sit ordinata; quapropter potius retorquetur argumentum.

18 Obijcies quartò: non videtur, qua ratione id fieri possit; quia sequens opinionem probabilem aliorum, vel retinet propriam, quæ ipsi probabilior videtur, vel non; si primum, impossibile videtur, eum posse operari secundùm opinionem aliorum; quia, vt operetur rectè, formare debet iudicium practicum de bonitate obiecti, id est, iudicare debet, hic, & nunc sibi esse licitum operari; sed hoc iudicium pugnat cum altero iudicio probabiliori, quod habet, sibi talem operationem non esse licitam; & licet vtrumque ex ijs iudicijs causas, seu motiua diuersa habeat, in causa tamen non est, quominùs iudicia illa inter se pugnent, ergo simul esse non possunt. Si dicas, operantem relinquere propriam opinionem, cum secundùm opinionem aliorum vult operari; contra est, quia, præterquàm quòd id est contra plures, & graues Doctores affirmantes, necessarium non esse, videtur esse ferè impossibile; quia intellectus non facilè dimouetur ab assensu, quem verum existimat; cum proposita veritate obiecti, libertatem non habeat, ergo operans absolutè non potest, relicta opinione sua probabiliori, sequi opinionem aliorum probabilem.

19 Respondetur primò in sententia eorum, qui docent, operantem secundùm opinionem aliorum non posse retinere propriam ex eo, quia alioquin essent duo assensus contrarij simul: quod repugnat, vt dicitur in argumento, & explicatur sic magis: Iudicat quis probabilius (si quid facit, vel omittit) se esse obligatum ad restitutionem, altera opinione affirmante, ipsum non esse obligatum: esse, & non esse obligatum contradictionem inuoluunt; ergo non possunt ab eodem intellectu simul iudicari; quamuis fieri possit, hominem simul iudicare suam opinionem esse probabiliorem altera, & alteram esse probabilem: At hoc iudicium nec dirigit opus se solo, nec est iudicium probabile, de quo loquimur, sed est iudicium euidens: euidenter enim iudicat, sibi probabilius apparere, obligatum esse ad restitutionem, & aliorum opinionem deobligantem probabilem apparere. Quod autem insufficiens ipsum sit ad regulandam actionem se solo, probatur; quia si probabilius iudicabat, se esse obligatum ad restitutionem, vt ab hac obligatione eximatur, debet iudicare, se non esse obligatum: non enim sufficit, si iudicet, alios sentire, se non esse obligatum, nisi ipse sentiat, se non esse obligatum, aliàs contra propriam conscientiam faceret operando ex aliorum opinione, ergo si retineat suam probabilem, vel probabiliorem de obligatione, nequit simul assentiri, se obligatum non esse, sed ad summum assentiri poterit, alios iudicare, se obligatum non esse; quod non est sufficiens ad honestandam suam actionem; quapropter cum secundùm aliorum opinionem vult operari, iudicium suum probabile, vel probabilius de obligatione suspendere debet, & potest; cum non sit euidens, & consequenter non necessariò trahat intellectum; sic complures Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 42. quatenùs ait, non posse Medicum consulere contra propriam opinionem, subiungens: *Quòd intelligo retento eo dictamine, quia attendens, contrarium asserere doctiores, posset prudenter id deponere, ac iam medicinam consulere.*

Respondetur secundò in opinione eorum, qui docent, operantem secundùm opinionem aliorum, non esse necessarium, relinquere, sed posse retinere propriam, ex eo, quia homo simul habere potest illos duos assensus contrarios, vnum nitentem principio intrinseco ipsius rei, alterum nitentem principio extrinseco, scilicet authoritati Doctorum, vel etiam nitentem alteri principio intrinseco, itàvt pugnantia, seu contrarietas saluetur secundùm diuersa motiua, & sic non sit propriè pugnantia; quia propriè pugnantia, seu contradictoria sunt, quæ dicuntur de eodem respectu eiusdem secundùm idem, non autem secundum diuersa: Vnde in diuinis, v. g. Pater est æqualis filio secundùm diuinitatem, non æqualis secundùm humanitatem: quod maximè dici potest in casu nostro, cum intellectus non affirmet, vtramque sententiam esse certam, sed vtramque esse probabilem, seu probabiliter posse sustineri, idque per diuersos actus ex diuersis motiuis prouenientes: quare non est mirum, quòd homo possit propriam opinionem retinere, & contra illam operari, quia speculatiua illa propria opinatio, eo ipso, quod incerta, & forsan falsa sit, non potest esse regula operationis; consequenter operans sequi debet aliam regulam, eamque moraliter certam, scilicet, quod in dubijs quæstionibus circa mores quilibet operari possit secundum opinionem, quàm viri docti, tanquam probabilem, & sic in praxi tutam, defendunt: neque verò tunc agit contra propriam conscientiam, cum conscientia non sit speculatiua aliqua opinatio, sed practicum moraliter certum iudicium de agendo, quod in tali casu propter rationes dictas possit homo licitè operari secundùm opinionem, etiam aliorum speculatiuè probabilem, etsi: adhuc certior, magisque à peccati periculo, seu potius ab apparentia periculi remotus esset, in quo valet iuris Regulà 31. *in 6. qui certus est, certiorari vlteriùs non opportet.*

Ex his sequitur, quod stante opinione quæ (sicuti videre est apud Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 7.) vt probabilis à non nullis defenditur, quod fœmina in quinquagesimo anno (sicut vir in sexagesimo) libera sit à jejunio fœmina

quinquagenaria (ſicut vir ſexagenarius) non teneatur ieiunare, Io. Sancius *in ſelect. diſp.* 54. *num.* 11. contra Th. Sanchez. *loco ſuprà cit.* vbi tamen notat, quod ob eaſdem rationes à ieiunio excuſetur vir ſexagenarius, ſiue ieiunium ſit de præcepto, ſiue ex voto; vt ſi vouerit toto vitæ tempore certis anni, vel hebdomadæ diebus ieiunare; quamuis quoad hoc poſterius diſſentiant alij, quos citat, & ſequitur Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 2. for-
26 ſan ex eo, quia ieiunium ex voto eſt de iure diuino, quod fortiùs obligat, quàm Eccleſiaſticum, quod eſt de iure poſitiuo.

27 Sequitur ſecundo, quòd agens moralitèr non ſolum poſſit in agendo ſequi opinionem aliorum probabilem, relicta propria probabiliori, ſed etiam in caſu grauis neceſſitatis teneatur ſequi opinionem aliorum, quamuis parum quin & ferè nihil probabilem, relicta propria, quamuis multò probabiliori, quia ratione talis neceſſitatis, & periculi opinio aliàs parum, quin, & ferè nihil probabilis, redditur qu m maximè probabilis, & ſecura; Sot. *de ſecreto tegendo*, *membr.* 3. *quæſt.* 2. *concl.* 3. Nauar. *in cap. inter verba edit.* 2. *Corollar.* 33. *num.* 135. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 36. *num.* 8. *& lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 25. & Villalob. *in ſum tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 8. Vnde
28 v. g. ſi quis putet, Iudicem legitimè interrogare de crimine alicuius grauis, & honeſti viri, vel Reipublicæ non mediocritèr neceſſarij, ſed id ipſe certò non nouerit ſed aliquantulùm dubitet, poteſt ad mentem Iudicis interrogantis non reſpondere, iudicans in tali caſu, ſe poſſe probabiliter tacere. Item, ſi mulier bo-
29 na fide contrahens matrimonium inualidè; poſtea non poſſit nouum conſenſum expreſſum à marito obtinere, ſufficit ſi affectu maritali accedat. Item, ſi moriturus exhibeat ſigna
30 doloris ſacerdote abſente, pòterit poſtea iſte veniens, in præſentia illum abſoluere; quia in his, & ſimilibus caſibus grauis neceſſitas opinionem ali s parùm, quin, & feré nihil probabilem, reddit quàm maximè probabilem.

DVBITATIO VI.

An idem dicendum ſit, de Doctore, vel confeſſario conſulente, vel docente?

SVMMARIVM.

1. *Doctor, vel confeſſarius in qualibet materia, etiam Iuſtitiæ conſulere, vel docere poteſt ſecundum opinionem minus probabilem etiam aliorum relicta probabiliori etiam propria.*
2. *Doctor, vel confeſſarius licet interrogatus de ſua opinione, poteſt de aliorum reſpondere, quia interrogatus videtur quærere quid melius efficere poſſit.*
3. *Doctor, vel confeſſarius licet interrogatus de propria opinione non tamen tenetur eam manifeſtare ob inconuenientia, quæ ſequi poſſunt.*
4. *Amplia id procedere tam in exemptione legis, quam in illius obligatione contra nonnullos, niſi expreſſè rogans inquirat, an aliqua ratione excuſari poſſit.*
5. *Opinio Sanchez ab auctore approbatur, & reprobatur.*
6. *Nemo præſumitur ſibi velle obligationem imponi, ſi ab illa poſſit excuſari.*
7. *Doctor, vel confeſſarius tenens vt improbabilem opinionem aliorum à reſtitutione deobligantem, poteſt conſulentem mittere ad Doctorem, quem nouit illam vt probabilem tueri, ſi rationibus ductus is eam tueatur in Sanchez ſententia.*
8. *Opinio Sanchez prædicta reijcitur ab Auctore, & cur.*
9. *Doctor diuerſis ſecundum diuerſas opiniones probabiles diuerſa, & oppoſita conſilia, ſeruata tamen prudentia, dare poteſt.*
10. *Doctor conſulens debet ita conſilium dare, vt non mentiatur, non tamen opus eſt vt conſulat quod ipſe iudicat probabilius, niſi in caſu, quo interrogetur quid ipſe ſentiat probabilius eſſe.*
11. *Doctor conſultus, ſi interrogetur tantum de practica obligatione, poteſt ſæpe conſulere quod ipſe iudicat minus probabile.*
12. *Conſilium magis ſpectat ad iudicium practicum, quam ſpeculatiuum.*
13. *Conſilium in materia reſtitutionis in opinione minus probabili ſi ſit petenti facilius, non ſolum rectè, ſed etiam melius datur.*
14. *Conſilium petenti à Doctore, ſi ſibi non placet, poteſt alium, vel alios conſulere Doctores, donec inueniat qui det ipſi placidam reſponſionem.*
15. *Magiſter non tenetur docere quæ ſibi videntur probabiliora, & cur, ſufficit enim ſi doceat quæ ſibi videntur probabilia.*
16. *Magiſter docens improbabiles opiniones ſiue ex malitia, ſiue ex ignorantia culpabili tum in rebus grauiſſimis, vt fidei, tum in rebus parui momenti, vt grammaticæ, peccat mortaliter, & tenetur deceptionem tollere.*
17. *Limita niſi id agat vt magiſter, ſed vt quidam ſpecialis Doctor cauſa exercendi ingenij: non præbendo aſſenſum opinioni improbabili.*
18. *Amplectens ſolo aſſenſu, temerè circa moralia opiniones improbabiles remoto ſcandalo aliorum, & periculo proprio eas in praxi ſequendi in ſententia Salaſ. non peccat niſi venialiter contra autem tenet hic auctor irrefragabili fundamento textus.*
19. *Doctor conſultus, Parrochus, confeſſarius, concionator &c. tenetur ad compenſationem damni ſecuti ſolum ratione ignorantiæ craſſæ, vel negligentiæ grauis in conſiderando, quæ attingit culpam grauem.*
20. *Conſiliarius ſuadens conſulenti vt hoc, vel illud faciat aut abſolutè aſſerens illum poſſe facere, tenetur habere euidentiam moralem illud cum his circumſtantijs huic eſſe licitum alioquin committit culpam grauem contra prudentiam.*
21. *Compenſatio à quibus fieri non debeat rationę*

consilij exactè recensetur ex deductis.

1 Respondetur, affirmatiuè; ità vt possit Doctor, vel Confessarius in qualibet materia, etiam in materia Iustitiæ, consulere, vel docere secundùm opinionem minùs probabilem, etiam aliorum, relicta probabiliori, etiam propria; quin & sæpè conueniens sit; Vasq. *disp.* 62. *cap.* 9. *num.* 47. Becanus *in* 1. 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 9. *num.* 16. Salas. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 6. *num.* 69. *& section.* 9. *num.* 84. Lopez *par.* 1. *Instr. cap.* 120. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 9. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resolut.* 14. Villalob. *in summ. tom.* 1. *tract.* 1. *dub.* 12. *num.* 2. Sayr. *in Claui Regia lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 19. & Io. Sanc. *in select. disp.* 41. *num.* 7. & probatur, quia si potest homo ex opinione minus probabili, etiam aliorum, actiones suas regulare, poterit etiam alienas.

Obijcies. Interrogans te non rogat de aliorum opinione, sed de tua, ergo teneris, vt ad eius mentem respondeas, propriam opinionem, non aliorum, manifestare.

2 Respondetur negò antecedens; quia interrogans non tam inquirit tuam, vel aliorum opinionem, quàm quid ipse mitiùs efficere possit siue secundùm tuam, siuè, secundùm aliorum, opinionem.

3 Respondetur, secundò esto interroget de tua non tamen semper teneris illam manifestare; cum ex hoc sæpè inconuenientia sequantur.

Limitant Vasq. *num.* 47. Salas. *sect.* 9. *num.* 85. Diana, & Io. Sanc. *disp.* 43. *num.* 42. *& disp.* 44. *num.* 50. nostræ Responsionis, doctrinam, vt intelligatur, quando interrogantem deobligas; secùs, si eum obliges: tunc enim sentiunt ipsi, te non posse secundùm opinionem aliorum probabilem consulere; quia, cum ipse rogat; non de aliorum, sed de tua opinione, immeritò ei obligationem imponis; quamuis Sanchez. *cit. cap.* 9. *num.* 22. teneat, te posse consulere ex aliorum probabili opinione, tam
4 exemptionem legis, quàm obligationem illius; nisi expressè rogans inquirat, an aliqua ratione excusari possit, à restitutione v.g. facienda. quia tunc absque dubio (in quo conueniunt Doctores) teneris, vel à consilio dando abstinere, vel opinionem aliorum probabilem excusantem manifestare.

5 At ego sentio præter hunc casum (in quo conueniunt Doctores) te posse, etiam ex aliorum opinione probabili obligationem consulere, si consulens intelligat, solùm ex probabili opinione sibi obligationem esse consultam; in quo sensu mihi placet opinio Sanchez; quia tunc veritatem manifestas, neque ei iniuriam facis; cum tacitè dicas, contrarium etiam esse probabile & fieri posse tuto; At si consulens apprehendat, illud sibi, vt certum, consuli, sicuti solent apprehendere rudes, mihi non placet opinio Sanchez; quia iniuriam ei facis, si ab ignorantia ipsum non remoueas: præsertim quia quilibet consulens, estò expressè non roget, an aliqua ratione, à restitutione v. g. facienda, excusari possit, tacitè tamen id rogat, cum dicit, an teneatur ad restitutionem, ergo, si quando rogat expressè, an teneatur, debes aliorum, vel tuam probabilem opinionem excusantem manifestare, debebis etiam, cum absolutè de obligatione petit; quia nemo præsumitur, sibi velle obli-
6 gationem imponi, si ab illo possit excusari.

An autem si opinionem aliorum à restitu-
7 tione de obligantem teneas improbabilem, possis consulentem mittere ad Doctorem, quem noueris illam, vt probabilem tueri?

Respondetur: quod (quamuis Sanchez *num.* 23. doceat, te posse id facere, si Doctor ille
8 non ignorantia, sed rationibus, quæ ipsi & alijs probabiles videntur, ductus, opinionem illam tueatur) tamen dicendum sit doctrinam istam sic explicatam non posse subsistere, quia, vel opinionem illam, quam Doctor ille tuetur, euidenter iudicas esse falsam, vel non: si primùm, iudicare etiam debes, Doctorem tuentem illam ignorantia laborare, ac proinde in re opinionem illam defendi non posse consequenter tu occasio esse nòn debes, vt quis eam amplectatur. Si secundùm; imprudenter procedis, si illam probabilem non arbitreris; quia licet tibi non probetur per principium intrinsecum, probari tamen debet per principium extrinsecum, & sic poteris remittere consulentem ad eum Doctorem, sicuti & tu poteras secundùm opinionem eiusdem Doctoris consulenti respondere: Hinc. Vasq. *disp.* 62. *cap.* 9. *num.* 48. & Salas. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 9. *num* 48. solùm docent, te non posse remittere interrogantem ad Doctorem alium, cuius opinionem falsam euidentèr reputas; Quamuis, vt fatear, non omninò à ratione alienum videtur, quod Doctor consultus significet consulenti, opinionem à quibusdam viris doctis defendi, tanquam probabilem, quam proinde consulens sequi possit, & si Doctor consultus falsam esse certò sibi persuadeat (vt proinde, sicuti rectè docet Vasq. *cit. disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 8. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 6. Sayr. *in Claui Reg. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. & Sancius *in select. disp.* 14. *num.* 8. ipsemet in prax. eam sequi non possit) quia, cum consulens in re dubia ius habeat se conformandi opinioni, quæ à quibusdam viris doctis, defenditur, nihil obstante, quod aliqui alij contradicant, & speculatiuè eam imbrobabilem iudicent. hoc ipsum ius consulenti Doctor consultus iudicare posse, prohiberi non videtur; Atque hinc fit quod vir doctus diuersis secundùm diuersas oppositas probabi-
9 les opiniones diuersa, & opposita consilia, seruata tamen prudentia, dare possit. Vide Vasquez, Sanchez, Salas. Io. Sancium, & Becanum supra citatos, qui in eo conueniunt
10 quod Doctor consultus debeat ità consilium dare, vt non mentiatur, non tamen sit opus, vt consulat, quod ipse iudicat probabilius, nisi in casu quod interrogetur, quid ipse sentiat, probabilius esse; quia tunc debet (& si neque necessariò semper; vt suprà dicebam)
11 consulere, quod ipse iudicat probabilius; Atsi solùm interrogetur de practica obligatione, po-

teſt ſæpè conſulere, quod ipſe iudicat minùs 12 probabile quia conſilium magis ſpectat ad iudicium practicum quàm ad ſpeculatiuum quapropter ſæpè conſulēdo minus probabile (quod 13 ſcilicet conſilium petentem ab obligatione reſtitutionis, vel alia eximit) non ſolum rectè, ſed etiam melius faceret; vt ſic conſilium petenti proſpiciat, & conſulat id, quod iſte faciliùs, & cum minori periculo poterit præſtare.

14 Ex dictis ſequitur, poſſe conſilium petentem, cui placida non eſt reſponſio vnius Doctoris, alium & alium doctum Doctorem inquirere donec inuenerit, qui det ipſi placidam reſponſionem; quia in inquiſitione vtitur iure ſuo; cum ſolùm inquirat ſcientiam de obligatione, an ſcilicet ſit aliquis vir doctus, qui ipſum legitimè excuſet ab obligatione, quam alij ei imponunt; Zumel 1. 2. *quæſt. 76. art. 2. diſp. 4. in fin.* & Sanchez *cap. 9. num.* 24.

Dixi, *alium, & alium doctum Doctorem*; quia alias non recta intentione procederet; & ſic Reus eſſet culpæ mortalis, Adrian. *in 4. de reſtitut. 9. de præſcript. dub. vlt* & Nauar. *cap.* 17. *num.* 83.

15 Sequitur ſecundò, non teneri Magiſtrum docere quæ ſibi videntur probabiliora; præſertim, quia ſæpè talia ſolent eſſe minus recepta & probata; & præſertim, quia ipſi graue onus incumberet: teneretur enim inquirere rationes vtriuſque opinionis, & cogeretur quotidiè in ſcriptis mutare opinionem: cum modò vna, modò altera facilè poſſit ſibi apparere probabilior; quapropter ſufficit, ſi doceat, quæ ſibi videntur probabilia; idque contra Salas. *diſp. vnica, ſect. 6, num.* 69. & Sanchez. *cap. 9. num.* 26. abſque eo quod incurrat peccatum, vel veniale quia ſemper eſt ratio excuſans, ſcilicet graue onus, quod Magiſtro incumberet inueſtigandi cauſas probabilitatis opinionum & mutandi in dies in ſcriptis opinionem.

16 Sequitur tertiò, peccare mortaliter Magiſtrum, ſi doceat improbabiles opiniones (ſiue ex malitia ſiue ex ignorantia culpabili) non ſolum in rebus pertinentibus ad fidem, vel mores (in quo conueniunt Doctores) cum in rebus grauiſſimis, & ipſe erret, & alijs det cauſam erroris; ſed etiam in rebus parui momenti, vt Logicæ, vel Grammaticæ &c. quia officio Magiſtri, cui ſe ingerit, non ſatisfacit tum quia grauem iniuriam auditoribus infert, in intellectu eorum errores generando; quapropter rectè dixit Petr. Nauar. *de reſtitut. lib. 2. cap. 2. dub. 1. num.* 83, teneri talem Magiſtrum ad reſtitutionem, ideſt deceptionem 17 tollere; quamuis, ſi quis, non vt Magiſter, ſed vt quidam ſpecialis Doctor, cauſa ingenij exercendi, improbabiles opiniones in Grammatica, vel Logica ſequatur; excuſari poſſit à mortali, iuxta textum *in c. in quibus*, 22. *quæſt.* 2. *ibi. in quibus nihil intereſt ad capeſſendum regnum Dei, vtrum credantur, aut non: vtrum vera putentur, vel falſa; in ijs errare, aliud pro alio putare, non eſt arbitrandum eſſe peccatum: aut ſi eſt, minimum eſt, atque leuiſſimum*: Vbi nota, quod textus loquitur, non de docente publicè has opiniones falſas, ſed de aſſentiente illis, Salaſ. & Sanchez *in locis ſuprà cit.*

18 Sequitur quartò (licet Salaſ. *cit. diſp. vnica ſect. 5. num.* 44. doceat, quod ſi quis, non in praxi, ſed in ſolo aſſenſu, temerè circa moralia opiniones improbabiles, remoto ſcandalo aliorum, & periculo proprio eas in praxi ſequendi, amplectatur, non peccet, niſi ſolùm venialiter) contrarium eſſe dicendum: quia ex malitia, vel ignorantia culpabili de rebus ad fidem, vel mores pertinentibus malè ſentire, graue malum eſt tum quia, cum quis eis ſic adhæreat, eſt maximum periculum, vt eaſdem in praxi ſequatur; tum quia, cum textus *in cit. c. in quibus*, dicat, nullum vel leue peccatum eſſe, ſequi opinionem falſam in rebus, in quibus nihil intereſt ad capeſſendum regnum Dei, tacitè inſinuat, eſſe peccatum mortale, opinionem falſam ſequi in rebus, in quibus intereſt ad capeſſendum tale regnum.

19 Cæterùm Doctor conſultus tenetur ad compenſationem damni ſequuti, ſolum ratione ignorantiæ craſſæ, vel conſiderandi negligentiæ grauis, quæ attingat culpam grauem, vt dicitur *in materia de reſtitutione*, & tradunt ex communiori ſententia Doctores, quos ſequitur Io. Medina *Cod. de reſtit. quæſt.* 7. vt ſi Parrochus, Confeſſarius, Concionator, Theologus, Iuriſconſultus, vel quicumque alius eius profeſſionis, ad quam talis conſultatio ſpectabat, doceat ex ignorantia, vel conſiderandi negligentia prædicta, quempiam teneri ad reſtitutionem, qui non tenetur, vel non teneri, qui tenetur, vel contractum quempiam eſſe licitum qui eſt illicitus. Ratio quia cum talis ex officio & profeſſione teneatur hoc ſcire, & in reſpondendo hunc errorem; vel negligentiam vitare, & non fecerit cenſetur cauſa damni ſequuti; tum quia, cum ratione ſui officij, vel profeſſionis habeatur ſufficiens à conſulente, & non ſit, & tamen reſpondeat, decipit conſulentem: Accedit, quod quicum- 20 que alteri dat conſilium, ſuadens, vt hoc, vel illud faciat, aut abſolutè aſſerens, illum poſſe facere, tenetur habere euidentiam moralem, illud cum his circumſtantijs huic eſſe licitum alioquin committit culpam grauem contra prudentiam; cum nemo poſſit aliquid aggredi, niſi cum tali iudicio, ob periculum peccati, ergo nec conſulere, ob eamdem rationem.

21 Hinc primò ad compenſationem damni ſecuti non tenetur, qui conſultus reſpondet iuxta opinionem verè, etſi minùs probabilem, iuxta ea, quæ ſupra dicebam: Neque ſecundò, qui ſimpliciter aperit ſuam opinionem, dicens, ità ſibi videri non autem ſuadet, vt alter ſequatur: Neque tertiò, qui erat rerum illarum parùm peritus (v. g. quia non pertinebat ad ipſius profeſſionem) & ſciebatur à conſulente, quia in tali caſu conſulens ſibi debet imputare, ſi damnum ex illo conſilio percipiat, ſiquidem ſcienti, & volenti nulla fit iniuria: Quamuis, ſi agatur de damno tertij, tenebitur conſultus illi tertio, vt ſi ſuadet ſibi certum contractum iniuſtum, vel vt non reſtituas, &c. quia ſuo malo conſilio illi tertio inuito damnum infert; Nec refert, quod conſultus inculpabiliter ignorabat veritatem, quia ex alio capite culpabiliter ſe immiſcuit dandis conſilijs huiuſmodi; cum nemo debeat ſe immiſ-

cere dandis consilijs in rebus, quas non nouit, vel non intelligit.



DVBITATIO VII.

An idem dicendum sit de confessario absoluente.

SVMMARIVM.

1. *Confessarius siue ordinarius, siue delegatus potest pœnitentem sequentem opinionem probabilem non secutam ab ipsomet confessario absoluere etiam si à restitutione ipsum deobliget.*
2. *Confessarius delegatus in sententia multorum DD. potest cogere pœnitentem vt suam opinionem probabilem sequatur, quia cum non teneatur ministrare ex officio, solum poterit ministrare secundum propriam, & non aliorum opinionem.*
3. *Citata sententia reijcitur ab auctore validissimo fundamento asserens quod posita causa iudicij, hoc est confessione cœpta non procedit ratio prædicta sententiæ.*
4. *Confessarius tenens priuilegium Bullæ non prodesse regularibus ad effectum absoluendi ipsos à reseruatis non tenetur audire confessionem, & absolutionem impendere regulari sentienti prodesse.*
5. *Confessarij obligatio absoluendi pœnitentem sequentem opinionem probabilem, & quando opinio probabilis est de aliqua re facta, vel facienda ab ipso pœnitente, non autem de re, quæ se tenet ex parte Confessarij.*
6. *Confessarius casu quo teneatur impendere absolutionem, non impendat, peccat tantum venialiter, & sæpè stante bona fide, & zelo excusatur.*
7. *Limita quod neque peccat venialiter si suam opinionem reputet longè probabiliorem contraria, nisi pœnitens teneatur communicare.*
8. *Amplia in Doctrina Suarez & Sanchez quod peccat mortaliter nisi excuset paruitas materiæ, vt puta si confessio sit facta tantum de venialibus.*
9. *Amplia in sententia Auctoris quod semper peccat mortaliter siue confessio sit de mortalibus, siue de venialibus si pœnitens non consentiat denegatæ absolutioni.*
10. *Grauitas peccati attenditur non penes facilitatem damnum reparandi, sed penes graue damnum.*
11. *Confessarius tenetur absoluere pœnitentem existimantem bona fide contractum aliquem sibi licere, qui reuera vt probabilis ab aliquibus defenditur.*
12. *Confeßarius tenetur si pœnitens ex ignorantia putet, contractum aliquem licitum, illicitum esse monere pœnitentem dictum contractum secundum opinionem aliquorum esse licitum, vt sic eum à periculo peccandi remoueat.*
13. *Confessarius si contractus sit omnino illicitus, debet de eo ipso pœnitentem monere, & si monitus nolit ab illo desistere, inabsolutum dimittere.*
14. *Confessarius tenetur etiam absoluere pœnitentem sequentem opinionem aliorum tanquam probabilem, quam ipsemet putat improbabilem etiam cœpta confessione non obstante hac sua persuasione.*
15. *Confessarius non est superior, neque ius præcipiendi habet, nisi solum in ordine ad peccata, quæ ad tribunal pœnitentiæ deferuntur.*

Respondetur affirmatiuè; ita vt 1
Confessarius (siue ordinarius, siue Delegatus) possit pœnitentem, opinionem probabilem (quæ v. g. ipsum deobligat à restitutione) sequentem absoluere, quamuis ipse confessarius talem opinionem non sequatur, concedat tamen illam esse probabilem. Ratio quia confessarius (siue Ordinarius, siue Delegatus vt absoluat, non aliud à pœnitente requirere potest, nisi confessionem omnium peccatorum cum vero dolore, & firmo proposito non peccandi; quibus obstaculum non ponit pœnitens, eo quod sequatur suam opinionem probabilem contra opinionem sui confessarij, ergo, vt potè rectè dispositus; capax est absolutionis.

Atque ità simpliciter, & indistinctè docent Nauarr. *cap.* 27. *num.* 280. *& in cap. si quis autem de pœnit dist.* 6. *num.* 66. *& lib.* 1. *consil.* 1. *de constit. quæst.* 12. *edit.* 2. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 32. *sect.* 5: Valentia 2. 2. *disp.* 5. *qu.* 7. *punct.* 4. *in fin.* Sotus *in* 4. *d.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 5. Victor. *in summ. de confess. num.* 177. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 10. Salas. *in* 1. 2. *tom.* 1. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 8. *num.* 76. *& seq.* Malderus *ibid. quæst.* 19. *art.* 5 *disp.* 86. §. *Dico quarto*, Turrian. *in* 2. 2. *disp.* 50. *dub.* 5. *num.* 9. Syluius *in* 3. *part. quæst.* 9. *art.* 2. *quæritur* 4. *casu* 2. Montesinus *in* 1. 2. *quæst.* 5. *disp.* 29. *num.* 198. Pontius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 8. Nugnus *in addit. ad* 3. *part. quæst.* 8. *art.* 4. *dub.* 4. Fernandez *part.* 3. *cap.* 6. §. 9. *num.* 25. Coninch. *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 235. Vasquez *disp.* 62. *cap.* 7. Azor. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 10. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 4. Sayr. *de Sacram. pœnitentiæ cap.* 35. *num.* 2. *& lib.* 1. *in claui Reg. cap.* 9. *num.* 13. *& seqq.* Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 28. *& seqq.* Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 12. Perez. *certam.* 10. *scholast. dub.* 2. *num.* 93. *& seqq.* Io. Sanc. *in select. disp.* 33. *num.* 54. *& disp.* 44. *num.* 35. & alij, quos citat, & sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resol.* 11. contra Syluestrum, *verb. confeßor.* 3. *quæst.* 7. Angelum, *Confeßio.* 4. *num.* 3. S Antoninum 3. *part. tit.* 17. *cap.* 20. §. 2. Conradum *tract.* 7. *de contractibus quæst.* 100 *concl.* 3. Io. Medinam *Cod. de Confess. quæst.* 19. *in fin.* & alios, quatenus aiunt, posse confessarium Delegatum cogere pœnitentem, vt suam opinionem probabilem sequatur; quia Delegatus 2
cum non teneatur petenti Sacramentum ministrare, solùm potest illud ministrare secundùm propriam opinionem, & non aliorum

(quamuis confeſſarius ordinarius, cum teneatur miniſtrare, poſſit aliorum opinioni ſe conformare, ne alias graui oneri ſubijciatur) Ad hoc iſtorum Authorum fundamentum reſponſio patet ex dictis.

An autem confeſſarius (ſiue ordinarius ſiue Delegatus) non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur abſolutionem impendere?

3 Reſpondetur affirmatiuè, quia eſto Delegatus voluntariè ad iudicandum ſe ingeſſerit, tamen poſita iam cauſa iudicij, (neceſſariò debet ſententiam ferre, quapropter cum pœnitens ſit rectè diſpoſitus, non poteſt, niſi eum abſoluere. Nauarr. Suar. Valentia, Vaſq. Azor. Salaſ. Sotus, vterque Sanchez, & alij *in locis ſuprà cit.*

Dixi, *poſita iam cauſa iudicij*, ideſt, confeſſione cœpta; quia ante illam, ſicuti confeſſarius Delegatus non tenetur audire pœnitentis confeſſionem ita etiam neque tenetur ſequi eius opinionem; quapropter confeſſarius tenens priuilegium Bullæ non prodeſſe
4 Regularibus ad effectum abſoluendi ipſos à reſeruatis, non tenetur audire confeſſionem, & abſolutionem impendere Regulari ſentienti prodeſſe Doctores, quos ſequitur Pontius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 25. & Io. Sanc. *in ſelect. diſp.* 44. *num.* 10. qui ſubdunt, quod confeſ-
5 ſarij obligatio abſoluendi pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, ſit quando opinio probabilis eſt de aliqua re facta, vel facienda ab ipſo pœnitente, non autem de re, quæ ſe tenet ex parte confeſſarij, qualis eſt de iuriſdictione, vel approbatione ipſius; quia tunc negata abſolutio non arguit indiſpoſitionem, & indignitatem in pœnitente, ſed defectum iuriſdictionis, vel approbationis in ipſo confeſſario ac proinde non irrogat iniuriam pœnitenti, ſed potius ipſimet confeſſario.

6 Cæterum caſu, quo Confeſſarius tenetur impendere abſolutionem, & non impendit, Vaſquez, Salaſ. Monteſinus & Sayrus cenſent, eum peccare ſolum venialiter, quin ſæpe ex bona fide, & zelo ſuæ opinionis excuſari; Alij, vt Perez putant, nec etiam pec-
7 care venialiter, ſi Confeſſarius ſuam opinionem reputet longè probabiliorem contraria; quia cauſam habet, inquiunt ipſi, ſuſpendendi abſolutionem, vt ſua opinio tales vires recipiat; quamuis excipiant caſum, quando pœnitens communicare tenetur; quia tunc, ſubdunt ipſi pœnitenti graue onus imponeretur ex denegata abſolutione, cum ritè diſ-
8 poſitus accedat; Alij, vt Suarez, & Sanchez tenent, peccare mortaliter, niſi excuſet paruitas materiæ, vt ſi denegaret abſolutionem, quando confeſſio eſſet breuis, vel de ſolis venialibus facta, quia tunc videtur non graue onus imponi pœnitenti, alium confeſſarium adeundi, & ſic ad ſummum peccaret venialiter; Alij, vt Io. Sanc. & Diana putant peccare mortaliter, ſi confeſſio fuerit de mortalibus; quapropter tacitè inſinuant, peccare ſolum venialiter, ſi fuerit ſolum de venialibus.

9 Ego tamen arbitror, peccare ſemper mortaliter, ſi denegatæ abſolutioni non conſentiat etiam pœnitens, ſiue confeſſio fuerit de mortalibus, ſiue tantùm de venialibus; Et quidem, ſi Confeſſio fuerit de mortalibus, videtur res clara; quia eſt graue onus obligare pœnitentem ad iterum confitendum peccata grauia, & ad iterum habendum verum dolorem de illis; de peccatis verò venialibus probatur, quia negando pœnitenti abſolutionem, priuas eum magno beneficio Sacramenti; ad quod ius ille habet, ergo peccas grauiter, atque adeò mortaliter.

Neque obſtat, ſi dicas, quod pœnitens huiuſmodi priuationem facilè poſſit reparare, eadem peccata venialia iterùm confitendo.

Reſpondetur: enim, id te à peccato mortali non excuſare; ſiquidem hæc reparatio eſt per accidens; ſicuti non te excuſaret à graui iniuſtitia, ſi dignum aliquo beneficio Eccleſiaſtico priuares, ſciens, eum facilè aliud æqualis valoris beneficium poſſe conſequi; quia ad grauitatem peccati non debet atten- 10
di, an damnificatus poſſit damnum reparare, ſed, an damnum datum ſit graue.

Quod autem priuatio abſolutionis & priuatio fructus Sacramenti in Confeſſione venialium ſit graue damnum. & ſic grauis materia, probatur, quia, ſi ex voto quis teneatur venialia confiteri, & omittat, peccat mortaliter; ergo ſignum eſt, quod obligare pœnitentem ad iterum confitenda venialia. & pœnitentem fructu talium peccatorum confeſſionis factæ priuare, ſit materia grauis.

Ex his ſequitur, à fortiori teneri Confeſ- 11
ſarium abſoluere pœnitentem exiſtimantem bona fide contractum aliquem ſibi licere, qui reuera vt probabilis ab aliquibus defenditur; & ſi ipſe Confeſſarius tali opinioni aliorum non adhæreat, putet tamen eam eſſe probabilem; quia pœnitens in tali caſu ex duplici capite accedit ritè diſpoſitus; Doctores, quos ſequitur Villalobus *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 17. *num.* 2. Quinimo etiam Confeſſa- 12
rius tenetur, ſi pœnitens ex ignorantia putet, contractum aliquem licitum, illicitum eſſe, monere pœnitentem, dictum contractum ſecundum opinionem aliquorum eſſe licitum, vt ſic, à periculo peccandi pœnitentem remoueat, Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *Controuerſ.* 4. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 31.
quamuis, ſi contractus ſit omninò illicitus, 13
debeat Confeſſarius de eo ipſo pœnitentem monere, & ſi monitus nolit ab illo deſiſtere, inabſolutum, vt potè indiſpoſitum, dimittere, Ledeſma *in ſumma tit. de Sacramento pœnitentiæ diff.* 14. & Villalobus *loc. ſuprà cit. num.* 4.

An autem, ſi pœnitens ſequatur opinionem, quam quidem Doctores, tanquam probabilem, defendunt, Confeſſarius verò (ſiue ordinarius. ſiue Delegatus) improbabilem iudicet, teneatur etiam, cœpta confeſſione, non obſtante hac ſua perſuaſione, abſolutionem impendere?


Reſpondetur ex non improbabili ſententia 14
Doctorum etiam affirmatiuè; & ita contra nonnullos docent Nauarr. Suar. Sot. Victor. Valentia, Azor. Salaſ. Vaſq. vterque Sanchez, & alij *in loc. ſuprà cit.* & probari poteſt ex di-

ctis; quia Confessarius, audita confessione, non potest absolutionem denegare pœnitenti rectè disposito, & obicem gratiæ non ponenti, qualis est pœnitens in casu nostro; cùm sequendo opinionem probabilem non peccet, & aliàs imponatur ei onus graue, confitendi scilicet iterum, alteri Confessario sua peccata sine necessitate, ergo, &c

Confirmatur, quia alter potest absoluere; ergo non est, cur & tu non possis; aut cur tua speculatiua persuasio ei debeat obesse.

Non obstat, si dicas, quod Confessarius sit pœnitenti Superior; quapropter pœnitens, deposita propria, opinione, Confessarij opinionem sequi debet.

15 Respondetur; enim, Confessarium non esse Superiorem, neque ius præcipiendi habere, nisi solum in ordine ad peccata, quæ ad tribunal pœnitentiæ afferuntur; At, vt dixi, pœnitens sequendo opinionem probabilem, non peccat; quapropter nihil ei Confessarius quoad hoc, tanquam subdito, potest præcipere.



DVBITATIO VIII.

An idem dicendum sit de administrante quæcumque Sacramenta?

SVMMARIVM.

1. Recensentur plures modi, qui in administratione Sacramentorum seruari possunt secundum opinionem minus tutam.

2. Sacramentum reddi potest inualidum vel ex defectu materiæ, & formæ institutæ à Christo Domino: quem defectum cum sit in ijs quæ sunt ex institutione Christi, Ecclesia non potest supplere.

3. Administrator Sacramentorum potest in eorum administratione, sicut in alijs materijs vti opinione probabili relicta probabiliori, siue certa, nisi id fieri ab Ecclesiâ per consuetudinem, vel speciale decretum sit prohibitum.

4. Administrans Sacramenta potest in casu necessitatis vrgentis vti materia probabili relicta certa penes ferè omnes DD.

5. Baptismus administrari potest in digito quando timetur paruulus ex vtero egrediens nociturus.

6. Confirmatio administrari potest cum oleo benedicto sine balsamo, cum balsamus inueniri non potest, & vrget occasio eam administrandi.

7. Confessarius potest absoluere pœnitentem nociturum exhibentem tantum signa contritionis, licet nullum peccatum in specie manifestet.

8. Administranti baptismum licet vti hac forma in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque, dummodo non in contemptum fidei, Religionis, & Sacramenti, casu quo aliàs immineret notabile damnum, vel mors ministro.

9. Recensentur absurda, quæ sequerentur casu, quo minister Sacramentorum non posset vti materia, & forma probabili.

10. Minister vbi Ecclesia in Sacramentorum administratione mandauit vel per consuetudinem, vel per speciale decretum vti forma, & materia certa relicta probabili grauiter contra religionem Sacramentis debitam peccat eam omittendo.

11. Baptismus administrandus est non secundum probabilem formam sed secundum certam ex vsu Ecclesiæ, hoc est in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.

12. Baptismus administrandus est cum materia certa iuxta vsum Ecclesiæ non tamen cum probabili prout est aqua ex herbis extracta, licet non differat specie ab elementari.

13. Confirmatio administranda est cum materia certa ex vsu Ecclesiæ hoc est cum balsamo, non tamen cum oleo benedicto licet sit materia probabilis.

14. Consecratio etiam facienda est in materia certa, hoc est in pane triticeo, non autem in typho, licet sit materia probabilis contra plures DD.

15. Minister, qui vtitur materia probabili relicta certa non se exponit morali periculo irritandi Sacramentum, ac proinde non offendit Sacramentum nec Deum quia in hoc procedit inculpabiliter contra allatum argumentum.

16. Minister tenetur integrè Sacramenta ministrare ita vt sit obligatus operari sine periculo morali irritandi Sacramentum, non tamen sine vllo omnino periculo.

17. Debitum soluens in moneta dubia cùm sit certum, non satisfacit debito.

18. S. Augustini auctoritas, primo de Baptismo contra Donatistas cap. 3. explicatur, non enim loquitur ibi in communiter contingentibus sed in casu necessitatis grauis.

19. Homo in articulo mortis non sufficit quod confiteatur cum attritione cognita, sed tenetur sub mortali ex charitate elicere contritionem in Sacramento, vel saltem extra.

20. Attritio cognita vt attritio non est materia certa, & Tridentinum dicit sufficere tanquam quid satis probabile, & commune, non tamen vt quid certum, & de fide.

21. Quod probatur multis rationibus.

22. Ob quas in eodem articulo mortis multò magis tenetur homo, si copia confessarij non adsit, (etiamsi peccati mortalis conscientiam non habeat) ad contritionem.

23. Ecclesia in quibusdam casibus prohibet quod vtamur forma, & materia probabili relicta certa non tam propter reuerentiam debitam Sacramentis quam propter alios fines tum Religionis, tum necessitatis fidelium.

24. Baptismus non debet à Sacerdote ministrari adulto in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque, etiam in casu quo ipse consentiat.

25. Vsus consuetæ formæ baptismi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti non est solum debitus ex charitate proximi; sed etiam ex præcepto Ecclesiæ ob publicationem fidei, & claram notitiam illius.

26. Sacerdoti calicem consecranti non licet limi-

tare intentionem ſuam ad ſola illa verba, Hic eſt calix ſanguinis mei, reliquis tantum verbotenus prolatis.

27. *Afferuntur DD. limitantes doctrinam reſponſionis Auctoris, quorum quidem limitatio licet videatur rationabilis, non tamen eſt neceſſaria, & cur.*

28. *Miniſter peccat grauiter non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam quotieſcumque habens iuriſdictionem ſub opinione probabili Sacramentum miniſtrat abſque eo quod ſuſcipientem de Sacramenti incertitudine moneat, cum poſſit is certum miniſtrum habere.*

29. *Parrochus aſſiſtens matrimonio contrahentium in aliena Parrochia, vel etiam in propria, ſed non Sacerdos, vel matrimonio per metum reuerentialem contracto ſine minis ad quid teneatur ſecundum Sancium.*

30. *Confeſſarius approbatus ab alio ordinario, quam loci, in quo miniſtratur Sacramentum pœnitentiæ ad quid teneatur ſecundum Sanc.*

31. *Simplex Sacerdos abſoluens in articulo mortis præſente proprio Sacerdote ad quid teneatur ſecundum Sancium.*

32. *Miniſter probabili iuriſdictione vtens in Sacramento pœnitentiæ ſi ſuſcipiens tale Sacramentum confiteatur aliqua venialia cum mortalibus ſimul, & cur ſecundum Sancium.*

33. *Opinio Sancij reprobatur ab Auctore, & cur.*

34. *Miniſter adminiſtrans Sacramenta ſecundum opinionem probabilem relicta certa, non tenetur admonere ſuſcipientes contra Sancium eo quod non ſolùm adminiſtrat validè, ſed etiam licitè in caſibus ſupra recenſitis.*

35. *Operans ſecundum opinionem probabilem quod ſcilicet habeat iuriſdictionem, eam habet certiſſimam ſi operatur ex communi errore, & titulo colorato.*

36. *Nemo tenetur præcepto charitatis depellere ab intellectu alterius ignorantiam, quæ non obſtat medio neceſſario ad ſalutem.*

37. *Opinio Sancij reprobatur ob multa abſurda, quæ ex ea facilè ſequi poſſent, vide per plura ſequentia argumenta.*

38. *Sacramentum pœnitentiæ ne irritetur per aliquam complacentiam alicuius peccati venialis in actu confeſſionis ſolent viri timorati iterum confiteri aliquod peccatum mortale vt ita accedant cum dolore debito, & caſtent quamlibet complacentiam.*

1 SVppono, difficultatem non eſſe, quando pro vtraque parte eſt opinio probabilis, an quid licitè fiat nec ne quia tunc ex dictis ſuprà, licitè poteſt quis eligere, quam maluerit opinionem, & non ſe exponit errandi morali periculo, vt v. g. in caſu, an morituro exhibenti ſolùm ſigna contritionis, vel attritionis danda ſit abſolutio, aliis negantibus, alijs probabiliùs affirmantibus; ſed difficulas eſt, quando ex vna parte eſt opinio de valore Sacramenti, & ex altera parte non eſt opinio, ſed certitudo, v. g. eſt opinio, valere baptiſmum ſub forma *Genitoris Geniti & procedentis ab vtroque*; At eſt omninò certum, valere, ſi miniſtretur in nomine *Patris & Filij & Spiritus Sancti*: Item eſt opinio, validè conſecrari in typho; At eſt omnino certum, validè conſecrari in pane triticeo: Item eſt opinio, validè contrahi matrimonium, ſi coram proprio Parrocho aſſiſtente in aliena Parrochia contrahatur, at eſt omninò certum, valere, ſi contrahatur coram proprio Parrocho, & in propria Parrochia: Item tandem eſt opinio valere confeſſionem factam in articulo mortis ſimplici Sacerdoti præſente proprio Parrocho; At eſt omninò certum, valere eamdem eodem modo factam, abſente proprio Parrocho. Difficultas itaque eſt, an in his, & ſimilibus caſibus poſſit quis vti opinione probabili, relicta probabiliori, ſeu certa.

Suppono ſecundò, inualidum reddi poſſe Sacramentum, vel ex defectu materiæ, & formæ inſtitutæ à Chriſto Domino; quem defectum, cùm ſit in ijs, quæ ſunt ex inſtitutione Chriſti Domini, Eccleſia non poteſt ſupplere; vel ex defectu iuriſdictionis ab Eccleſia non conceſſæ quem defectum cùm ſit in ijs quæ ſunt ab Eccleſia, Eccleſia poteſt ſupplere; qualiter v. g. irritatur Sacramentum matrimonij celebratum coram Sacerdote, qui non ſit proprius Parrochus contrahentium; & Sacramentum pœnitentiæ miniſtratum à Sacerdote, qui non habeat poteſtatem iuriſdictionis in pœnitentem. His ſuppoſitis. 2

Reſpondetur: affirmatiuè, ità vt poſſit quis in adminiſtratione Sacramentorum, ſicut in alijs materijs, vti opinione probabili relicta probabiliori, ſeu certa; niſi id fieri ab Eccleſia per conſuetudinem, vel ſpeciale decretum ſit prohibitum; Vaſq. 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 63. *cap.* 2. & 3. Perez *certam.* 10. *cap.* 12. & 13. Sanch. *de matrim diſp.* 20. *num.* 24. & *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 33. Sayr. *in Claui Reg. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. Pontius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 9. Salon 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *controuers.* 2. *ad* 3. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 2. Villalob. *in ſumm tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 13. *num.* 1. & 2. & alij contra Suarem *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 16. *ſect.* 2. & *diſp.* 21. *ſect.* 4. & *diſp.* 45. *ſect.* 1. & *diſp.* 60. *ſect.* 1. & *tom.* 4. *diſp.* 26. *ſect.* 6. *nu.* 5. Henriq. *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 9. *num.* 15. Ledeſma *de Sacr. in genere dub.* 5. *concl.* 4. Layman *lib* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 13. Petrum de Soto *lib.* 1. *de inſtitut. Sacerdot. lect.* 2. *de Euchariſtia* Valentiam 3. *part. diſp.* 6. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Salaſ. 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnica ſect.* 5. *num.* 86. & alios, qui tamen admittunt, quod in caſu neceſſitatis vrgentis poſſit quis vti materia probabili, relicta certa; quia ratione neceſſitatis ſufficienter honeſtatur periculum irritandi Sacramentum: Qua ratione concedunt, licere, ſaltem ſub conditione; miniſtrare baptiſmum in digito, quando timetur paruulus ex vtero egrediens moriturus: Item licere miniſtrare confirmationem ex oleo benedicto ſine balſamo, cum balſamus inueniri non poteſt, & vrget occaſio tale Sacramentum miniſtrandi: Item, licere, quin & debere, abſoluere pœnitentem exhibentem ſigna contritionis, etiam moriturum, etſi nullum peccatum in ſpecie manifeſtet: Item, licere miniſtrare baptiſmum in nomine *Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque*, ſi ex prolatione certæ formæ (dummodo non in contemptum fidei 3 4 5 6 7 8

Religionis vel Sacramenti) notabile damnum, vel mors, ministro immineret; Doctores *suprà cit.* præcipuè Suar. *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 6. *in fin.* & Salas. *sect.* 27. *num.* 285.

9 Ratio verò nostræ responsionis est; quia, si quis in administratione Sacramentorum non posset vti materia, & forma probabili, relicta certa, sed deberet semper, cum posset, vti certa, graue onus ministrantibus Sacramentum imponeretur; siquidem primò non posset pœnitens cum attritione cognita, vt attritione, accedere, neque Sacerdos absoluere; cum hæc non sit omninò certa materia, vt mox infrà dicetur; Item non posset Sacerdos absoluere pœnitentem, cognoscentem se efficisse confessionem informem, & nolentem repetere; cum talis confessio secundùm opinionem probabilem non sit integra formaliter; & secundùm probabilem opinionem confessio informis sit repetenda: Item non posset simplex Sacerdos absoluere in articulo mortis, præsente proprio Sacerdote, vel alio approbato: nec posse approbatus absoluere à reseruatis ex opinione probabili: nec posset absoluere Parrochus in aliena Diœcesi sine noua approbatione, Nec possent coniuges contrahere præsente proprio Parrocho non Sacerdote, vel existente in aliena Parrochia: cum in his casibus adhibeatur materia probabilis, relicta certa: quæ tamen omnia sunt absurda: ergo dicendum, quod possit quis sine irreuerentia contra Religionem Sacramentis debitam, vti in administratione ipsorum materia, & forma probabili, relicta certa; & ratio à priori est, quia sic operans operatur prudenter; cum non se exponat culpabili periculo irritandi Sacramentum, sed teneat viam moraliter certam; neque ex alio capite sit ratio, qua conuincamur dicere, teneri Ministros semper materiam, & formam omninò certam apponere; præsertim in Sacramentis, quæ non sunt de necessitate salutis.

10 Dixi, *nisi id fieri, ab Ecclesia per consuetudinem, vel speciale decretum sit prohibitum*; quia multi sunt casus, in quibus Ecclesia per consuetudinem, vel per speciale decretum mandauit, vti materia, & forma certa, relicta probabili; quapropter siquis in his casibus vtatur materia, & forma probabili, relicta certa, grauiter contra Religionem Sacramentis debi-
11 tam peccat; Qua ratione, licet probabile sit, valere baptismum in nomine *Genitoris*, *Geniti*, *& procedentis ab vtroque*, ex vsu tamen Ecclesiæ ministrandus est in nomine *Patris & Filij & Spiritus sancti*; neque est probabile, stante hoc vsu, licere relinquere hanc formam certam, & adhibere aliam probabilem:
12 Item, licet sit probabile, aquam ex herbis extractam non differre specie ab elementari, non tamen est probabile stante vsu Ecclesiæ in contrarium, licere in illa baptizare: Item,
13 licet, probabile sit, in confirmatione balsamum non requiri, non tamen est probabile, stante eodem vsu Ecclesiæ in contrarium, sine balsamo confirmare: Item, licet probabile sit,
14 tiphum specie non differre à tritico, sed esse triticum degeneratum, tamen ob eamdem dictam rationem non est probabile, in typho posse consecrare (etsi contrarium sentiant Martinez *in.* 1. 2. *tom.* 1. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 7. Bonacina *de Sacramentis disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 19. & Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resolut.* 2. in tempore necessitatis) Quapropter hic certa regula præscribi non potest, sed in singulis Sacramentis videndum, est quænam sint ab Ecclesia, ratione consuetudinis, vel specialis præcepti prohibita, quæ non.

Obijcies: Quamuis, qui vtitur opinione 15
probabili, relicta certa, circa aliquod præceptum, non se exponat periculo illud violandi, scilicet formaliter (etiamsi in re violet) sicque non peccet contra dictum præceptum ex vi opinionis probabilis, qua operatur; tamen qui idem facit in vsu Sacramentorum, exponit se periculo irritandi Sacramentum; cum illius irritationem non possit euitare ex vi opinionis probabilis, qua operatur sicuti ex vi opinionis probabilis, qua operatur, potest euitare malitiam non obseruationis præcepti; ergo sic operando in administratione Sacramentorum, peccat contra Religionem debitam Sacramentis.

Respondetur nego consequentiam; quia qui operatur ex opinione probabili de valore Sacramenti, non se exponit morali periculo irritandi illud, ac proinde non offendit Sacramentum, nec Deum, qui solùm petit, quod minister in administrandis Sacramentis procedat inculpabiliter, qualiter procedit, cum ex opinione probabili operatur, aliud Ecclesia non præcipiente.

Instabis, Minister tenetur integrè Sacra- 16
menta ministrare, cum ad hunc finem ab Ecclesia sit constitutus, ergò non satisfacit, si, cum possit certò ministrare, ministret sub opinione; sicuti non satisfacit, qui debitum 17
certum soluit in moneta dubia; cum debito certo non possit satisfieri solutione dubia.

Respondetur: distinguo Antecedens: Minister tenetur integrè Sacramenta ministrare; ita vt sit obligatus operari sine vllo periculo irritandi Sacramentum, nego: ità vt sit obligatus operari sine periculo morali irritandi illud, & concedo; at qui cum probabili opinione operatur, nulli periculo morali irritandi Sacramentum se exponit; ac proinde integrè debito satisfacit.

Obijcies secundò: ex Augustino 1. *de Baptismo contra Donatistas cap.* 3. qui in rebus ad 18
salutem animæ pertinentibus, certis incerta præponit, grauiter peccat, ergo.

Respondetur transeat Antecedens; At nego consequentiam; quia qui probabilem opinionem certæ præponit, non incertum, sed certum moraliter certo præponit.

Respondetur secundò: Augustinus non loquitur in communiter contingentibus, sed in casu necessitatis grauis; quapropter arbitror, quod in articulo mortis non sufficiat, quod 19
homo confiteatur cum attritione cognita, vt attritione, sed teneatur sub mortali ex charitate elicere contritionem in Sacramento, vel saltem extra; cum tunc tractetur in puncto irreuocabiliter de æternitate, & attritio co- 20
gnita, vt attritio, non sit materia certa: nam

& ſi attritionem cognitam, vt attritionem, in Sacramento ſufficere, dicat Tridentinum, id tamen dicit, tanquam quid ſatis probabile, & commune, non tamen, vt quid certum, & de fide; cum non ponat in Canone, ſed ſolum in capite.

21 Arbitror igitur, quòd in mortis articulo, etiamſi adſit copia confeſſarij, præter confeſſionem teneatur homo ad contritionem; quia in tali articulo, vbi de totius æternitatis ſumma irreuocabiliter agitur, tenetur ex charitate propria, quam maximè poteſt, ſe in tuto ponere, ne in æternùm pereat; ſed ſe in tuto non poneret, ſi non haberet actum contritionis perfectæ: licet enim probabile, quin & ſatis probabile ſit. quòd attritio ad gratiam Sacramentalem ſufficiat, non tamen eſt opinio definita de fide, vel certa: ſicuti ſuprà dicebam: quinimo, quod requiratur contritio perfecta, vel ſaltem putata perfecta, eſt multorum, & grauiſſimorum DD. vt ex antiquis Vgon. de Sancto Victore, Riccardi, Magiſtri, Alenſ. S. Bonauent. Gabrielis Majoris, & ex Recentioribus Adriani, Cajetani, Ferrarien. Medinæ. Petri Soti, Victoriæ, Vegæ, Cord. Nauarr. Toleti, & aliorum; quæ opinio, ſi vera eſſet, vt vera eſſe poteſt (cum contraria non ſit de fide, ſicuti dicebam) qui non habet contritionem perfectam, aut ſaltem non conatur illam habere, vt rationabiliter putet, eſſe perfectam, in Sacramento non riciperet gratiam cum contritio ponatur eſſe de neceſſitate medij, ſicque ſi non ponatur hoc medium, non dabitur gratia, atque adeo, reſtabit ille in peccato (licet de nouo non peccaret) ità vt, & ſi accedat cum opinione attritionis bona fide, etiam bona fide damnetur: ne igitur quis, vel minima ex parte huic periculo ſe exponat, cui poſtea mederi amplius non poterit, debet in tali caſu, vt arbitror, ſe in tuto ponere, nempè ſequi opinionem tutiorem, adhibendo vel contritionem ad confeſſionem, vel præter confeſſionem cum attritione, aliud medium contritionis extrà confeſſionem.

Confirmatur, quia ſi quis capite damnatus poſſet euadere periculum imminens mortis duobus medijs, quorum vnum, ſi ſolùm adhibeatur, bonum quidem ſit, ſed non adeo certum, ſi verò adhibeatur vtrumque, ſit moralis certitudo euadendi periculum:& vtrũque medium Reus talis poſſit adhibere, certum eſt, quod ille non cenſeretur æſtimare vitam ſuam, quantùm debet, niſi vtrumque medium adhiberet: ſed ità eſt in caſu noſtro: quin multò magis, cum multò magis teneatur æſtimare vitam æternam, quàm temporalem, ergo.

Confirmatur ſecundò, quia etiam poſita opinione de attritione, ſufficiente cum Sacramento confeſſionis, adhuc effectus gratiæ pendet à pluribus alijs circumſtantijs (de quibus non poteſt homo eſſe planè certus) nempè ab intentione, ab attentione, à ſcientia, à poteſtate iuriſdictionis, à poteſtate ordinis, qui in abſoluente poſſet non eſſe, vel defectu baptiſmi, vel defectu eius, qui ipſum ordinauit: quorum vel vnum caput ſatis eſt ad impediendum effectum gratiæ: ergo cum homo non poſſit eſſe certus hac ſola via, debet adhibere aliam viam, vt ſibi conſulat in eo ſtatu rerum, vnde irreuocabiliter tota pendet æternitas.

Idemque in eodem articulo mortis multò 22
magis dico, ſi copia confeſſarij non adſit: etiam ſi quis peccati mortalis conſcientiam non habeat: quia poteſt cum Apoſtolo nihil ſibi conſcius eſſe, & tamen non in hoc iuſtificatus eſſe: ergo cum in tali articulo mortis, vbi de toto eſſe agitur, teneatur homo ſe in tuto ponere, ſicuti ſuprà dicebam, tenetur etiam cum Pſalmiſta rogare Deum, vt ab occultis ſuis ipſum mundet, habendo contritionem de peccatis occultis: cum ſola contritio ſit in hoc caſu vnicum medium ad emendationem, & ſalutem æternam conſequendam.

Obijcies tertiò: ex dictis Eccleſia in qui- 23
buſdam caſibus prohibet, quod vtamur forma, & materia probabili, relicta certa, non niſi propter reuerentiam debitam Sacramentis, ergo idem dicendum in omnibus caſibus: cum in omnibus caſibus ſit eadem ratio.

Reſpondetur nego ſecundam partem Antecedentis: quia prohibet, non tam propter reuerentiam debitam Sacramentis, quàm propter alios fines, tum Religionis, tum neceſſitatis Fidelium, vt *ex mox infrà dicendis* apparebit.

Reſpondetur ſecundò: tranſeat antecedens: At nego eamdem prohibitionem extendi debere ad omnes caſus abſque manifeſta ratione: præſertim cum ſit potiùs ratio in oppoſitum, vt patet *ex dictis ſupra.*

Ex doctrina noſtræ reſponſionis ſequitur
primò contra Salaſ. *ſect.* 10. *num.* 96. Dianam 24
part. 1. *tract.* 2. *reſol.* 2. & alios, non licere Sacerdoti miniſtrare baptiſmum adultum in nomine *genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*, etiam in caſu, quod ipſe conſentiat: quia
vſus conſuetæ formæ in nomine *Patris & Filij* 25
& Spiritus ſancti, non eſt ſolùm debitus ex charitate proximi, ſed etiam ex præcepto Eccleſiæ, ob publicationem fidei, & claram notitiam illius: nam cum baptiſmus ſit ianua Eccleſiæ (cuius principale myſterium eſt Deus vnus, & trinus, principalis author omnis noſtræ gratiæ, & gloriæ, opportebat in illo notitiam talis myſterij claris verbis exprimi, & ſignificari.

Sequitur ſecundò contra eoſdem Doctores, 26
non licere Sacerdoti calicem conſecranti limitare intentionem ſuam ad ſola illa verba: *hic eſt calix ſanguinis mei*, reliquis verbotenùs prolatis; quia id etiam obſtat vſui communi Eccleſiæ, nomine Chriſti illa dicentis, & intendentis, omnibus illis verbis fieri conſecrationem, cum fortè omnia illa verba neceſſaria ſint.

Cæterùm doctrinam noſtræ reſponſionis li- 27
mitant Vaſq. Villalob. Diana & vterque Sanch. *in locis ſuprà cit.* vt intelligitur, quando pars probabilis non eſt contraria charitati, & miſericordiæ proximi: aiunt enim, te vti non poſſe in adminiſtratione Sacramentorum opinione probabili, relicta certa, ſi inde ſuſcipienti Sacramentnm immineat aliquod damnum, quia, cum poſſis applicare remedium

certum, est contra charitatem, & misericordiam proximi, adhibere incertum, Sacramento forsan ad salutem necessario proximum frustrando, seu priuando.

Limitatio hæc est satis rationabilis, sed non videtur necessaria, quia nullus apparet casus, in quo ob charitatem, & misericordiam proximi tenearis vti sententia omninò certa, & sine vllo periculò irritandi Sacramentum, cum aliàs possis illa non vti, sicuti rectè adnotauit Montesinus 1. 2. *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 232. Nam quod ait Sancius *in select. disp.* 44.
28 *num.* 13. (scilicet Ministrum peccaturum grauiter, non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, quotiescumque habens iurisdictionem sub opinione probababili, Sacramentum ministrat absque eo, quod suscipientem de Sacramenti incertitudine moneat, vt possit ille alium Ministrum, certam iurisdictionem habentem adire, quia videtur esse contra suscipientis charitatem, & contra iustitiam, Sacramentum dubium ministrare, cum possit is certum habere: Ex qua doctrina dictus Author deducit multos casus, in quibus Minister peccabit si Sacramentum suscipien-
29 tes non moneat de incertitudine, Vt si v. g. Parrochus assistat matrimonio contrahentium in aliena Parrochia vel etiam in propria, sed non Sacerdos, vel matrimonio permetum re-
30 uerentialem contracto sine minis: Item, si quis audiat confessiones, obtenta approbatione ab alio ordinario, quàm loci, in quo ministratur Sacramentum pœnitentiæ, vel si simplex Sacerdos absoluat in articulo mortis,
31 præsente proprio Sacerdote, &c. solùm excipit, posse excusari Ministrum probabili iurisdictione vtentem in Sacramento pœnitentiæ,
32 si suscipiens tale Sacramentum confiteatur aliqua venialia simul cum mortalibus, quia, cum circa venialia, inquit ipse, sit certum, quemlibet Sacerdotem iurisdictionem habere, sequitur absolutè de venialibus & sic gratiam conferentem, peccata etiam mortalia, saltem indirectè, remissurum, quapropter in tali casu Sacramentum suscipiens nullum amittet emolumentum, quod ex alio Sacerdote obti-
33 nere potuerit) Quod, inquam, ait Sancius, mihi non probatur, quia destruit opinionem communem, asserentem in omnibus ijs casibus, posse Sacramentum ministrari, non so-
34 lum validè, sed etiam licitè: neque vllus Doctor, qui talem opinionem tenet, exigit à Ministro, vt certiores faciat suscipientes de incertitudine opinionis, & periculo irritandi Sacramentum: quia quandò adest probabilis opinio de absoluendo à reseruatis, vel à censuris, assistendi matrimonio, &c. Minister nullo morali periculo se exponit irritum faciendi Sacramentum: nam, etsi ex priuilegio iurisdictionem non habet, habet tamen ex tacito consensu Ecclesiæ, & ex ratihabitione de præsenti iurisdictionem supplente, ne tot actus in damnum communitatis irriti fiant, Suar. 4. *tom. in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 6. *num.* 7. *& seqq.* Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 14. *num.* 3. *&* 4. *& in comment. lit.* G. Less. *de iustit. & iur. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Coninch. *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 3. *concl.* 6. *num.* 22. *& dub.* 6. *num.* 47. Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 8. *& cap.* 20. *num.* 7. Villalob. *in summ. tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 13. *num.* 5. *in fin.* Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disput.* 22. *num.* 65. *& lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 33. Bonac. *de Sacram. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 4. Malder. *in* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 6. Diana *cit. resol.* 2. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 227. & alij passim qui omnes affirmant, operantem ex opinione probabili, quod habeat ipse iurisdictionem, illam habere certissimam (sicuti habet *iuxta* 35
L. Barbarius, *ff. de offic. Prætoris*, si operaretur ex communi errore, & titulo colorato) ac proinde nullo pacto se exponere periculo morali irritandi Sacramentum.


Accedit, quòd nemo tenetur præcepto cha- 36
ritatis depellere ab intellectu alterius ignorantiam, quæ non obstat medio necessario ad salutem: at qui monitus à confessario de incertitudine opinionis non tenetur alium Ministrum certiorem adire, ergo illa ignorantia incertitudinis non est de aliquo medio necessario ad salutem, atque adeo nemo tenetur ex charitate illam depellere ab intellectu eius qui suscipit Sacramentum: alias si monitus nollet resipiscere, non posset absolui, vt potè non rectè dispositus.

Denique contra Sancium est, quia illa via, 37
quam ipse tradit assecurandi Sacramentum pœnitentiæ, si scilicet pœnitens simul cum mortalibus confiteatur etiam venialia, adhuc non est certa: quia esto quilibet Sacerdos habeat circa venialia iurisdictionem (quod in sententia nonnullorum, inter quos Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 10. *num.* 101. *& sect.* 27. *num.* 286. non est omninò certum) adhuc non est certum fieri Sacramentum: siquidem sæpè dolor de peccatis à pœnitente adductus non obstat venialibus, quia non est ità perfectus: ergo in tali casu monendus esset pœnitens: & cum hic casus semper contingat, semper pœnitens esset monendus: prætereà, cum Confessarius ante factam confessionem nesciat, quæ peccata sibi dicenda sint, & an veniale aliquod, cuius dolorem habeat pœnitens, manifestaturus sit, teneretur semper pœnitentem monere de incertitudine Sacramenti: quod esset imponere graue onus Ministris Sacramentorum contra communem, & vsu receptam Doctorum opinionem.

Monendus etiam esset pœnitens (si ad Sacramentum accesserit cum dolore omnis peccati in genere, etiam venialis) an ante absolutionem peccatum aliquod veniale commiserit, & sic retractauerit talem actum doloris, atque adeo absolutio nullum dolorem supponet: & consequenter sacrilegium committatur: si quidem actus, *aliquod peccatum, vel veniale volo*, (vtpotè contradictoriè oppositus) destruit actum, *nullum peccatum in genere, etiam veniale, volo*: quapropter viri timo- 38
rati nullum mortale peccatum habentes, sed solùm de venialibus confitentes, ne in hunc defectum incidant, & sic loco consequendi gratiam in Sacramento pœnitentiæ, sacrilegium committant ad Sacramentum accedendo sine dolore, vtpotè retractato per complacentiam alicuius peccati venialis post talem dolorem,

(quod

(quod facilè in quocumque temporis momento poteſt contingere) ſolent accedere cum dolore & confeſſione alicuius peccati mortalis vitæ præteritæ aliàs confeſſi idipſum explicando ; vel alicuius peccati venialis determinati, quod credant gratia Dei non ita facilè ſe commiſſuros, ſaltem ante abſolutionem.



DVBITATIO IX.

An idem dicendum ſit de ſubdito obedientiam exhibere debente ſuperiori?

SVMMARIVM.

1. *Subditus quando pro ipſo ſtat opinio probabilis non tenetur obedire ſuperiori.*
2. *Præſumptio ſtat pro ſuperiore in dubio tamen negatiuo, non poſitiuo.*
3. *Superior ſicut non vndique iuſtè præcipit, ſed probabiliter, ita ſubditus tenetur ſolùm probabiliter obedire, & probabiliter non obedire.*
4. *Subditus probabiliter iudicans rem ſibi imperatam [illegible] eſſe poteſt etiam contra probabilem opinionem ſuperiori præcipienti obedire, contra Adrianum, quotieſcumque ei certum non eſt eſſe contra Dei præceptum quod præcipitur à ſuperiore.*
5. *Subditus vt eximatur à ſua obligatione debet habere ſententiam de nullitate iuriſdictionis ſuperioris, neque ſufficit dubium, ſeu opinio probabilis.*
6. *Subditus [illegible] contra propriam opinionem oper[illegible] formare iudicium practicum de p[illegible] opinione ſuperioris.*
7. *Subditus [illegible] debet deſumere iudicium practicum ex eo quòd ille ſuperior ſit, & præcipiat; ſed ex eo quod ſciat ab aliis DD. illud vt probabile iudicari; vel ſciat ſuperiorem bonum, & prudentem eſſe.*
8. *Subditus non tenetur ſuperiori præcipienti obedire ſi probabiliter etiam iudicet rem ſibi imperatam eſſe illicitam, vel eſſe extra ſuperioris iuriſdictionem contra Syluestrum, & alios, vide ibi plures rationes.*
9. *Superior nunquam fuit in poſſeſſione imperandi rem illicitam, vel quæ ſit extra iuriſdictionem ipſius.*
10. *Subditus non obligatur, ſicut & quilibet alius, adimplere id quod iudicat non contineri ſub materia præcepta.*
11. *Peccatum, quod quis probabiliter credit non eſſe mortale, non eſt obligatio confitendi.*
12. *Superior non poteſt ſtrictiùs obligare ſuo præcepto, quam Chriſtus Dominus, & Eccleſia obliget ſuis.*
13. *Superior tenetur obedire quotieſcumque poteſt ſine peccato, alioquin magna eſſet confuſio inter ſuperiorem, & ſubditum, vide tamen quid teneat Author.*

14. *Superior hoc ipſo quod eſt ſuperior habet ius imperandi non ſolum quod clare eſt licitum, ſed etiam quod ſub opinione eſt honeſtum.*
15. *Coniuges quando matrimonium eſt bona fide contractum licet inualidum ſit, non tamen alter eorum poteſt negare debitum petenti.*
16. *Superior habet ius præcipiendi certum quod eſt licitum certò, & habet ius præcipiendi ſub opinione quod eſt licitum ſub opinione.*
17. *Poſſeſſio rei, & proprietas illius diſtinguntur, rectè enim ſtat quod aliquis habeat ius proprietatis in re, & non habeat poſſeſſionem illius, & è contra.*
18. *Coniuges opinantes probabiliter matrimonium inualidum, non tenentur ad inuicem petentibus reddere debitum, quia non ſe legitimè poſſident.*
19. *Secus autem eſt ſi probabiliter opinentur reddere poſſe, ſed tamen petere non debent.*
20. *Subditus non tenetur obedire ſuperiori cum de eius poſſeſſione probabiliter dubitatur.*
21. *Subditus non tenetur obedire cum ſuo detrimento ſuperiori, quandiu non conſtiterit præceptum iuſtum eſſe, puta ſi ex obedientia timeatur graue incommodum in perſona, rebus, aut honore.*
22. *Subditus non tenetur quoad cauſam ſanguinis in delicto ſemiprobato reſpondere ad mentem iudicis.*
23. *Subditus non tenetur ſi opinio eſt probabilis, tributum eſſe iniuſtum, ſoluere illud.*
24. *Subditus in dubio negatiuo, quod habet, tenetur obedire, quia in tali caſu præſumptio ſtat pro ſuperiore, ſecus eſt quando ineuidentia, & incerta cognitio oritur ex dubio poſitiuo, ſeu ex opinione.*
25. *Superior non poteſt punire ſubditum inobedientem ductum ad id ex probabili opinione.*

Suppono ſenſum dubitationis non eſſe, ſi daretur opinio probabilis ex parte ſubditi, quod non teneatur obedire, etiamſi contraria opinio ſit probabilior, quia tunc, ſubditum poſſe ſequi opinionem quæ ſibi magis placuerit, patet ex dictis *dub.* 5. & docent Torreſ. *de iuſtit. diſp.* 50. *dub.* 5. *num.* 9. Petrus Nau. *de reſtitut. lib.* 3. *part.* 3. *dub.* 13. *num.* 239. Sayr. *in claui Reg. lib.* 1. *cap.* 12. *num* 6. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 7. & Io. Sanc. *in ſelect. diſp.* 33. *num.* 28. 1

Non obſtat, ſi dicas in dubio præſumptionem ſtare pro ſuperiore, *argum. c. quid culpatur*, 33. *quæſt.* 1. *ergo.* 2

Reſpondetur enim; quod id intelligitur de dubio negatiuo, non de poſitiuo.

Neque obſtat, ſi dicas, ſuperiorem tunc iuſtè præcipere, ergo ſubditus tenetur obedire.

Reſpondetur, quòd ſuperior non vndique iuſtè præcipit, ſed probabiliter; quapropter ſubditus tenetur ſolùm probabiliter obedire, & probabiliter non obedire: nam ex ignorantia, & diuerſitate opinionum naſcitur quaſi bellum ex vtraque parte iuſtum; vti etiam patet in dubio poſitiuo de iuſtitia, & valore legis, in dubio poſitiuo de iuſtitia veri belli, in dubio poſitiuo de iuſtitia vectigalis, & ſimilium. 3

Hinc ſequitur, quod minus rectè mihi ob-

ijciat quidam Augustinus, me *in libro de immunitate, & iurisdict. Ecclesiast. part. 2. cap. 9. dub. 6. sect. 1. num. 5. seqq.* dixisse, quod Iudex Ecclesiasticus in opinione probabili, (cum vtatur iure suo) possit iustè præcipere subdito; & postea quasi mihi minus constanter *cap. 10. dub. 4. num. 20. & 21.* dixisse, quod subditus, (cum probabiliter operando non peccat) possit subterfugere superioris præceptum, & non obedire: cum non videat, quod, stante probabilitate ex vtraque parte, vtrumque iustè fieri posse, necessario dicendum sit, sicuti patet ex dictis, & clarius patebit ex dicendis.

4 Sensus igitur dubitationis est, an quando subditus probabiliter iudicat, rem sibi imperatam illicitam esse, possit, & teneatur obedire? His suppositis.

Respondetur, & Dico primo: In tali sensu potest etiam contra probabiliorem opinionem, superiori præcipienti obedire. Sic aduersus Adrian. *quodlibet 2. part. 3.* (qui contrarium tenet ex eo, quia subditus contra propriam conscientiam ageret) docent ex communi Doctorum sententia Vasq. *disp. 62. cap. 6.* Azor. *lib 2. cap. 1. quæst. 9. & cap. 19. quæst. 6.* Salas. *1. 2. tract. 8. disp. vnic. sect. 8. num. 76.* Corduba *quæst. lib. 3. quæst. 9.* Perez *certam 10. Scholast. num. 115.* & Sanch. *cit. cap. 3. num. 6.*

Probatur *ex cit. c. quid culpatur, 23. quæst. 1. ibi, vir iustus si forte sub Rege homine, etiam sacrilego, militet, rectè potest, illo iubente, bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est: vel, vtrum sit, certum non est*: ergo potest subditus superiori præcipienti obedire, quotiescumque subdito certum non est, esse contra Dei præceptum, quod ipsi à superiore præcipitur.

5 Secundo probatur *ex c. si virgo, 34. quæst. 2. ibi: si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit; si autem sciat, ex tunc adultera esse incipit*: ergo, vt non possit quis se alteri conformare, scientia de nullitate iurisdictionis requiritur, & non sufficit dubium, vel opinio probabilis.

Tertio probatur ratione, quia *ex dictis cit. dub. 5.* quilibet potest, relicta propria opinione probabiliori, sequi aliorum opinionem probabilem, ergo multò magis opinionem probabilem superioris.

6 Debet tamen subditus (vnde soluitur argumentum Adriani in oppositum) vt possit contra propriam opinionem operari, efformare iudicium practicum de probabilitate opinionis superioris: quia necessariò debet iudicare, saltem probabiliter, sibi licitum esse hic, & nunc superiori obedire: alias contra propriam conscientiam actiones regulantem procederet, vti patet *ex dictis cit. sect. 5. ad 4.* & docent Azor. *lib. 2. cap. 17. quæst. 9.* Vasq. *disp. 62. cap. 6. num. 32. & 33.* & alij passim: in quo sensu vera esset opinio Adriani.

7 Cæterùm hoc iudicium subditus non debet desumere ex eo, quod ille Superior sit, & præcipiat, cum præcisa dignitas præcipientis non faciat probabilem opinionem eius, quod superior præcipit: sed ex eo, quod subditus sciat, ab aliis Doctoribus illud, vt probabile, iudicari, vel sciat superiorem bonum, & prudentem esse: quod semper est iudicandum, cum de iustitia præcepti non constat, Azor. Vasq. *in locis cit.* & non dissentiunt Villalob. *tom. 1. tract. 2. diffic. 11. num. 3.* & Sanch. *num. 6.*

Dico secundò: Non tamen subditus tenetur, si probabiliter etiam iudicat, rem sibi imperatam esse illicitam, vel esse de ijs, quæ sunt extra superioris iurisdictionem, superiori præcipienti obedire: sic contra Syluestrum *verb. conscientia, quæst. 3.* Azorium *tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 9.* Lessium *lib. 2. cap. 41. num. 77.* Vasq. *1. 2. disp. 62. cap. 6.* Cordubam *lib. 3. quæst. 9. in princip.* Salas. *tract. 8. disp. vnic. sect. 8. num. 76.* Mirandam *tom. 1. quæst. 26. art. 5.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 11.* Sayrum *in claui Reg. lib. 1. cap. 12. num. 2. & seqq.* Perez *certam. 10. Scholast. num. 115.* Sanchez *lib. 6. moral cap. 3. num. 6.* Villalob. *in summa tom. 1. tract. 1. diff. 11. num. 3.* & alios multos apud Dianam *part. 2 tract. 2. resol. 10.* docent ex non improbabili Doctorum sententia. Ledesma *de statu Religios. cap. 4.* Io. Sancius *in select. disp. 33. num. 32. & seqq.* consentit ex parte Suarez *in 3. part. disp. 4. sect. 6. num. 6. in fin. & lib. 6. de Legib cap. 8. num. 3. 4. & 6.* & Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 6. num. 7. & lib. 4. de irregular. cap. 3. num. 3. comment. lit. X.* 8

Probatur: quia licitum est subdito non obedire superiori præcipienti, quando est opinio probabilis, se non esse obligatum obedire: sed quando est opinio probabilis, non esse licitum, quod imperat superior, vel esse excedens eius iurisdictionem, est opinio probabilis, subditum non esse obligatum obedire, ergo minor probatur: quia probabilitas opinionis deobligantis subditum obedire, non potest in alio fundari, quàm in eo, quod probabile sit, rem imperatam esse illicitam, vel excedentem ius, seu iurisdictionem superioris: præsertim quia ideo, quando est probabilis opinio, non teneri subditum obedire, deobligatur subditus ab obedientia in opinione aduersariorum, quia possessio superioris in illa materia vocatur in dubium: sed etiam vocatur in dubium, cum est opinio probabilis, superiorem præcipere rem illicitam, vel quæ sit extra iurisdictionem ipsius, ergò.

Confirmatur, quia nunquam superior fuit in possessione imperandi rem illicitam, vel quæ sit extra iurisdictionem ipsius: sed est probabile, hoc esse illicitum, vel esse extra iurisdictionem ipsius, ergo est probabile, quod superior non habeat ius præcipiendi, & consequenter quod subditus non teneatur obedire. 9

Confirmatur secundò, quia quotiescumque quis probabiliter iudicat, aliquid sub materia præcepta non contineri, illud non obligat (hac enim ratione non tenetur quis confiteri peccatum, quod probabiliter credit, non esse mortale, vel esse iam confessum, Doctores quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. moral. cap. 10. num. 76.* quia licet præceptum de confessione integra facienda possideat, 10 11

tamen ab illo excuſatur ; ſequendo opinionem probabilem nam in tali caſu probabiliter iudicat illud non poſſidere) ergo , licet ſuperior habeat ius præcipiendi , quia tamen non habet ius certum præcipiendi , quod eſt probabiliter illicitum , vel ipſius iuriſdictiouem excedens , ſed ſolùm habet ius probabile , ſubditus probababiliter non obligatur , ſiqui-
12 dem ſuperior non poteſt ſtrictiùs obligare ſuo præceptó , quam Chriſtus Dominus , & Eccleſia obliget ſuis.

Confirmatur tertiò , quia pœnitens non tenetur obedire Confeſſario contra propriam opinionem , ſicuti dicebam *dub.* 7. ergo , &c.

Obijcies : ſubditus in ſupradicto caſu poteſt obedire, ergo tenetur, conſequentia probatur, quia ſubditus tenetur obedire , quotieſcúmque
13 poteſt ſine peccato ; ergo , &c. præſertim quia ſuperior , cum ex probabili ratione moueatur , habet ius præcipiendi ; ergo ſubditus tenetur obedire alioquin magna eſſet confuſio inter ſuperiorem & ſubditum , & nulla communitas poſſet rectè gubernari ſi propter probabilem opinionem ſubditus legitimè ſe excuſaret ab obedientia , & ſuperior tenetur præcipere ; ſolum euidenti iuſtitia , eaque ſubditis manifeſtata , ductus : quod præterea videtur eſſe contra *cit. c. quid culpatur* 23. *quæſt.* 1.

Reſpondetur , nego conſequentiam , & rationem conſequentiæ quia idem militat in caſu quo ſubditus probabiliter iudicaret ſe non eſſe obligatum obedire : nam in hoc caſu etiam ſuperior poteſt præcipere & ſubditus poteſt obedire , & tamen, non tenetur obedire neque ob inde ſequitur confuſio inter ſuperiorem & ſubditum , & confuſio gubernationis communitatis cum quilibet iure ſuo vtatur , & caſus frequentes non ſint : non enim frequenter contingit probabilem opinionem eſſe , quod præcipitur , eſſe illicitum , vel ſuperioris iuriſdictionem excedens , vt poſſit ſubditus ab obedientia excuſari.

14 Obijcies ſecundo : ſuperior , hoc , ipſo , quod eſt ſuperior habet ius imperandi , non ſolum , quod clarè eſt licitum , ſed etiam , quod ſub opinione eſt honeſtum , vt patet *ex cit. cap. quid culpatur* vbi ſolum , vt poſſit ſuperior præcipere , & ſubditus obedire , requiritur , quod certum non ſit , rem imperatam eſſe contra Dei præceptum , ergo , ſi certum eſt , ſuperiorem in tali caſu habere ius præcipiendi , etiam debet eſſe certum , ſubditum
15 teneri obedire , cum hæc ſint correlatiua : quapropter , licet probabile ſit coniugi , matrimonium bona fide contractum , inualidum eſſe ; non tamen videtur probabile , ipſum non teneri reddere debitum alteri petenti, aliàs licere ſpoliare poſſidentem iure acquiſito ob probabilem opinionem , quod dici non debet; ergo idem in caſu noſtro dicendum eſt , quod ſcilicet , licet ſit probabile , rem præceptam illicitam eſſe , vel excedentem ſuperioris ius ; ſeu iuriſdictionem , non tamen probabile ſit ; ſubditum poſſe non obedire : ſicuti , ſi probabile tibi eſſet, rem à me poſſeſſam eſſe tuam , non tamen ex hoc probabile eſt , te poſſe illa ſpoliare.

Reſpondetur , quod ſuperior habeat ius 16
præcipiendi certum , quod eſt licitum certò , habeat autem ius præcipiendi ſub opinione , quod eſt licitum ſub opinione : quod inde patet : quia Textus *in cit. c. quid culpatur*, non dixit , teneri ſubditum ſuperiori præcipienti obedire , quoties ſibi certum non eſt , eſſe contra Dei præceptum , ſed poſſe obedire : tacitè inſinuans , eſſe poſſe caſum, in quo, licet poſſit obedire , non tamen teneatur. Exemplum de ſpolio non obſtat : quia poſſeſſio rei , & proprietas illius diſtinguntur : qua- 17
propter rectè ſtare poteſt aliquem habere ius proprietatis in re , & non habere poſſeſſionem illius , & è contra : hinc poteſt quis probabiliter opinari , rem ad ſe pertinere non tamen probabiliter opinari , poſſeſſionem illius habere , vel alium à poſſeſſione poſſe turbare : At in caſu noſtro idem eſt , dubitare , ſeu probabiliter opinari , rem præceptam eſſe illicitam vel excedentem limites iuriſdictionis ſuperioris , ac probabiliter opinari , ſuperiorem non habere poteſtatem circa illam : ſimiliter Reſpondetur ad exemplum de matrimonio : aliud enim eſt , opinari matrimonium inualidum eſſe , & aliud opinari alterum coniugem corpus tuum non poſſidere : ſiquidem poſſeſſio videtur certa licet proprietas ſtet ſub opinione : Quamuis ratione poſſeſſionis certæ alterius coniugis tenearis ei reddere de- 18
bitum , quantumuis opineris matrimonium non eſſe validum , Doctores , quos citat , & ſequitur Sanchez *de matrimonio lib.* 2. *diſp.* 44. *num.* 3. Vel Reſpondetur : admittendo , coniugem probabiliter opinantem, matrimonium non eſſe validum , non teneri reddere debitum , quamuis poſſit : quia videtur idem eſſe opinari , matrimonium non eſſe validum ac opinari coniugem legitimè non poſſidere: cum nemo poſſit legitimè poſſidere coniugem alienum , ſed proprium : quapropter ſi vni coniugi probabile eſt , ſe coniugem non eſſe alterius , probabile etiam eſt , alterum legitimè non poſſidere, & conſequenter ei petenti debitum reddere non teneri. Hinc *in cap. in-* 19
quiſitioni de ſententia excommunic. notanter omiſſum eſt, hunc coniugem probabiliter opinantem teneri reddere : ſolum enim ſibi dicitur, debitum reddere poſſe , ſed petere non debere.


Dico tertiò : Neque ſubditus tenetur (ſi 20
opinio non tam oritur ex re præcepta , quam ex poteſtate ſuperioris præcipientis,vt ſi opinetur, ſuperiorem non eſſe legitimũ,quia non eſt legitimè electus) ſuperiori præcipienti obedire , quia tunc non eſt poſſeſſio certa ſuperioris, cum de eius poſſeſſione probabiliter dubitatur, ergo licet opinio probabilis ſubditi non impediat poſſeſſionem ſuperioris , & quod ſuperior non poſſit ei præcipere , tamen reddit poſſeſſionem ſuperioris dubiam, & incertam, ſeu ſolùm probabilem , & conſequenter ius præcipiendi etiam tantum probabile : quod quidem iure probabiliter præcipiendi non poteſt ſubditus ſuperiorem ſpoliare , At hinc non ſequitur, ſubditum obligatum eſſe obedire abſolutè,ſed ſolũ probabiliter , & cõſequenter poſſe etiam probabiliter non obedire : ſic, & ſi non

satis consequenter, tenent Vasq. *disp. 62. cap. 6. in fine*, Lorca 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 26. §. *aduerte praeterea*, Salas. *ibidem tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 8. *num.* 78. Sayr. *in Claui Reg. lib.* 1. *cap.* 12. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 77. *in fin.* & Io. Sancius *in select. disp.* 33. *num.* 31. contra Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 29. & alios, qui, etsi magis consequenter, contrarium docent ex eo, quia, cum opinio subditi non possit impedire possessionem superioris (siquidem, illa opinione non obstante, iste reputatur superior) nequit subditus superiorem iure praecipiendi spoliare: quapropter, licet subditus opinetur, illum non esse superiorem, tamen opinari non potest, illum ipsi praecipere non posse, cum haec potestas à subditi opinione non pendeat, sed certa sit, quotiescumque de nullitate eius non constat. Ad quod tamen fundamentum facile Responsio patet ex dictis.

Caeterùm, quae dixi in primo, & secundo dicto, scilicet, quod subditus non teneatur (si probabiliter iudicet, rem sibi imperatam esse illicitam, vel esse de ijs, quae sunt extra superioris iurisdictionem, vel superiorem non esse legitimum, vtpotè non legitimè electum) superiori praecipienti obedire, eò magis locum habent si ex hac parte graue incommodum in persona, rebus, aut honore timeatur obedienti, vel alteri personae; quia tunc
21 etiam aduersarij fatentur, quod subditus amplecti possit partem benigniorem, vt obedire cum tanto discrimine non teneatur, quandiù non constiterit, praeceptum iustum esse, sicuti apud Lessium *loco cit.* Mirandam *art.* 6. Layman. *num.* 12. Adrianum *quodlib.* 2. *part.* 1. *ad* 3. Medinam 1. 2. *quaest.* 19. *art.* 6. & Aragonium, 2. 2. *quaest.* 63. *art.* 2. *ad* 2. *argum.*
22 videre est; v. g. quod subditus non teneatur quoad causam sanguinis in delicto semiprobato respondere ad mentem Iudicis; Item, si
23 opinio sit probabilis, tributum esse iniustum, non teneatur tributum soluere, & sic de similibus alijs, &c.

Neque obstat, si dicas, quod superior habet ius iubendi, non solùm res, quas subditus nouit esse licitas, & non esse vltra limites potestatis sui superioris, sed etiam res vniuersas, quas subditus non cognoscit, euidenter esse illicitas, vel esse vltra limites potestatis sui superioris, *argum. c. quid culpatur* 23. *quaest.* 1. ergo, &c.

Respondetur enim, id verum esse, quando ineuidentia, & incerta cognitio (quod scilicet illicitum, vel vltra limites potestatis sui superioris sit, quod praecipitur) oritur ex du-
24 bio negatiuo, quod habet subditus: in hoc namque casu vltrò concedo, subditum teneri obedire; quia in tali dubio praesumptio stat pro superiore, iuxta *cit. c. quid culpatur*; At quando ineuidentia, & incerta cognitio oritur ex dubio positiuo, seu ex opinione, tunc subditus habet ius non parendi, quamuis non sit ipsi euidens, illicitum, vel vltra limites potestatis sui superioris esse, quod praecipitur; quia sufficit, probabiliter id opinari; cum possit quilibet in opinando probabili vti opinione; quapropter ex probabili neque poterit superior in tali casu punire subditum non obedientem, ductum ad id ex probabili opi-
nione; quia, cum tunc subditus non obe- 25
diendo minimè peccet, & nemo dignus sit poena, nisi peccauerit, fit, quod tunc superior ex probabili non habeat ius puniendi subditum.



Corollarium.

Quid dicendum, si Iudex Ecclesiasticus excommunicet innocentem re vera, nocentem verò iuridicè secundum allegata, & probata?

SVMMARIVM.

1. *Si causa ferendi censuram re ipsa non subsistat, quamuis in foro externo secundùm allegationes appareat, non obligat in conscientia: debet tamen obseruari talis censura, quatenus necessarium est ad publicam disciplinam, & Iudicis authoritatem defendendam.*
2. *Qui talem censuram violat, quamuis aliquando peccet, tamen irregularitatem non incurrit.*
3. *Censura lata post appellationem legitimam, vel cum alio defectu substantiali, irrita est: Quare, nec timenda, per se loquendo, seu si scandalum absit.*
4. *Ad substantiam censurae requiritur antecedens monitio, non tamen trina, nisi in casibus iure expressis.*
5. *Censura interdùm iniustè fertur, sed tamen validè.*
6. *Qui censuram iniustè fert, poenas quasdam incurrit.*
7. *Non tamen, & Episcopus.*

RESpondetur ex dictis: Censura lata 1
contra innocentem re vera, qui secundum allegata, & probata in iudicio censetur nocens, re ipsa, & in foro conscientiae non priuat eum Ecclesiae suffragijs, & alijs spiritualibus commodis, seu facultatibus (qualis est v. g. iurisdictio in foro interno, & externo, potestas conferendi, vel recipiendi Ecclesiastica beneficia, vsus Sacramentorum actiuus, & passiuus &c.) huiusmodi tamen sententia secundum legitimam probationem lata, non omnino irrita, & omni effectu carens est; quin potius existimato reo necessitatem imponit, vt in facie Ecclesiae, saltem coram illis, qui censuram latam nouerunt, & innocentiam ignorant, abstineat à Sacramentorum vsu, Fidelium communione, & alijs rebus, quae per censuram prohibentur, donec vel ab ea absolutus sit, vel innocentia ipsius, & error censurae publicè cognita fuerit.

Prior pars est Cajet. 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *ad*

2. Sotin. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *ar.* 3. *Coroll.* 3. Tolet *lib.* 1. *cap.* 10. *§. ex parte verò*, Couar. *in cap. Alma*, *par.* 1. §. 7. *num.* 5. Suar. *diſp.* 4. *ſect.* 7. *num.* 8. & Auilæ, *par.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 1. *dub* 2. *&* 3.

Probatur, quia Eccleſia neque vult, neque poteſt excedere limites datæ ſibi poteſtatis; ſed poteſtas per cenſuram ligandi per ſe tantum data eſt Eccleſiæ contra inobedientes, & contumaces, non etiam contra innocentes; ergo nec poteſt nec vult Eccleſia iſtos ligare; niſi quatenus id per accidens aliquando neceſſarium eſt ad publicam diſciplinam, & Eccleſiaſticam authoritatem defendendam. Vnde, ſi hæc ratio ceſſet, quia ſcilicet res occultè agitur, vel coram illis, qui hominis innocentiam norunt, non eſt is cenſura ligatus; cum neque coram Deo ligatus ſit; quia *æterni tribunal iudicis illum reum non habet, quem iniuſtè iudex condemnat, cap.* 1. *de ſent. & re iudic. in* 6 Hæc autem ſententia ipſa ſecundum condemnati conſcientiam iniuſta eſt licet in ordine ad forum externum iuſta cenſeatur; ergò non amplius etiam obligat, niſi in ordine ad forum externum, ſeu faciem Eccleſiæ; ne legitimè condemnatus publicæ poteſtati reſiſtere videatur.

Poſterior pars ad mentem S. Th *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiun.* 4. eſt S. Anton 3. *par. tit.* 24. *cap.* 73. Couar. *loc. ſuprà cit* §. 11. *n.* 14. Tolet *dicto cap.* 10. & Nauar. *cap.* 9. *n.* 4. & videtur tradita à S. Gregor. *Homil.* 26. *in Euang.* quem refert Gratian *in c.* 1. *& c. non ſolum*, 11. *q.* 3. *ibi*: *ſententia Paſtoris, ſeu iuſta, ſeu iniuſta ſit, gregi timenda eſt.*

Probatur, quia Iudex ex officio ſuo ad publicam vtilitatem, & diſciplinam (cui commoda priuata poſtponi debent) tenetur in iudicio (ſaltem citra ſententiam vitæ, & mutilationis) ferre ſententiam, & reo præcipere ſecundum publica allegata. & probata, (tametſi priuata notitia eumdem innocentem nouerit, ſed eius innocentiam publicè, ac legitimè oſtendere non poſſit) ergò in tali caſu reus condemnatus, iudicis iuſtæ ſententiæ obedire tenetur; quatenus præciſe neceſſarium eſt ad publicam diſciplinam, & iudicis authoritatem defendendam; vti rectè indicat Gratian. *ſuper c. ſi Epiſcopus*, 11. *q.* 3. vbi explicans verba S. Gregorij ait: *non dicit ſententiam iniuſte latam eſſe ſeruandam, ſed timendam; timenda eſt ergò, ideſt non ex ſuperbia contemnenda.*

Hinc ſequitur, quod, ſi Clericus innocens, ſecundùm publicas probationes autem à iudice excommunicatus, actum ſui Ordinis po-
2 ſtea exerceat, non contrahit irregularitatem, Suar. *loc. ſuprà cit. nu.* 20. Auila *cit. dub.* 3. *concl.* 4. & alij contra Couarr. *dicto* §. 7. *nu.* 7. quia talis non merè, & ſimpliciter, ſed tantùm apparenter, & in ordine ad forum externum cenſura ligatus eſt; canones autem, cum violanti cenſuram irregularitatem decernunt, intelligi debent de vera, & ſimpliciter dictâ cenſurâ (ſiquidem odia, & pœnæ ſunt reſtringendæ) ergò.

Sequitur ſecundò, quod, ſi talis innocens, ſecundum publicas probationes autem excommunicatus, occultè, vel coram illis, qui ipſius innocentiam ſatis nouerunt, ſacrificet, non peccat; quamuis, ſi in iudicio de hac re accuſetur, & conuincatur, tanquam irregularis, à Iudice condemnari poſſit; quia, cum in foro externo excommunicatus cenſeatur, irregularis declarari debet, ſi in tali excommunicatione celebraſſe demonſtretur.

Sequitur tertiò, quod, ſi talis re ipſa innocens, ſed publicè condemnatus, cum ſcandalo, & apparente contempta poteſtatis Eccleſiaſticæ celebret, & monitus non deſiſtat, de nouo verè excommunicari poterit, propter contumaciam.

Sequitur quartò, quod, ſi talis excommunicatus propter falſas allegationes publicas Eccleſiaſticum beneficium obtineat, collatio in ſe valida eſt, & prouiſus in conſcientia tutus, quamuis in externo foro a Iudice reſcindi, vel irrita declarari poſſit, Suar. *cit. ſect.* 7. *num.* 27. *&* 29. & Coninch. *diſp.* 13. *dub.* 13. *concl.* 3. quia talis excommunicatio materialiter iniuſta non reddit hominem verè, & ſimpliciter inhabilem ad beneficia, ſed ſolùm in ordine ad forum externum, & publicam exiſtimationem quatenus ita neceſſarium eſt ratione communis boni, & diſciplinæ.

Nulla igitur, & inualida eſt cenſura, ſi cauſa, ſeu crimen non ſubſiſtat a parte rei, licèt iuridicè contra reum demonſtretur, ideoque Iudex titulum, ſeu cauſam præſumptam ferendi cenſuram habeat. Item nulla, & inualida eſt cenſura, etiam ſi cauſa, ſeu crimen ſubſiſtat à parte rei, ſed non in ordine ad iudicium ſeu non ſecundùm publicam notitiam Iudicij (eo quod Reus crimen non fatetur, neque de illo legitimè conuincitur,) nihil obſtante, quod Iudex crimen occultum priuata notitia rectè nouerit; quia publicam is perſonam gerens, ſecundùm publicam, non autem ſecundùm priuatam notitiam iudicare debet, Nauar. *in cap. Cum contingat, cauſ. nullitat.* 8. & alij paſſim. Item multò magis nulla, & inualida eſt cenſura, ſi cauſa, ſeu crimen, nec re ipſa ſubſiſtat, nec ſecundùm allegationes, & externi fori præſumptionem; vt ſi Epiſcopus excommunicet eos, qui paſchali tempore extra Parrochias Regularibus priuilegiatis confitentur; quia tunc intolerabilem errorem continet, *c. Irritam*, *c. Cui eſt*, 11. *q.* 3. *cap. Solet*, *& cap. Venerabilibus*, *§. poteſt*, *de ſent. excommunic. in* 6. Et in vniuerſum nulla, & inualida eſt cenſura ob quemcumque defectum iuſtæ cauſæ; ſi ſcilicet vel ob nullam, vel ob leuem, vel ob non commenſuratam culpam feratur, Doctores communiter, & videri poterit etiam Leo. 1. *epiſt.* 89. *ad Epiſcopos Vienneſes*, & Auguſt. *epiſt.* 75. *ad Auxilium Epiſcopum.*

Secundò nulla, & inualida eſt cenſura ob defectum ferentis, ſi ſcilicet iſte iuriſdictionem, vel ſimpliciter non habeat, vel impeditam per cenſuram excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. vel ſuſpenſam per legitimam appellationem, quæ interpoſita fuit ante ſententiam abſolutè à Iudice latam, *cap.* 1. *cap. Præterea*, 2. *de appellat. & cap. ſolet de ſent. excommun. in* 6. 3

Idque verum eſt, ſiue appellatio verbis ex-

pressis facta sit siuè pacto, v. g. quia Reus protectioni superioris se subiecit, vel quia ad eum iter arripuit, *cap. ad audientiam, & cap. Dilecti, 2. de appellat.* & docent Syluest. *ver. appellatio, q.* 15. Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 18. *q.* 2. & Nauarr. *in cit. cap. cum contingat, de rescript. remed.* 2. Qui subdunt, quod (cum sententia excommunicationis, vel alia censura lata post appellationem legitimam, vel cum alio defectu substantiali ipso iure irrita existat; sententia autem inualida non censeatur sententia) neque timenda, neque obseruanda sit, per se loquendo, si scilicet scandali vitandi ratio aliud non requirat. Quare, inquit Gabr. *loc. supra cit. si aliquis publicè excommunicatur, & denunciatur nulliter, ex aduerso publicet ipse sufficienter causam, propter quam sententia est irrita, eoque facto non pareat sententiæ* (dummodo scilicet nullitas sententiæ manifestò demonstretur) *& si aliquis tunc scandalizatur, non est scandalum pusillorum, sed Phariseorum: Neque tenetur eam reuocare occultè ante scandali sedationem; sed neque in occulto, neque in publico coram sapientibus, quibus nota est nullitas sententiæ.*

At, postea quàm sententiâ censuræ validè in aliquem lata est, eius effectus per sequentem appellationem non suspenditur, *cap.* 15. *cui, de sent. excomm. in* 6. *cap. ad hæc, & cap. Pastoralis, §. verum, eod. tit.* Et ratio est (vt ibidem dicitur) quia excommunicatio, & quæcumque alia censura executionem secum trahit. Vndè talis, non obstante appellatione, denunciari poterit, iuxta *cit. cap. Pastoralis, §. verum.* Excepto, si appellatum sit à sententia iudicis delegati, & Ordinarius appellationem admiserit, quia tunc iste in tali casu iurisdictionem à Delegato suo reuocasse iam censetur, iuxta *cap. Pastoralis §. præterea, de offic. iudic. deleg.* Et videri poterit Syluest. *ver. excommunicatio,* 2. *nu.* 16. & Nauar. *in cap. cum contingat, de rescript. remed.* 6. *nu.* 7.

Tertiò nulla, & inualida est censura, si substantialis ordo iudicij prætermittatur; vt si v. g.
4 Reus non citetur, & ad sui defensionem non admittatur; Quamuis, si factum sit notorium, non ita juris ordo necessarius censeatur; semper tamen, priusquam censura in aliquem feratur, requiritur monitio, quam spernendo, reus in crimine persistere, & contumax esse incipit. Et si, vt mox infra dicetur, ad valorem censuræ non requiratur monitio trina, præterquam, si Episcopus, vel similis Prælatus maioris excommunicationis sententiam ferat illos, qui cum excommunicatis participant ea participatione, quæ communi iure solùm minorem excommunicationem inducit; quia talis sententia, non præmissa canonica, ideſt, trina monitione, nulla decernitur, *in cap. constitutionem, de sent. excomm. in* 6. Quod etiam extensum postea fuit *in cap. statutum. eod. tit. in* 6. ad sententiam suspensionis, & interdicti.

5 Cæterùm, licet aliquando censura iniustè (ideſt contra legalem iustitiam) feratur, nihilominus ita lata obligat; quia scilicet accidentali tantum defectu laborat (iuxtà illud, *multa facta tenent quæ fieri prohibentur*) vt si v. g. iudex in censura ferenda non obseruet iudicij formam, quæ *in cap. sacro, de sent. excommun. cap.* 1. *cap. Romana, & cap. constitutionem, eod. tit. in* 6. præscribitur; vt canonica, ideſt, trina, interpositis interuallis, admonitio antecedat; vtque sententia proferatur coram testibus, ex scripto, & inserta causa, & Reo tradatur exemplum scripturæ.

Quod, si iudex talem iudicij formam in excommunicatione, vel alia censura ferenda temerè, & sine iusta causa prætermiserit, per 6
vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs suspensus est, *cit. cap. Sacro, & citato cap.* 1. *de sent. excommun.*

Hæc tamen pœna non comprehendit Episcopos, iuxtà Tex. *in cap. Quia periculosum, eod. tit. in* 6. vbi cauetur, ne Episcopi generali sen- 7
tentiâ suspensionis, vel interdicti comprehendantur, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Videri poterit etiam Tridentinum Concilium, *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* Et præter alios Doctores, Nauarr. *in sum. cap.* 27. *nu.* 10.



DVBITATIO X.

An idem dicendum sit de prætendente, rem ad se pertinere?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Possessor ab initio bonæ fidei, si mala fides superueniat, dubitando tantum an res sit restituenda, præmittere debet diligentias vt inueniat Dominum, & interim potest rem sibi retinere, quin si non inueniat etiam alienare.*
2. *Possessor ab initio bonæ fidei, si mala fides superueniat tenetur tantum ad id, ex quo factus est locupletior.*
3. *Secus est si non fecerit debitas diligentias, quia in tali casu Domino adinuento tenetur rem, & fructus consumptos restituere ex eo tempore, quo dubitare cœpit.*
4. *Possessor rei de qua dubitat an habeat dominium, tenetur ex iustitia inquisitionem facere.*
5. *Opinans probabiliter rem ad ipsum pertinere, quæ bona fide ab alio possidetur sine Iudicis auctoritate eam auferre non potest sine restitutionis obligatione.*
6. *Neuter possidens, vel alter non bona fide, nec etiam potest in dubio totam sibi vindicare, sed plus, vel minus pro ratione dubij.*
7. *Possessor ab initio bonæ fidei si cum dubio tantum speculatiuo superueniat mala fides probabilius opinando rem non esse suam, adhuc tamen dum de hoc certus non est restituere non tenetur.*
8. *Possessor non tenetur iure possessionis suæ seip-*

sum ante iudicis sententiam spoliare, nisi constet rem ad alterum pertinere.

9. *Pro possessore stat præsumptio ordinariè loquendo dum res incerta est, seu partium iura obscura sunt.*

10. *Possessor de cuius possessione dubitat, quando alter petit rem vt suam sibi restitui, solet experiri ius suum coram iudice si factis diligentijs non certioratur de veritate, vel partes intentant amicabilem compositionem.*

11. *Possessor ab initio malæ fidei, si factis diligentijs inuenerit rem apud ipsum existentem esse furtiuam tenetur eam restituere integrè etiam cum fructibus consumptis.*

12. *Possessor prædictus si factis diligentijs deprehendere non potest rem esse alienam, tenetur restituere plus, vel minus secundum proportionem dubij iuris, quod alter in rem habere videtur.*

13. *Possessor malæ fidei si sciat rem esse certæ personæ, debet eidem eam restituere, si persona sit incerta pauperibus.*

14. *Possessor rei, quam dubitans an accipere potuerit, non bonæ, sed malæ fidei possessor dicitur.*

15. *Possessor rei, licet dubitans an alienans potuerit transferre dominium, potest tamen eam capere, & retinere; si intelligat dantem bona fide rem alienasse, & eam quatenus furtiuam vendere,*

16. *aut emere potest cum proposito Domino reddendi etiam id, ex quo factus fuit ditior.*

17. *Emptor frumenti, olei, vini, & similium, quæ furto sublata, & vendentis rebus eiusdem generis permixta fuerunt non tenetur ad restitutionem etiamsi id nouerit, & res apud ipsum extet. Vide ibi cur, & ad quid teneatur.*

18. *Dominium rei acceptæ nomine ludi, vel vsuræ censetur translatum in Vincentem. & Vsurarium si ita misceatur rebus vincentis, vt non possit ab istis distingui.*

19. *Dominus rei in aceruo existenti permixtæ inter res alienas habet ius in rem vt ante omnes alios ipsi ex illo satisfiat: imo potest sibi ex illo occultè accipere, quantum è re sua ibi permixtum esse nouerit.*

1 Respondetur, & dico primo: si quis initio bona fide rem possidet, & postea dubitare incipit, vtrum illa sit aliena, & restitutioni obnoxia, tenetur diligenter veritatem inquirere, & interim rem conseruare; quod, si diligenter inquirendo non possit veritatem deprehendere, sicque dubium deponere, potest per iudicium practicum moraliter certum eam sibi retinere,
2 quin & alienare, & absumere, itavt, si postea, eam alienam fuisse, appareat, non ad amplius obligetur, quam inde locupletior factus fuerit.

Probatur; quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis (cùm bona fide illam habuerit, & vendiderit.) Neque ratione rei acceptæ, cùm ipsa non existat in se; ergo solùm tenetur ad id, in quo locupletior factus est; quia sic res per aliquid sui, quod vicem eius supplet apud ipsum existere censetur. Ita ex communi Gabriel. *in 4. dist. 15. quæst. 3. dub. 5.* Cajetanus *2. 2. quæst. 6. art. 6.* Nauar. *cap. 17. nu. 7.* Syluest. *verb. restitut. 3. quæst. 7. dict. 3.* Vasq. *1. 2. disp. 66. cap. 7.* Medina *Cod. de restit. quæst. 17.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 35. & 36.* Couarr. *regul. possessor. part. 2. § 7. num. 3. & regul. peccatum part. 3. in princip. num. 4.* Suar. *tom. 5. disp. 40. sect. 5. nu. 14.* & Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 41. nu. 12.* & patet ex dictis *dubit. 1. dict. 2. propè fin.* quia *in pari causa possessor potior haberi debet, regul. 170. ff. fine, & in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis, regul. 63. in 6.*

Ex his sequitur, quod, si occurrente dubio, non instituit diligentem inquisitionem, & postea certò deprehendit, rem fuisse alienam, teneatur Domino restituere, non solum rem illam, sed etiam fructus consumptos ex eo tempore, quo dubitare cœpit; quia ex quo cœpit dubitare, num res esset aliena, & diligentem inquisitionem non instituit, non fuit amplius bonæ fidei possessor, sed mala fide cœpit rem illam possidere. 3

Confirmatur, quia ex iustitia tenebatur inquisitionem facere, & veritatem inquirere, ergo omissio illa, seu negligentia fuit contra iustitiam: consequenter ex iustitia tenetur ad damnum, quod ex ea omissione, seu negligentia rei Domino aduenit. 4

Sequitur secundò, quòd si quis, licet probabilis opinio sit, rem ad ipsum pertinere, non possit sine iustitia, & sic sine restitutionis obligatione à bonæ fidei possessore sine Iudicis authoritate eam auferre, vel subripere, Nauarr. *cap. 12. num. 717.* & Sanch. *loco suprà cit. num. 26.* contra Medinam *Cod. de restitutione quæst. 20. §. secundùm quia præsupponunt*; si vero neuter possidebat, vel alter non bona fide possidebat, nec etiam potest in dubio totam sibi vindicare, sed plus, vel minus pro ratione dubij: scilicet in pari dubio dimidium; si probabilius putet, esse alienam, minus; si probabilius putet, esse suam, plus, secundùm varios gradus probabilitatis; quia cum nulli possessio suffragetur, res ex coniectura, & probabilitate iuris vtriusque partis statuenda est. 5 6

Et quod dixi in responsione, quod scilicet, si quis initio bona fide rem possidet, & postea dubitare incipit, vtrùm aliena sit, diligenter inquirendo veritatem non potest deprehendere, & sic dubium deponere, possit eam sibi retinere, quin & alienare, vel absumere, &c. adeò verum est, vt, tamen si bonæ fidei possessor speculatiuè probabilius iudicet, rem ad alterum pertinere, adhuc tamen, dum moraliter de hoc certus non est, restituere non teneatur, Vasq. *cit. disp. 66. cap. 7. nu. 42.* Molin. *disp. 163.* Sanch. *lib. 1. moral. cap. 10. nu. 9.* & Veracrux *part. 3. speculi art. 13. in fin.* & ratio est, quia *ex dictis cit. dubit. 1. dict. 2. propè fin.* non tenetur quis iure possessionis suæ seipsum ante Iudicis sententiam spoliare, nisi constet, rem ad alterum pertinere, *c. si virgo, 34. quæst. 1. ibi: bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiù se possidere ignorat alienum, cum verò scierit nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur:* si quidem dum res incerta est, seu partium iura obscura sunt, ordinariè loquendo, præsumptio stat pro possessore, §. *retinendæ, institut. de interdictis:* quapropter, si quis rem bona fide hactenus, 7 8 9 10

vt suam, possedit, & alter illam, tanquam suam, sibi restitui petit, solet possessor, si post veritatis inquisitionem, non certò deprehendit, eam ad alterum pertinere, Iudicem experiri, & antequàm à Iudice, cognita causa, condemnetur, non restituere; quamuis, si partes Iudicem non habeant, & altera pars rem exigat, videtur in hoc casu, compositione lis transigenda, vt infrà *dubit. seq.* dicetur.

11 Dico secundò, si quis initio mala fide, & sic cum peccato, rem possedit, quia scilicet eam emit, permutauit, vel dono accepit à persona suspecta de furto, & post diligentem veritatis inquisitionem certò moraliter deprehendit, fuisse alienam, tenetur integré rem restituere cum fructibus etiam consumptis: si
12 verò depehendere non potest, tenetur restituere plus, vel minus secundùm proportionem dubij iuris, quod alter in rem habere videtur:
13 qui, si sit persona nota, tenetur ei restituere suam partem, si verò sit ignota, pauperibus; Caiet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Sot. *lib. de iust. lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 1. Io. Medin. *quæst.* 17. Molin. *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 723. *num.* 3. Salon. 2. 2. *quæst.* 61. *tract. de dominio, in fin.* Rebell. *part.* 1. *de obligat. iust. lib.* 2. *quæst.* 5. *num.* 7. & Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 24.
14 quia qui rem aliquam accipit dubitans, vtrum accipere possit, non bonæ, sed malæ fidei possessor esse censetur; ergo, perseuerante hoc dubio, possessio ei suffragari non debet: quia tamen ex altera parte certus non est, rem ad alterum pertinere: consequenter in eam ex titulo v. g. emptionis, vel donationis, dubium ius habet restituere (licet initio peccauerit) non tenetur, nisi plus, vel minus, secundùm dubij proportionem.

15 Cæterum in duobus casibus, licet quis dubitet, num is, à quo accipit, Dominus sit, iustè illius rei possessionem capere, & retinere potest: primò si intelligat, dantem bona fide rem alienasse; quia scilicet illa post diligentem inquisitionem non potuit deprehendere, eam esse alienam: quia in tali casu accipiens succedit in ius prioris possessoris: Molin. *tom.* 1. *tract.* 2 *disp.* 36. *concl.* 1 *&* 3. & Sanch. *loco suprà cit. num.* 28. Secundò, si, licet suspicetur, rem esse furtiuam, illam tamen emit, permutat, vel dono accipit cum proposito Domino reddendi: quia in tali casu negotium eius vtiliter gerit, Medina. *Cod. de restitut. qu.* 10. *§. aliter tamen videtur*, Couarr. *regul. peccatum*
16 *part.* 3. *in principio num.* 4. & Sanch. *cit. disp.* 41. *num.* 29. quapropter, si postea rei Dominus appareat, non debet possessor restituere, nisi quantùm possidet, vel in quantùm ditior factus est, Molin. *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 723. *num.* 4.

17 His adde, quod satis probabiliter neque is, qui emerit frumentum, oleum, vinum, & similia, quæ furto sublata, & vendentis rebus eiusdem generis permixta fuerunt, teneatur ad restitutionem etiamsi id nouerit; & res apud ipsum extet: quia satis probabiliter cum res aliena ita rebus alienis est permixta, vt non possit discerni, transit in dominium eius, cuius rebus permixta est, vt sit pereat obligatio realis, solumque maneat personalis. Angel. *vsura* 2. *num.* 18. Syluest. *eod. verb.* 6. *quæst.* 1. & Io. Medina *quæst.* 10. *&* 30. *de restitutione*, quorum sententiæ fauet Textus *in l. si alieni nummi ff. de solut.* 161: *si alieni nummi, inscio, vel inuito Domino, soluti sunt, manent eius, cuius fuerunt; si mixti essent, ita vt discerni non possent, eius fieri, qui accepit, in libris Cassij scriptum est, itavt actio Domino cum eo, qui dedisset, furti competeret*; fauet & ratio; quia in talibus non est causa, cur potiùs hæc pars, quàm illa censeatur aliena.

Hinc, si res nomine ludi, vel vsuræ accepta ita miscetur rebus in ludo vincentis, vel vsurarij similibus; vt non possit ab istis distingui, eius dominium censetur translatum in vincentem, vel vsurarium, vt tertius alius possit ab his illas accipere, Doctores *ex citat. l. si alieni nummi, & ex §. si duorum, & 2. sequentibus instit. de rerum diuisione.* 18

Quamuis valdè probabile sit quod quandiù cumulus extat aliquo modò idem permanens, siue apud vincentem in ludo, vel vsurarium, siue apud alium, is cuius res ibi permixta est, habeat ius in rem, vt ante omnes alios ipsi ex illo satisfiat: imo possit sibi ex illo occulte, quantùm de re sua ibi permixtum esse, nouerit. Ratio quia, cum misceo v. g. frumentum alteriùs frumento meo sine voluntate Domini, aceruus ille ex vtroque resultans non fiat communis, ac proinde nec singula grana communicentur, sicuti cum vtriusque consensu miscentur, tamen competit ei actio in rem, quandiù aceruus extat totus, vt *habetur instit. supra*; quod est valdè consentaneum iuri naturali; quia si mihi certò constat, rem meam esse huic permixtam, non est, cur non possim mihi vindicare ex mixto illo, quantum de meo inest; & fauet Textus *in l. Marcellus §. Pomponius ff. de rei vindicat ibi: si quid, quod eiusdem naturæ est, ita confusum, & mixtum est, vt separari nequeat, pro parte vindicandum, vt puta meum argentum, & tuum in massam redactum est*; qua de re tamen vide, quæ dicentur infrà *sect.* 7. 19

SECTIO II.

An qui bona fide rem consumpsit, vel alienauit, teneatur postea restituere?

SVMMARIVM.

1. *Possessor rei alienæ optima fide statim ac cognouerit rem esse alienam tenetur restituere, nisi legitimæ præscriptionis beneficio dominium sibi compararit.*
2. *Possessor bonæ fidei quandiu sibi persuadet rem esse suam, vel ad se pertinere à probabili ignorantia, à restitutione excusatur.*

3. *Possessor bonæ fidei fructuum dominium sibi comparat triennij spatio, quia ita vsucapiuntur mobilia, non sic dominium fundi, ad cuius præscriptionem longum tempus scilicet decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes requiritur.*

4. *Possessor bonæ fidei ab initio si postquam cognouerit rem esse alienam habita restituendi opportunitatē eam detineat, incipit esse malè fidei possessor.*

5. *Iniusta detentio æquiualet iniustæ acceptioni; & ideo res si pereat detentor tenetur restituere, ex quo fuit in mora culpabili.*

6. *Possessor bonæ fidei si rem consumpsit, vel alienauit, tenetur solum ad id, in quo ditior factus est.*

7. *Item si eam vendidit eodem pretio, vel minoris bona fide ad nihil tenetur.*

8. *Item tenetur restituere pretium si eam domi habuit, & postea vendidit, nisi forsan illud insumpserit in lusum, vel largitiones, ita vt ex eo non sit factus ditior.*

9. *Item si eam bona fide donauit, alias non donaturus, nisi eam dono habuisset, ad nihilum tenetur: quia in nihilo factus est ditior: secus si aliam ex suis rebus donauisset.*

10. *Item si res perijt durante bona fide siue fortuito siue culpa sua parua, vel etiam magna, ad nihil tenetur.*

11. *Possessor bonæ fidei postquam cognouerit rem alienam esse, tenetur restituere rem ipsam si extet, si autem non extet, sed consumpta sit, vel perierit, non tenetur plus restituere, quam inde locupletior factus fuerit.*

12. *Regula prædicta procedit etiam in veste quam quis bona fide ex vsu attritam fecit, vide ibi casum extensum.*

13. *Item procedit in cœna furtiua, ad quam quis bona fide accessit inuitatus.*

14. *Item in milite in bello materialiter iniusto bona fide militante qui superueniente cognitione de belli iniustitia non tenetur nisi ad id, in quo factus est locupletior.*

15. *Item si bona fide, seu per ignorantiam aliquis fecit contractum vsurarium, quem postea vsurarium esse animaduertit non plus restituere tenetur, quam inde locupletior factus fuerit.*

16. *Item id etiam procedit in re bona fide accepta, licet postea iniustè materiali iniustitia quis cognouerit accepisse, & ex ignorantia mortaliter non culpabili non restituat, non plus tenetur restituere quam id. ex quo auctum fuit eius patrimonium.*

1 RESpondetur: ex dictis *Sect.* 1. quod quicumque habet rem alienam, quamuis optima fide hactenus tenuerit, putans esse suam, statim ac cognouerit, esse alienam, teneatur prima opportunitate restituere, ratione tantum rei acceptæ; præterquam, si legitimæ præscriptionis beneficio dominium sibi compararit.

2 Dixi, *statim ac cognouerit esse alienam*; quia quandiu possessor bonæ fidei sibi persuadet, rem esse suam, vel ad se pertinere, probabilis ignorantia eum à restitutione excusat; sin vero dubitet; quid tunc facere debeat, dixi *cit. sect.* 1.

Dixi secundò; *præterquam, si legitimæ præscriptionis beneficio dominium sibi compararit*: 3
circa quod aduerte, fieri posse, quòd bonæ fidei possessor fructuum dominium vsucapione sibi compararit, non item dominium fundi, ex quo percepti sunt; quia ad vsucapionem fructuum, tanquam rerum mobilium, triennij spatium sufficit; ad vsucapionem verò, seu potius præscriptionem fundi, vtpotè res immobilis, longum tempus, scilicet decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes requiritur, vt in materia de vsucapionibus, & præscriptionibus videre est.

Atque ita docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Cajet. *ibid. & in summa verb. restitutio, c.* 1. Sot. *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *art.* 2. Couarr. 1. *resol. cap.* 3. *& regul. peccatum part.* 3. *num.* 3. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 7. Medina *de restitut. quæst.* 10. Molin. *tract.* 2. *tom.* 3. *poster. disput.* 718. Rebell. *lib.* 2. *de restit. quæst.* 3. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 17. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 23. Et probatur; quia non potest retinere rem inuito Domino. Vnde lex ciuilis concedit Domino euictionem, & vindicationem rei suæ, vbicumque locorum ea fuerit; Neque potest exigere à Domino pretium quod pro ea dedit, *l. mater tua, & l. si mancipium, Cod. de rei vindicat.* quia par non est, quod Dominus rem suam emat, *l. suæ ff. de contrah. empt.* sed debet illud repetere à venditore, *l.* 1. *ff. de euict.*
At, si postquam cognouerit esse alienam, vlterius habita restituendi opportunitate, detineat, incipit esse malæ fidei possessor, & obligari restituere, non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ detentionis, quæ 4
æquiualet injustæ acceptionis; quapropter, si interim, quamuis casu, res illa pereat, tenetur restituere, quia fuit in mora culpabili restituendi. 5

Quamuis, qui rem alienam bona fide possidebat, eam interim consumpsit, vel alienauit, teneatur solùm ad id, in quo ditior factus est; quia solùm tenetur ratione rei acceptæ; quæ cum amplius apud illum in se non extet, cessat cum ipsa ipsius in se obligatio. 6

Hinc Primò, si eam bona fide emit, & postea eodem pretio, vel minoris bona fide vendidit, ad nihil tenetur; Quod, si pluris vendidit, ad illud plus solùm tenetur. 7

Secundo, si eam domo habuit, & postea vendidit tenetur restituere pretium; nisi forsàn illud imsumpserit in lusum, vel largitiones, ità vt ex eo non sit factus ditior, quia scilicet alioquin non lusisset, nec largitus fuisset: nam si (quamuis tale pretium non obtigisset) decreuisset, vel necessarium fuisset, talia impendia facere, iam pepercit rebus suis, quas impendisset, & sic censetur factus esse ditior; vnde tenetur ad quantum pepercit, vt si v. g. impendit decem ex re aliena, solumque pepercit duo ex suis rebus, eo quod non impendisset, nisi duo, non tenetur nisi ad duo, quia his tantum videtur factus esse ditior. 8

Tertio, si eam bonà fide donauit, aliàs non donaturus, nisi eam dono habuisset, ad nihilum tenetur; quia in nihilo factus est ditior; secus, si aliam ex suis rebus fuisset donaturus: quia, cum tunc pepercerit rei suæ, donando 9

alienam, in illa factus est ditior, & sic ad illam, vel ad pretium illius tenetur.

10 Quarto, si res perit durante bona fide (siue perierit fortuitò, siue culpa sua parua, vel etiam magna) ad nihil etiam tenetur: quia non tenetur ratione iniustæ actionis, seu damnificationis (cum illius rei consumptio, vel negligens custodia non sit actio iniusta: siquidem bona fide circa illam, tanquam circa rem suam, se gessit) sed solùm ratione rei, quæ cum nec in se, nec in pretio, extet (quomodocumque id factum sit) ad nihil tenetur; Doctores, quos sequitur Syluest. *verb. restitut.* 3. *quæst.* 7. quamuis contrarium docere videatur. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 7. quatenus ait: *si absque ipsius culpa perijt*: & Sotus *de iustit. lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. quatenus inquit, *si absque ipsius magna culpa perijt.*

11 Itaque bonæ fidei possessor, postquam cognouerit, rem alienam esse, tenetur restituere rem ipsam, si extet, si autem non extet, sed consumpta sit, vel perierit, non tenetur plus restituere, quàm inde locupletior factus fuerit, sic præter Doctores supra citatos, docet Abb. *in cap. grauis de restitut. spoliat. num* 6. & habetur *in l. item veniunt. §. præter hæc ff. de petitione hæredit. ibi: eos autem, qui iustas causas habuissent, quare bona* (hæreditatis) *ad se pertinere existimassent, vsque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos:* vbi Glos. *verb. facti essent*, ait: *hanc esse optimam regulam, qua nulla verior, est in iure, vt bonæ fidei possessor ad id tantum quod ad se peruenerit, teneatur*: cum enim bonæ fidei possessor nullam iniuriam intulerit, non tenetur ex capite injustæ acceptionis, sed solùm ex capite rei acceptæ, ac possessæ: quare plus restituere non tenetur quàm possidet, siue res ipsa sit extans secundùm se, siue aliquid sit inde acquisitum, ideoque patrimonium auctum, iuxta *leg.* 72. *ff. de legatis* 2. *ibi: non absumitur, quod in corpore patrimonij retinetur, siuè verè, & in se-ipso, siue iuris fictione in altero: quia, quod inde comparatum est, vice permutati dominij restituetur, l.* 71. *ff eodem.*

12 Exempla, præter dicta, sint: Si vestem centum aureos valentem, & à fure tibi donatam, bona fide accepisti, & attriuisti: postea verò Dominus comparet. restituere ipsi debes vestem attritam (quæ forte dimidio minoris, idest, quinquaginta valet) & præterea compensare attritionem vestis non omnimodè, sed quatenus ditior factus es; v. g. si eo anno decem aureis te vestiendo insumpsisses, nisi vestem illam dono habuisses, decem tantum, non quinquaginta aureos restituere teneberis. Quod si vestem illam in dono habuisti, sed emisti, nihil præter vestem attritam restituere teneris: siquidem nihil ditior factus es, seu nihil patrimonium tuum auctum est.

13 Item, si ad cœnam furtiuam inuitatus, cibum, & vinum pretiosum bona fide, seu ignorantia te excusante, absumpsisti, re postea intellecta, non teneris integri prandij æstimationem, in defectum furis, Domino restituere, sed quantum de tuo domi impendisses, si de prandio furtiuo non participasses; Nauarr. *nu.* 9. Molin. *disput.* 719. Sanch, *num.* 34. & Petrus Nauarr. *de restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 184.

Item, si miles in bello materialiter injusto bona fide (excusante ipsum probabili opinione, vel in causa dubia præcepto superioris, iuxta ea, quæ dicam *dub.* 12. & 13. pugnauit intellecta postea iniustitia belli, non tenetur resarcire damna, & rapinas, nisi quantùm ex ijs factus fuerit ditior, Sot. *loco suprà cit.* Molin. *disp.* 720. & *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 113. Rebell. *quæst.* 4. Sanch. *num.* 6. & Victor. *de iure belli num.* 33. contra Syluest. *verb. bellum* 1. *quæst.* 9. *dict.* 3. & alios. 14

Neque obstat, quod aliqua eorum malè consumpserit. fornicando, potitando, vel negligenter seruando, &c quia, cum ob ignorantiam nihil contra iustitiam peccauerit, non tenetur ad restitutionem ratione injustæ acceptionis, neque etiam, cum res non extet sed consumpta sit, tenetur ratione rei acceptæ; Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 246. Petrus Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 9. Sanch. *num.* 5. & Less. *de iust. & iur. lib.* 2, *cap.* 14. *dub.* 1. *nu.* 7. contra Sotum. *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *art.* 2. & Nauarr *cap.* 17. *num.* 7.

Item, si bona fide. seu per ignorantiam à culpa mortali te excusantem, fecisti contractum, quem postea vsurarium esse animaduertis, non plus restituere teneris. quàm inde locupletior factus fueris. Molin. *tom.* 3. *post disp.* 720. *num.* 4. & Rebell. *quæst.* 4. *in fin.* 15

Quibus adde, quod, etsi rem, quam bona fide accepisti, postea intelligas injustè (materiali injustitia) accepisse, sed restituendi obligationem per ignorantiam moraliter non culpabilem non aduertas, ideoque rem consumas, non plus deinde restituere teneris, quàm exinde patrimonium tuum auctum videris. 16



SECTIO III.

An qui bona fide possedit, teneatur restituere etiam fructus perceptos.

SVMMARIVM.

1. *Fructus bifariam diuiduntur & in fructus rei, & in fructus meræ industriæ, & quinam ij sint.*
2. *Fructus rei subdiuiduntur in merè naturales, in mixtos & in fructus ciuiles.*
3. *Fructus omnes, qui ex re ipsa, quamuis concurrente hominis industria, proueniunt, à Theologis vocantur naturales, secus autem à iuristis, à quibus mixti dicuntur, vel si magis industria quam natura concurrat, industriales.*
4. *Fructus rei, quos omnes sine differentia naturales appellant Theologi, alij sunt pendentes, alij vero à solo separati.*

5. *Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus, vel potius lucra, quæ ſunt meræ induſtriæ.*

6. *Fructus meræ induſtriæ non ſunt fructus rei alienæ; ſed eius cuius eſt induſtria.*

7. *Artifex qui in opere conficiendo vſus eſt alieno inſtrumento acquirit ſibi, non inſtrumenti Domino: debet tamen reſtituere tantum valorem vſus ipſius.*

8. *Ita qui vinum alterius alio deportauit, & vendidit vbi pluris valet lucrum ſibi non Domino acquirit, cui tantum debetur vinum ad æqualitatem.*

9. *Fur tenetur compenſare Domino damnum, ſi inde Dominus damnum aliquod paſſus eſt.*

10. *Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere fructus pendentes Domino rei, qui tales fructus non minus quam rem ipſam iure vindicationis petere poteſt.*

11. *Item tenetur reſtituere fructus rei ſiue merè naturales, ſiue mixtos adhuc extantes Domino rei deductis expenſis, & extimatione laboris.*

12. *Fructus hoc ipſo quod proueniunt ex re alterius, cedunt in dominium illius, res enim quælibet Domino ſuo fructificat.*

13. *Poſſeſſor bonæ fidei locupletior fieret ſi præter expenſas, & extimationem laboris, & induſtriæ ſuæ, aliquid ex fructibus rei alienæ ſibi retineret.*

14. *Fructus rei induſtriales in foro externo poſt quam a ſolo ſeparati ſunt, bonæ fidei poſſeſſori acquiruntur.*

15. *Fructus rei merè naturales, licet à ſolo ſeparati, vel percepti ſint, bonæ fidei poſſeſſori non acquiruntur ſed Domino rei pariter in foro externo, vbi vide diſcrimen inter fructus naturales, & induſtriales.*

16. *Textus* in l. 48. ff. de acquiren. rer. domin. *interpretatur.*

17. *Locator rei emptæ à non Domino, quæ non ſit vſu conſumptibilis vt exempli gratia torques aureus, tenetur reſtituere Domino pretium locationis.*

18. *Sæpe contingit vt res apud alium plus ſuo Domino fructificet, quam ſi apud Dominum manſiſſet.*

19. *Poſſeſſor iniuſtus ſi locet domum; vel equum, locationis pretium ad Dominum ſpectat, etiam ſi fortaſſe Dominus nunquam locaſſet.*

20. *Textus* in l. qui ſcit §. vltimo ff. de vſuris *correctus eſſe per alia iura oſtenditur.*

21. *Poſſeſſor bonæ fidei ſi fructus rei ſiue merè naturales, ſiue induſtriales, vel mixtos abſumpſit, tenetur etiam reſtituere Domino rei, quatenus ijs ipſe locupletior factus eſt.*

22. *Poſſeſſor hæreditatis alienæ, quam ad ſe pertinere iudicat, ſi aliquid ex ea bona fide conſumit, tenetur in quantum ditior factus fuit.*

23. *Poſſeſſor bonæ fidei non omnino improbabiliter fructus rei præſertim mixtos, quos ante litis conteſtationem conſumpſit reſtituere non tenetur, licet ex ijs factus ſit locupletior, contra quam ſententiam vide quid dicat Auctor.*

24. *Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad reſtitutionem fructuum, quos ratione ſuæ negligentiæ non percepit: ſecus autem eſt de malæ fidei poſſeſſore.*


Vppono, quod fructus, alij ſint rei, 1
alij meræ induſtriæ: Fructus meræ
induſtriæ ſunt: quos ipſa natura ex
ſe non gignit, ſed ſolùm ad eos gignendos concurrit, vt inſtrumentum negotiantis: Quomodo lucrum, quod ex rebus vſu conſumptilibus, vt ex pecunia, vino, frumento & ſimilibus, negotiando quis acquirit, non rerum ipſarum, ſed induſtriæ fructus reputatur; Item & opus, quod alieno inſtrumento artifex confecit, non inſtrumenti, ſed induſtria artificis fructus cenſetur.

Fructus rei, alij ſunt merè naturales, quos 2
ſcilicet natura, nullo, vel ferè nullo hominis labore, ſeu induſtria concurrente, gignit; quales ſunt animalium fœtus, arborum fructus: poma glandes, herbæ, fœnum & gramina, iuxta *l. fructus ff. de vſur.* Alij ſunt mixti, quos æquè, vel magis hominis induſtria, quàm natura produxit: quales ſunt vuæ, ſegetes, & alij fructus, qui ſerendo gignuntur iuxta. *cit. l. fructus:* Item caſeus, vinum, lana, ſicut ex communi docet Sanch *lib. 2. moral. cap. 23. num. 54. & ſeqq.* Rebell. *lib. 2. de reſtitut. quæſt. 4.* Item pretia domorum, iumentorum, & locatorum, qui fructus ciuiles vocantur, eo quod non propriè fructus ſint, ſed ad ſimilitudinem fructuum iure ciuili conſtituti, ſicut annotauit Abb. *in cap. grauis de reſtitut. ſpoliat. num. 3.* & habetur *in l. prædiorum, ff. de vſur. ibi: prædiorum vrbanorum penſiones pro fructibus accipiuntur.*

Porrò diſcrimen eſt, non in re, ſed in 3
voce inter Theologos, & Iuriſtas: quod Theologi fructus omnes, qui ex re ipſa, quamuis concurrente hominis induſtria, proueniunt, naturales vocant, ſicut annotauit Molin. *cit. tom. 3.* & Rebell. *cit. quæſt. 4. num. 4.* Iuriſtæ vero huiuſmodi fructus, mixtos, vel ſi magis induſtria, quam natura ad ipſos producendos concurrat, ſimpliciter induſtriales appellant, ſicuti dixit Bart. *in l. & ex diuerſo ff de rei vindicat* Abb. *in cit. cap. grauis num. 3.* Angel. *verb. fructus in princip.* Sylueſt. *ibidem*, Sanch. *num. 48.* Rebell. *cit. quæſt. 4. num. 2.* & Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 2.*

Denique fructus rei (quos omnes ſine dif- 4
ferentia naturales appellant Theologi) alij ſunt percipiendi, pendentes: alij verò percepti, à ſolo ſeparati: qua de re Gloſ. *in cit. l. & ex diuerſ. ff. de rei vindicat. verb. non habendam.* His ſuppoſitis.

Reſpondetur ex dictis *eadem ſect. 1.*

Dico primò fructus, vel potiùs lucra, quæ 5
ſunt meræ induſtriæ, bonæ fidei, quin etiam malæ fidei poſſeſſor non tenetur reſtituere: Palud. *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 5.* Scotus *ibid.* Nauarr. *cap. 17. num. 25.* Molin. *cit. diſp. 719. & 720. num. 3.* & alij communiter; quia
fructus meræ induſtriæ non ſunt fructus rei 6
alienæ, ſed eius, cuius eſt induſtria: quapropter ſicuti fructus rei ſequitur rem, eiuſque Dominum; ità fructus, ſeu lucrum induſtriæ ſequitur induſtriam, eumque, qui induſtriam adhibuit.

Hinc, ſi quis alieno inſtrumento opus con- 7
fecit, ad artificem, non ad inſtrumenti Domi-

num, opus illud pertinet; quamuis debeat artifex valorem vsus instrumenti Domino restituere.

8 Hinc secundò, si quis alienum vinum aliò, vbi pluris valet, deportatum vendidit, lucrum sibi, non Domino, acquirit, & tantum debet Domino vinum eiusdem qualitatis, vel quanti interest Domini vinum suum deportatum, & venditum non fuisse restituere: Idemque dicas, si quis etiam fur pecuniam furtiuam negotietur, quod lucrum inde proueniens ad ipsum furem, & non ad pecuniæ Dominum spectet, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. Scot. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 2. & Gabr. *qu.* 11.

9 *art.* 2. *concl.* 5. quamuis teneatur fur compensare Domino damnum, si exinde Dominus damnum aliquod passus sit.

10 Dico secundò: e contra fructus percipiendos; vt segetes agro adhærentes fœtus in vtero adhuc existentes, bonæ fidei possessor tenetur restituere Domino rei, qui tales fructus non minus quam rem ipsam vindicatione repetere poterit quia censentur pars rei fructiferæ, *l. fructus.* iuncta Glos. *verf. pars. ff. de rei vindicat. l. Iulianus* §. *si fructibus ff. de action. empt. l. si quis sciens, Cod. de rei vindic. & §. si Titius, institut. de rer. diuis. ibi: si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit. Et ex diuerso, si Titius suam plantam in Mæuij solo posuerit, Mæuij planta erit: si vtroque casu radices egerit.*

11 Dico tertiò: fructus rei, siuè merè naturales, siuè mixtos, adhuc extantes, tenetur etiam restituere Domino rei, deductis expensis, & extimatione laboris, Glos. communiter recepta *in cit. l. & ex diuerso, § non habendam*, Maior *in* 4. *dist*, 15. *quæst.* 26. Syluest. *verb. fructus num* 2. *& verb. furtum, quæst.* 16. Cajet. *verb. restitutio, cap.* 1. *in fin.* Couarr. 1. *resol. cap.* 3. *num.* 6. Med. *Cod. de restit. qu.* 10. *concl.* 2. Azor *part.* 3. *lib.* 4 *cap.* 2. Vasq. *in opuscul. de restitut. cap.* 9. §. 11. *dub.* 1. Molin. & Rebell. *in locis suprà cit.*

12 Prior pars probatur; quia fructus hoc ipso, quod proueniunt ex re alterius, cedunt in dominium illius, *cit.* §. *si Titius, & seq. instit. de rer. diuis.* & probatur *ex l.* 22. *Cod. de rei vindicat. ibi: certum est malæ fidei possessores omnes fructus soluere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero extantes: post litis autem contestationem, vniuersos, & ex l. qui scit* §. *vlt. ibi: Quamuis bonæ fidei emptor fructus perceptos interim sibi acquirat: si tamen postea res euincatur, ad restitutionem eorum, Iudicis implorato auxilio, compelli:* Et ratio est, quia res quælibet Domino suo fructificat.

13 Secunda pars (deducendas scilicet esse expensas, & extimationem laboris) probatur *ex l. si à Domino* §. *fructus, ff. de petit. hæredit.* & traditur à Glossa, & Abb. *in cit. cap. grauis de restit. spoliat.* Angel. *verb. fructus, num.* 3. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 5 *propos.* 2. Molin. *num* 4. Sanch. *num.* 74. & Rebell. *quæst.* 8. *num.* 2. & ratio vtriusque partis est; *quia locupletari non debet aliquis cum alterius iactura, regul.* 48. *in* 6. *& l. nam hoc ff. de condict. indebiti, ibi: natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem;* locupletior autem fieret bonæ fidei possessor, si præter expensas, & extimationem laboris, & industriæ suæ, aliquid ex fructibus rei alienæ sibi retineret; contra verò rei Dominus iacturam, & detrimentum pateretur, nisi eiusdem rei fructus ipsi restituerentur.

Cæterùm in foro externo ciuili discrimen est 14
inter fructus rei merè naturales, & fructus rei mixtos, seu industriales: quia fructus rei industriales postquam à solo separati, seu percepti sunt, bonæ fidei possessori acquiruntur, *l. fructus ff. de vsur. ex instit. de rer. diuis. ibi: si quis à non Domino fundum bona fide emerit, vel ex donatione, aliave iusta causa, æquè bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit eius esse pro cultura, & cura:* quapropter huiusmodi fructus rei industriales, licet extantes sint, a Domino repeti non possunt, instituta actione reali vindicationis, sed potius condictione sine causa vel Iudicis implorato officio ob æquitatem Glos. *in cit. l. & ex diuerso*, Abb. *in cit. cap. grauis, num.* 9. Mynsinger., & alij *in cit.* §. *si quis a non Domino*, Couarr. *cit. cap.* 3. *num.* 6. & Sanch. *cit. cap.* 23. *num.* 73.

Fructus autem rei merè naturales, licet à 15
solo separati, seu percepti sint, bonæ fidei possessori non acquiruntur, sed Domino rei *cit. l.* 45. *ibi: fructus percipiendo, vxor. vel vir ex re (aliena) sibi donata, suos facit illos tantùm, quos operis acquisierit, veluti serendo, nam, si pomum decerpserit, vel ex sylua ceciderit, non fit eius, sicut nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris.* Vbi manifestum discrimen apparet inter fructus rei industriales, & naturales, quod scilicet illorum dominium summo ciuili iure, possessori bonæ fidei acquiritur, horum non item.

Neque his obstat Textus *in l.* 48. *ff. de acquiren. rer. domin. ibi: bona fidei emptor non dubiè percipiendo fructus, etiam ex re aliena, suos interim facit, non tantùm eos, qui diligentia, & opera eius prouenerunt, sed omnes; quia quoad fructus attinet, loco Domini penè est:* nam verum est, quod bonæ fidei possessor interim, dum ipsi lis non mouetur, quasi domi loco habeatur, adeò vt si fructus, etiam naturales alienauerit, vel consumpserit ad nihilum teneatur nisi fortè locupletior inde factus sit, vt infra dicetur. 16

Ex his sequitur, quod qui torquem aureum 17
à non Domino emptum locauerit, locationis pretium Domino restituere teneatur; Molin. *disp.* 719. *num.* 5. Rodrig. *part.* 2. *summ. cap.* 42. *concl.* 6. Petr Nauarr. *de restit. lib.* 4. *cap.* 1. *num* 49. Rebell *quæst.* 5 *num.* 4. & Sanch. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 132. contra Nauarr. *cap.* 17. *num.* 25. Lopez. *part.* 1. *instruct. cap.* 101. *ad fin.* & alios; quia torques aureus non numeratur inter res vsu consumptibiles, sed eius vsus à dominio separari, alteri concedi, & per se pretio æstimari potest; quapropter pretium elocati torquis non est fructus meræ industriæ, sed ipsiusmet rei; quia, cum propter ipsius torquis vsum pendatur, ad ipsius torquis Dominum spectat. Neque obstat, quod Dominus fortasse nunquam torquem locaturus fuisset; quia, id esse per accidens, censendum est; cum

18 cum ſæpè contingat, quod res apud alterum plus ſuo Domino fructificet, quàm ſi apud Dominum manſiſſet. Quod confirmatur exemplo domus, vel equi, quem ſi iniuſtus poſſeſ-
19 ſor locet, locationis pretium ad Dominum ex communi Doctorum ſententia ſpectat, nihil obſtante, quod fortaſsè Dominus nunquam locaſſet.


20 Obijcies: *in l. qui ſcit, §. vlt. ff. de vſur.* dicitur: *bonæ fidei emptorem, qui priùs, quàm fructus perciperet, cognouit fundum alienum eſſe, cenſeri adhuc bonam fidem habere, vt fructus ſuos efficiat, donec fundus euectus ſit*; ergo etiam ſi extent, poteſt retinere.

Reſpondetur, talem legem, tanquam non æquam, correctam fuiſſe; ſiquidem certum eſt, ſtatim ac quis nouit, rem non eſſe ſuam, non poſſe fructus ex ea naſcentes ſuos efficere, ſicut habetur *ex l. qui bona fide, & l. bonæ fidei, ff. de acquir. rer. domin.* & meritò, quia fructus cedunt ſolo. Vide Couar. *lib. 1. var. cap. 3. num. 7*

21 Dico quartò: bonæ fidei poſſeſſor, ſi fructus rei, ſiue merè naturales, ſiue induſtriales, vel mixtos (ſcilicet ex re, mediante induſtria, prouenientes) abſumpſit, tenetur etiam reſtituere Domino rei, quatenùs ex ijs ipſe locupletior factus eſt, Bart. *in l. & ex diuerſo ff. de rei vindic.* Abb. *in cap. grauis de reſtit. ſpoliat,* Angel. *verb. fructus*, Syluest. *eod. verb. quæſt. 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 3, concl. 5.* Azor. *cit. lib. 4. cap. 2. quæſt. 2.* Molin. *cit. diſp. 719.* Rodrig. *in ſumm. part. 2. cap. 42. concl. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 17.* Sanch. *cit. cap. 23. num. 77.* Rebell. *quæſt. 4.* Gabr. *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 3. dub. 5.* Io. Medin. *Cod. de reſtit. quæſt. 10.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 3. num. 6.* quia fructus, vti ſuprà dicebam deductis expenſis, debentur Domino, ſed in locum fructuum ſuccedit ipſorum pretium, qua parte tali pretio factus eſt ditior; ergo, &c. & probatur *ex l. item veniunt, §. præter, l. ſi & rem, & ſeq. l. ſed etſi. § 1. & 2. ff. de petit. hæredit.*
22 in quibus iuribus apertè habetur. quod ſi poſſeſſor hæreditatis alienæ, quam ad ſe pertinere iudicat, aliquid ex ea bona fide conſumit, teneatur, in quantùm ditior factus fuerit; ergo ſi ita eſt in cauſa, ſeu in poſſeſſione vniuerſali hæreditatis, multò magis ita erit in cauſa particulari; quia verus hæres non habet ius in rem reſpectu hæreditatis à ſe non dum aditæ, ſed tantùm ius ad rem, & tamen, ſi quid ex diſtractione, vel conſumptione rei ad hæreditatem pertinentis, ad bonæ fidei poſſeſſorem peruenit, hæredi reſtitui debet; ergo multò magis vero Domino, ſi quid ex re eius ad bonæ fidei poſſeſſorem, v. g. rei alienæ emptorem, peruenit, reſtitui debebit; Idem etiam indicatur *in l. ſi & me, & Titium ff. ſi certum petatur, ibi: quia pecunia mea,* (ideſt, quæ mihi debita erat) *ad te peruenit, eam mihi à te reddi, bonum, & æquum erit*; æquitas autem ea eſt, quæ *in l. 14. ff. de condict. indebit.* dicitur: *ſcilicet natura æquum eſſe, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.*

23 Quamuis Gloſ. Mynſingerius, & alij *in cit. §. ſi quis à non Domino:* Item Gloſ. *in cit. l. & ex aduerſo*, Pinellus *in l. 2. Cod. de reſcind. vendit. part. 2. cap. 4. num. 47. 60. & 61.* (qui ſic teſtatur de praxi in foro iudiciali) Andr. Fachinæus *lib. 1. controuerſ. iur. cap. 58.* alijque apud Couarr. & Molin. *in locis ſuprà citat.* non omninò improbabiliter doceant, quod bonæ fidei poſſeſſor, qui fructus rei, præſertim mixtos, ante litis conteſtationem conſumpſit, reſtituere, etiamſi ex ijs factus ſit locupletior, non teneatur; quia ſic videtur colligi ex Text. *in §. ſi quis à non Domino, inſtitut. de rer. diuiſ. & in l, quæſitam ff. de acquirendo rerum dominio*; Ad quæ tamen iura dici poteſt, quod intelligantur in caſu, quo quis non ſit factus locupletior.

Cæterùm certum eſt, quod bonæ fidei poſ- 24
ſeſſor non tenetur ad reſtitutionem fructuum, quos ratione ſuæ negligentiæ non percepit, ſicuti tenetur malæ fidei poſſeſſor: quia ex dictis, cum non ſit factus ditior, non tenetur ratione rei acceptæ: &, cum non fuerit cauſa iniuſta damni Domino aduenientis (ſicuti eſt poſſeſſor malæ fidei per ſuam iniuſtam detentionem) non tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, ſicuti tenetur malæ fidei poſſeſſor.



SECTIO IV.

An qui bona fide rem furtiuam emit, teneatur eam reſtituere Domino, & non poſſit reſcindere contractum, vt pretium recuperet?

SVMMARIVM.

1. *Qui rem furtiuam gratis accepit ſtatim ac nouerit eſſe alienam tenetur illam reſtituere Domino, & non poteſt reddere furi, niſi moraliter certus ſit furem eſſe reſtituturum.*
2. *Reſtitutio, quæ facienda eſt ratione rei acceptæ, facienda eſt ei, cuius res eſt, cum res ſemper clamet ad Dominum ſuum, ſecus autem*
3. *eſt in ſententia auctoris, quia ſatis eſt ad recuperandum pretium eam reponere in ſtatu, quo erat.*
4. *Contractus rei furtiuæ emptionis, quem emptor inijt bona fide, vtpotè inuoluntarius eſt nullus, vel ſaltem poteſt in irritum reuocari.*
5. *Emptor rei alienæ poteſt eam furi reddere, ne damnum patiatur ſed non poteſt ſi fur non inueniatur, vel mortuus fuerit eam alteri vendere ob eamdem rationem, ſed debet Domino reſtituere, à quo eo caſu non poteſt damnum ſuum reſarcire*
6. *Qui rem furtiuam reddit furi non cooperatur illius iniquæ detentioni, quia vtitur iure ſuo, vt ſe ſeruet indemnem, & implicitè corrigit furem, vt & ipſe etiam Domino reſtituat.*
7. *Argumentum deſumptum à ſtylo fori externi in materia reſtitutionis rei furtiuæ emptæ, quæ*

decreti Iudicis statim redditur Domino, & non furi, non applicatur in foro interno ob rationes adductas.

1 SVppono, quod si gratis accepit, absque dubio, statim ac nouerit, esse alienam, tenetur illam restituere Domino, & non possit reddere furi, nisi in casu quod moraliter certum sit, furem esse restituturum: quia tenetur restituere ratione rei acceptæ, quæ apud ipsum extat: sed non furi, cum non sit eius : ergo Domi-
2 no: siquidem restitutio, quæ facienda est ratione rei acceptæ, facienda est ei, cuius res est, cum res semper clamet ad Dominum suum. Hoc supposito.

3 Respondetur: ex dictis *eadem sect.* 1 negatiuè: quia nullam iniuriam intulit Domino, hanc rem emendo, & apud se detinendo, cum bona fide egerit: ergo rationabiliter non potest Dominus id ægrè ferre. tanquam iniuria affectus, si qui bona fide emit, pretium recuperet, eam in eodem statu, in quo prius erat, reponat.

Confirmatur: quia si quis inuentam rem alienam in via, sibi assumat, & postea aduertat, esse sibi eam damnosam, potest in eodem loco eam reponere, & non tenetur cum suo damno seruare, vt Domino restituat: ergo sic etiam in casu nostro.

4 Confirmatur secundò: quia contractus, de quo loquimur, fuit omninò inuoluntarius (siquidem error dedit causam contractui: nam si sciuisset, esse alienam, non emisset) vel certè fuit non voluntarius, ità vt non voluntariè habeat rem alienam, ergo potest contractum rescindere, & rem acceptam restituere, pretium non amittat: consequentia probatur, quia talis contractus ob defectum voluntarij, vel natura sua est nullus, vel saltem potest in irritum reuocari pro arbitrio eius, qui deceptus est, vt communiter Doctores *in materia de contractibus*; Atque ita ex probabiliori Doctorum sententia docent Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 5. Halensis 4. *par. quæst.* 86. *membr.* 3. *art.* 5. Syluest. *verb. restitutio* 3. *quæst.* 7. Angel. *ibid. num.* 1. *&* Nauar. *cap.* 17. *num.* 9. contra Caietanum 2. 2. *quæst* 62. *art.* 6. Sotum *de iust. lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. & Couar. *ad regul. peccatum* 3. *part. in princip. & lib.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 6.

5 Obijcies: si talis emptor rei alienæ potest eam furi reddere, ne damnum patiatur, potest etiam, si fur non inueniatur, vel mortuus fuerit, eam alteri vendere ob eamdem rationem.


Respondetur: nego consequentiam; quia si non inueniatur, à quo illam emit, iam non potest contractum rescindere, nec rem in eodem statu reponere; quapropter tenetur eam Domino restituere; quia non potest eam retinere, cum sit aliena; neque potest eam vendere, cum eius dominium transferre non possit; neque etiam potest à Domino pretium exigere; cum nullum ius habeat in Dominum; quia sine culpa Domini ad ipsum peruenit; sed tantum ius habet in venditorem, à quo solum, & non ab alio, potest damnum suum sarcire.

Obijcies secundò: qui rem furtiuam reddit, cooperatur illius iniquæ detentioni, ergo.

Respondetur: nego antecedens; quia vtitur iure suo vt se seruet indemnem, relinquens furem suæ conscientiæ: non enim suadet, vt non restituat; quin potiùs implicitè, rem furi restituendo, eum corrigit, vt & ipse etiam Domino restituat; Neque dat occasionem noui peccati, quia fur iam ante constituerat non restituere.

Obijcies tertio, si Dominus rei posset conuenire talem emptorem coram Iudice, Iudex eum condemnaret ad restituendum, ergo signum est, quod antea tenebatur restituere. 7

Respondetur: concedo Antecedens: At nego consequentiam; quia ideo Iudex condemnaret emptorem ad restituendum; quia res aliena apud ipsum reperitur: Iudex enim statim inquirit, à quo nam eam emerit qui si potest inueniri, iubet, non vt ei restituat, quia non vult dominium rei per istas ambages ducere sed vt restituat Domino cuius est; & ipse, si velit, pretium à fure venditore recuperet: quia Iudex, quod est expeditissimum, sequi solet: si fur venditor inueniri non potest, æquè emptor tenebitur restituere Domino, Quod si emptor furem venditorem sciens, nolit detegere, meritò à Iudice in pœnam condemnatur, vt rem Domino, & non furi venditori, restituat.



SECTIO V.

An qui mala fide emit, vt sibi retineret, sciens, vel dubitans, esse furtiuam, teneatur eam restituere Domino?

SVMMARIVM.

1. *Emptor malæ fidei sciens, vel dubitans rem esse furtiuam sed emens vt sibi retineret, tenetur eam restituere Domino etiam si oportuerit pretium amittere.*
2. *Emptor malæ fidei rei alienæ, ex eo quod sciuit rem esse furtiuam, renunciauit iuri suo, & ideo non sibi, sed Domino acquirit.*
3. *Emptor rei alienæ si eam emit animo restituendi Domino & paruum pretium dedit, potest*
4. *Illud repetere etiam in fero externo; Secus autem si magnum, vel propè æquale pretium dederit, nisi fortè aliter prudenter putauerit, tenetur tamen ad aliquid iuxta prudentis arbitrium.*
5. *Emptor rei alienæ si eam tantum sibi comparauit, non potest repetere pretium à Domino rei.*

1 Reſpondetur: ex dictis *eadem ſect.* 1. affirmatiuè: ſic contra Doctores infrà citandos docet Nauar. *cap.* 17. *num* 9. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. Sot. *de iuſtit. lib.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 2. & Couar. *ad regul. peccatum* 3. *part. in princip.* & probatur: quia tenetur, non ſolum ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis: ſiquidem accepit rem alienam iniuſto Domino, ſciens, vel dubitans, eſſe alienam: ergo etiamſi periret; teneretur de damno: ac proinde tenebitur eam Domino reſtituere, etiamſi oportuerit, pretium amittere.

2 Confirmatur: quia, cum ſciuerit, eſſe alienam, & nihilominùs voluerit emere, cenſetur voluiſſe damnum in ſe ſuſcipere, & cedere iuri ſuo, quod ad contractum reſcindendum habuiſſet, ſi alienam eſſe neſciuiſſet; quapropter ſibi imputet, quod pretium dederit pro re, quam ſciebat reſtitutioni obnoxiam eſſe.

3 An autem poſſit repetere pretium, quod pro ea dedit?

Reſpondetur, etiam ex dictis *eadem ſect.* 1. diſtinguendo: ſi eam ſciens, eſſe alienam, paruum pretium dedit, vt Domino reſtitueret, poterit repetere pretium; quin in tali caſu Dominus dare tenebitur, & in foro exteriori cogetur, §. 1. *inſtitut. de obligat. quæ quaſi ex contractu*, & *l. ſi quis abſentis ff. de negotijs geſtis*; quia vtiliter geſſit negotium Domini: non enim dedit pretium, vt rem ſibi retineret, ſed vt eam periculo eximeret, ne Domino periret;

4 Vide quæ dicebam *cit. ſect.* 1. *propè finem*: Si magnum, vel propè æquale pretium dedit, non tenetur Dominus ei totum (niſi fortè prudenter emptor putauerit, eam longè pluris valere) rependere; quia nihil vtilitatis tali emptione Domino attulit, nec vtiliter eius negotium geſſit; tenetur tamen Dominus ad aliquid arbitrio prudentis viri, nimirum quantum prudenter, gerendo negotium ipſius, emptor impendere potuiſſet; vti colligitur *ex l. ſi quis abſentis ff. de negot. geſtis*. Si vero eam ſibi

5 comparauit, non poteſt pretium repetere: non enim poteſt repetere nomine venditionis, quia Domino rem ſuam vendere non poteſt, neque nomine geſtionis negotij, quia non eius cauſa comparauit, vti colligitur *ex l. pupilli §. ſed etſi quis negotia, ff. eod. tit.*

Cæterùm Gabriel. *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 3. *dub.* 5. Halenſis 4. *part. quæſt.* 86. *membr.* 3, *art.* 3. Syluest. *verb. reſtitutio.* 3. *quæſt.* 7. Angel. *eod. verb. reſtitutio* 1. *num.* 1. tenent, etiam eum, qui mala fide emit, poſſe contractum cum fure initum, vt pretium recuperet, reſcindere; idque ex eo, quia quiſque poteſt ſibi conſulere præ altero; præſertim, cum reſcindendo contractum non conſtituat rem in priori loco, quàm erat ante: Quorum authorum opinio non eſt omnino improbabilis, quin valdè rationi conſentanea, quando contractus reſcinditur non valdè tardè, poſtquam ille eſt initus: quia tunc non cenſetur Domino notabilem iniuriam feciſſe, rem illius per breue tempus contrectando.

Del Bene, p. Pars.

SECTIO VI.

Ad quidnam teneatur in vniuerſum malæ fidei poſſeſſor.

SVMMARIVM.

1. *Poſſeſſor malæ fidei tenetur etiam reſtituere incrementum, & fructus, non tantum, quos deductis expenſis percepit: ſed etiam quos veriſimiliter percepiſſet, niſi res ipſi ablata, vel iniuſtè detenta fuiſſet.*
2. *Poſſeſſor malæ fidei tenetur etiam reſtituere omne damnum emergens, & lucrum ceſſans.*
3. *Limita ſi impropriè ſit malæ fidei poſſeſſor, vel per craſſam ignorantiam non cognoſcat ſe iniuſtum poſſeſſorem.*
4. *Poſſeſſor malæ fidei maximè quis ſit poſt litis conteſtationem.*
5. *Poſſeſſor malæ fidei, qui talis incipit eſſe poſt litem conteſtatam non tenetur, ſi cauſa cadat, niſi de fructibus perceptis poſt litis conteſtationem, & ſi extant etiam quos antea perceperunt.*
6. *Poſſeſſor malæ fidei tamen non tenetur ad reſtitutionem rei alienæ, quæ etiam apud Dominum proprium periiſſet, ſi fortuito, & ſine illius culpa pereat.*
7. *Poſſeſſor malæ fidei ſi res aliena apud ipſum perijt, quæ etiam apud Dominum proprium periiſſet, in foro externo in pœnam delicti condemnatur ad reſtitutionem.*
8. *Limita ſi res aliena perijt dolo malæ fidei poſſeſſoris, quia ſcilicet ſcienter eam deſtruxit, vel alteri donauit, tenetur ad pretium rei.*
9. *Sublimita quod malæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem non teneatur ſi eo loco, & tempore rem abſumat, quo alioquin etiam apud Dominum periiſſet.*
10. *Fur non tenetur ad reſtitutionem ouis v. g. quam poſtea certo lupus, ignis, flumen vel hoſtium incurſus abſorbuiſſet ſi tamen id publicè ſciatur.*
11. *Fur non tenetur reſtituere ſi impendenti domus incendio ſumat, ſtatimque exhauriat vini dolium, ſi tamen id publicè ſciatur, ſecus eſt ſi ſecreto.*
12. *Miles ſi cum alijs militibus in Prouincia non hoſtili domum aliquam deprædando caſu, & ignorantia veſtem ſumat, quam alioquin alij ſine dubio abſtuliſſent ſi fecit animo reſtituendi non peccauit, ſecus ſi animo non reſtituendi.*
13. *Pretia rerum imponuntur ex morali æſtimatione ſecundum præſentes circumſtantias, creſcere, & decreſcere ſolent ob varios caſus.*
14. *Reſtitutio pauperibus fieri tantum debet ex probabili ſententia DD. quando res aliena ex delicto acquiſita eſt.*

F ij

15. *Pauper qui tenetur restituere id quod mala fide retinet si sit in necessitate constitutus potest rem sibimetipsi tanquam vero pauperi applicare.*

16. *Restitutionis obligatio secundum probabiliorem sententiam non oritur ex alia radice, quam ex iniusta actione, quæ attingat peccatum mortale.*

17. *Fur vectus cum mercatore in naui onusta frumento si frumentum surripiat vno die, & die sequenti merces & frumentum totum pereat saluis tantum hominibus, licet non teneatur secundum probabilem ad restitutionem tenetur tamen secundum probabiliorem.*

18. *Obligatio ad restituendum semel contracta ex fortuito euentu non extinguitur.*

19. *Fur, qui vestem furatus statim amisit non sine graui culpa, ad restitutionem tenetur etiam si apud ipsum Dominum perijsset.*

20. *Depositarius tenetur non solum ex dolo, verum etiam ex culpa* Theologica *lata, seu mortali.*

21. *Fur tenetur nan tantum ex dolo, verum etiam ex culpa Theologica lata, seu mortali.*

22. *Inuentor Dominum rei inuentæ determinatè sciens si in culpabili mora restituendi existat tenetur restituere si eam dolo, vel lata culpa amittat.*

23. *Inuenter Dominum rei inuentæ ignorans peccat contra charitatem si rem positiuè destruat, absumat, aut ab alio auferri patiatur, & ideo non tenetur ad restitutionem.*

24. *Nemo censetur causa damni ex eo quod facile possit illud impedire, & non impediat, nisi ex iustitia impedire, seu rem conseruare teneatur.*

25. *Fur seu detentor rei inuentæ, si eam Dominus per se vel per alium conseruasset, si pereat penes ipsum non eximitur à restitutione.*

26. *Possessor malæ fidei si augmentum, seu fructus ex re, eiusque intrinsecis melioramentis perceptos, seu prouenientes dolo vel culpa lata perire permisit, eorum æstimationem Domino præstare debet.*

27. *Non obstat, quod si Dominus in manu sua rem habuisset non tantos fructus inde percepisset,*

28. *Creditor restituere tenetur fructus omnes ex fundo sibi oppignerato perceptos deductis expensis, & æstimatione laboris non obstante quod Dominus non tanta diligentia coluisset.*

29. *Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis.*

30. *Amplia vt malæ fidei possessor teneatur ad expensas necessarias amissas ex eius negligentia, sed etiam ad vtiles, secus autem est de expensis voluptuosis si eas sine damno separari nequeant.*

31. *Melioramenta rei extrinsecæ acquiruntur etiam malæ fidei possessori.*

32. *Fur semper tenetur ad restitutionem faciendam secundum æstimationem in optimo statu rei quapropter si v. g. equum deteriorem reddiderit, tenetur ad compensationem.*

33. *Limita nisi res ita comparata sit, vt Dominus deteriorem effecisset, quia tunc satisfacit malæ fidei possessor restituendo rem in statu deteriori, ad quem sine culpa sua peruenit.*

34. *Possessor malæ fidei si res extrinseca tantum æstimatione, vel valore aucta, eoque tempore consumpta, vel alienata sit, satisfacit si tunc eamdem v. g. mensuram frumenti eiusdem bonitatis restituat, vel pretium eius secundum taxam temporis, in quo restituit.*

35. *Valor rei extrinsecus non censetur fructus, seu augmentum rei, sed potius industriæ, quapropter non rei Domino, sed possessori etiam malæ fidei cedere debet.*

36. *Restitutio de rebus, quæ functionem recipiunt, tam à possessore bonæ quam malæ fidei facienda est in ijsdem numero rebus vel in alijs eiusdem bonitatis, vel debet solui pretium ad præsentem æstimationem.*

37. *Restitutio quomodo facienda de rebus vsu non consumptibilibus vide exemplum de equo.*

38. *Restitutio facienda est Domino de equo, qui locatus fuit iuxta valorem seu æstimationem lucri cessantis, & damni emergentis si locator coactus est conducere de illo tempore intermedio alium equum.*

Respondetur: malæ fidei possessor 1 Domino restituere, non solùm rem, vel si res perijt, æstimationem eius, sicuti *sect. præcedenti* dicebam, sed etiam tenetur restituere incrementum, & fructus, non tantum, quos ipse, malæ fidei possessor, deductis tamen expensis, percepit, sed etiam quos Dominus verisimiliter percepisset, nisi res ipsi ablata, vel iniustè detenta fuisset; tenetur etiam eidem Domino restituere omne aliud damnum emergens, & 2 lucrum cessans; Doctores communiter *in l. bonæ fidei, ff. de acquir. rer. dominio l. fructus ff. de rei vendit. l. domum, Cod. eod. & §. ei verò, de rer. diuis. & cap. grauis de restit. spoliat.* S. Thom. *in 2. 2. quæst. 62. art. 6.* Cajet. *ibid.* Gabriel. *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3.* Palud. *ibid. art. 5.* Medina *de restitut. quæst. 6.* Couar. *regul. peccatum, part. 2. §. 6.* Syluest. *verb. restitut. 3. qu. 7.* Molin. *tract. 2. tom. 3. post disp. 723. & seqq.* Azor. *part. 3. lib. 4. cap. 4.* Rebell. *lib. 2. qu. 5.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 23. num. 97. & seqq.*

Dixi, *malæ fidei possessor*; qui scilicet pro- 3 priè talis sit ex eo, quia intelligit, vel per crassam negligentiam intelligere omittit, rei possidendæ, vel vtendæ ius se non habere, adeoque alteri iniuriam inferre; vt excludam eum, qui impropriè malæ fidei possessor dici- 4 tur, posteaquàm causa in iudicium deducta, & lis contestata est, iuxta *l. sed etsi §. stante. ff. de hæredit. petit. ibi: quoniam post litis contestationem omnes incipiunt malæ fidei possessores esse:* 5 nam isti, cum causam dubiam actori statim cedere obligati non sint, si antea bona fide in possessione fuerunt, non tenentur, si causa cadant, nisi de fructibus post litis contestationem perceptis (vti habetur *in l. bonæ fidei ff. de acquir. rer. dominio & l. & ex diuerso ff. de rei vindicat,*) vel quos negligentia sua percipere intermiserunt, vti docent Doctores, quos sequitur Sanch. *loco suprà cit. num.* 115. fructus verò perceptos ante litis contestationem, restituere tenentur, quatenùs extant, iuxtà *l. certum Cod. de rei vindicat.*

Dixi secundò, *rem alienam, vel si ea perijt,*

æſtimationem eius : quod patet ex dictis ſect. præcedenti, & eſt communiter receptum inter Doctores.

6 An autem, ſi res aliena, quæ apud malæ fidei poſſeſſorem perijt, ſimiliter (licet apud Dominum manſiſſet) perijſſet, adhuc malæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem teneatur?

Reſpondetur negatiuè ; ſi res aliena apud ipſum periit fortuito, & ſine ipſius culpa, quæ certo etiam apud Dominum perijſſet ; quia in tali caſu non tenetur ratione rei acceptæ, cum nihil ex ea poſſideat, neque ratione iniuſtæ damnificationis, cum cauſa damni non extiterit ; quando ſine vlla ipſius culpa, ſed hoſtium incurſione vel Ciuitatis deflagratione, &c. res periit. nihilominus (licet ipſe eam à Domino non abſtuliſſet) peritura ; ſic communiter Doctores *ex l. vlt. §. ſi ea conditione ff. de lege Rhodia, de iactu.* contra Paludanum *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. concl. 5.* & quoſdam Iuriſtas apud Couarr. *regul. peccatum, part. 2. §. 6.* quamuis hi poſteriores Doctores
7 loquantur de foro externo, in quo talis reſtitutio quandoque imperari conſueuit in pœnam delicti. Vide Paludanum, & Couarr. *in locis ſupra citatis*, Syluest. *verb. reſtitutio 7. qu. 5.* Io. Medin. *Cod. de reſtitut. qu. 6.* Molin. *tom. 3. diſp. 725. concl. 7.* Petr. Nauarr. *de reſtitut. cap. 1. num. 17. & ſeqq* & Barthol. Medin. *lib. 1. ſumm. cap. 14. §. 30. reg. 5.*

8 An, ſi res aliena perijt dolo malæ fidei poſſeſſoris quia ſcilicet ſcienter eam deſtruxit, vel alteri donauit, tenetur reſtituere Domino pretium rei, non obſtante, quod ea, ſi Domino ſublata non fuiſſet certò etiam apud Dominum perijſſet: v. g. ſi heri mihi veſtem ſubſtuliſti, quam hodie ſine dubio ignis in domo mea abſumpſiſſet, teneris veſtem ſublatam mihi reſtituere ; quàm ſi non reſtituis, ſed abſumis, vel alteri donas, teneris mihi pretium compenſare, ſic ex communi Molin. *a* [illegible] 26. Vnde apparet diſcriminis ratio inter hunc, & priorem caſum: nam ſi malæ fidei poſſeſſor caſu fortuitò ſine culpa ſua rem amittat, quæ ſimiliter apud Dominum perijſſet, non eſt cauſa interitus rei: quapropter reſtituere non tenetur ex capite iniuſtæ damnificationis: ſiquidem tantùm intulit iniuriam auferendo ablatio verò non erat cauſa damni ; cum etiam ſine ablatione res perijſſet ; ſin verò malæ fidei poſſeſſor rem doloſi abſumat, vel alteri donet, eſt cauſa interitus rei: quapropter reſtituendi debitum contrahit ratione iniuſtæ læſionis, licet poſtea res abſque eo peritura fuiſſe intelligatur.

Limitant doctrinam hanc Vaſq. *in opuſc. tract. de reſtit. cap. 2. §. 3. dub. 3. num. 9. & cap. 5. dub. 5. num. 11. §. hæc omnia*, & alij, quos citat Petr. Nauarr. *loco ſupra cit. num. 26.*
9 vt malæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem non teneatur ſi eo loco, & tempore rem abſumat, quo alioquin etiam apud Dominum perijſſet: ex eo quod in tali caſu damnum pretio æſti-
10 mabile Domino non inferat: Vt, ſi v. g quis furetur, ſtatimque abſumat ouem, quam poſtea certò lupus, ignis, flumen, vel hoſtium
11 incurſus abſorbiſſet: Item, ſi impendenti domus incendio, ſumat, ſtatimque exhauriat vini dolium, quod poſtea ſine dubio incendium conſumpſiſſet: quia in tali caſu res, quæ abſumuntur, Domino nihil valent: quapropter Dominus non poteſt eſſe rationabiliter inuitus.

At limitatio iſta mihi non probatur, ſed potius diſtinguendum arbitror, vtrum ſcilicet publicè ſciatur, an ignoretur, rem incendio, flumine, vel hoſtium incurſione perituram eſſe: Nam, ſi ignoretur, nego, rem tunc Domino nihili valere, & irrationabiliter Dominum inuitum eſſe. Sicut enim, ſi eo tempore vini dolium vendidiſſet, pretium ipſi ab emptore reſtitui deberet, ita non minus reſtitui debet à fure, qui ipſo inuito iniuſtè conſumpſit ; cum non minus fur, quam emptor, compenſandi obligationem ex iuſtitia contrahat, cui obligationi per accidens coniunctum eſt, quod res eodem loco, & tempore, quo fur eam abſumpſit, peritura fuiſſet: id enim caſui, & fortunæ Domini adſcribi, & non furis commodo cedere debet, vt rectè dixit Sot. *de iuſt. lib. 4. quæſt. 7. art. 2.* At verò ſi publicè ſciatur, rem incendij, naufragij, vel hoſtium incurſionis periculo ſubiectam eſſe, concedo, æſtimationem rei diminui vt proinde fur, ſi tali rerum ſtatu rem abſumit, minus reſtituere teneatur ; quin fieri poſſit, vt ad nihilum abſumptor obligetur, ſi ſcilicet res nullo modo ab interitu eximi poſſe videatur ; quia in tali caſu Dominus irrationabiliter inuitus eſſet ; ſin verò eximi poſſit, tunc reuera Domino valet, vt qui eam abſumit, cum eximere queat, iniuſtum damnum inferre, atque adeo ad reſtitutionem obligatus eſſe, cenſeatur.

Hinc, ſi miles cum alijs militibus ſocijs in 12
prouincia non hoſtili domum aliquam deprædando, caſu, & talis conſilij ignarus, atque adeo illis prædandi nullam cauſam præbens, veſtem ſumat, quam alioquin alij ſine dubio abſtuliſſent, dicendum eſt, quod ſi talis miles veſtem ſumpſit animo reſtituendi Domino, non peccauit, quin imo vtiliter negotium Domini geſſit, ita vt præmium ei de hac re debeatur ; ſi verò ſumpſit animo non reſtituendi, peccauit quidem ; quia, ſicut alij ſumendo, iniuriam, & damnum iniuſtum intuliſſent, ità & ipſe. quando præuenit, & egit, quod alij perperam egiſſent ; Quamuis fieri poſſit, vt ob materiæ leuitatem venialiter tantùm peccauerit ; quia, licet veſtis illa abſolutè valuerit, v. g. ſex argenteis (quæ eſt quantitas ad culpam mortalem ſufficiens) quia tamen pre- 13
tia rerum ſumuntur ex morali æſtimatione ſecundùm præſentes circumſtantias (quapropter ob varios caſus creſcere, & decreſcere ſolent) & ex alio capite, cum hoſtium incurſus timetur, præſertim ſi iam hoſtes irruant, rerum prætia valde decreſcunt (adeo vt veſtem illam in eo periculo conſtitutam nemo forſan æſtimaſſet vno argenteo) fieri poteſt, quod miles ille (ſi quemadmodum ſuprà dicebam, aliis militibus ſocijs prædandi cauſam non dederat, non magnum damnum intuliſſe cenſeatur, neque multum furatus, ſed tantum rem valentem vno argenteo ; Et ſic, ſi ſumpſit animo reſtituendi Domino, ideòque bona fide, ſed poſtea non poteſt reſtituere Domino,

retinere possit, neque pauperibus restituere
teneatur; quia ex probabili sententiâ Docto-
14 rum restitutio pauperibus fieri tantum debet,
quando res aliena ex delicto acquisita est; Si
verò assumpsit animo retinendi, ideoque ma-
15 la fide, debet pauperibus restituere, nisi etiam
ipse pauper sit in necessitate constitutus; quia
tunc poterit etiam sibimetipsi, tanquam pau-
peri, eam applicare; præsertim, quia proba-
bile etiam est, quin & probabilius, restituen-
16 di obligationem non nasci, nisi ex actione in-
iusta, quæ attingat peccatum mortale.
17 Item dicendum est, quod si quis simul cum
mercatore vectus, frumentum ab eo furatus
sit, & statim absumpserit, postero autem die
improuisa tempestas nauem demerserit vna
cum mercibus, saluis tantùm hominibus (li-
cet iuxta sententiam Vasq. & aliorum apud
Petr. Nauarrum *loco suprà cit.* iste talis in con-
scientia ad restitutionem non teneatur: quia
quamuis alienum frumentum absumendo, in-
iuriam intulerit, nullum tamen in effectu
damnum intulit; cum nulla ratione caueri po-
tuerit, quominùs frumentum periret) nihilo-
minus contrarium sit probabilius; quia ex
18 dictis semel contracta obligatio restituendi
mercatori frumentum, iniustè ei absumptum,
sequenti fortuito euentu non extinguitur.
19 Et quod dixi de dolosa absumptione, dicas
etiam si, licet non directo perdendi proposito,
per crassam tamen, & mortalem seruandi ne-
gligentiam, res ablata apud furem pereat: Vt
si quis v. g. vestem furatus sit, & statim ami-
serit, non sine graui culpa: nam in tali casu
20 etiam ad restitutionem fur tenetur, nihil ob-
stante, quod vestis similiter, etsi Domino non
ablata, vel etiam suo tempore restituta fuisset,
apud ipsum Dominum perijsset, Couarr. *cit.*
§. 6. Med. *cit. quæst.* 6. Mol. *disp.* 725. *concl.*
7. & Petr. Nauarr. *cit. cap.* 1. *num.* 23. & pro-
batur, quia homo rem alienam furando, ex
iustitia contrahit obligationem inuoluntariam
ratione delicti, non minùs, quàm deposita-
rius v. g. voluntariam ratione contractus; er-
go sicut depositarius non tantum dolum, sed
21 etiam culpam Theologicam (præsertim latam,
seu mortalem) præstare debet, ita etiam &
fur præstare debebit.
Quid tamen in dictis casibus dicendum sit
de bonæ fidei possessore, v. g. de eo, qui rem
alienam inuenit, & postea iterum, dolo, vel
culpa lata, amisit.
22 Respondetur si talis, v. g. inuentor, Do-
minum rei inuentæ determinatè sciens, in
culpabili mora restituendi existit, iam malæ
fidei possessor euadit, & sic restituere tenetur,
si eam dolo, vel lata culpa (quæ in delictis
dolo æquiparatur) amittit; sin vero Dominum
23 ignorat, sed adhuc inquirere debet: distin-
guo, vtrum rem positiuè destruat, absumat,
aut ab alio auferri patiatur, & negligat; quia
in priori casu iniustum infert damnum, quod
postea Domino comparenti resarcire tenetur;
in posteriori autem casu peccat tantùm contra
charitatem, non contra iustitiam: quapropter
24 ad restitutionem non tenetur; quia nemo
censetur causa damni ex eo, quod facilè pos-
sit illud impedire, & non impediat, sed negli-
gat, nisi ex iustitia impedire, seu rem conser-
uare teneatur; At inuentor in hoc casu non te-
netur ex iustitia rem custodire: quia omnis ex
iustitia obligatio, vel est voluntaria ex pacto,
vel voluntaria ex delicto: Inuentor autem ne-
que cum rei Domino pactus est, neque con-
tra eum deliquit, ergo non tenetur ex iustitia
rem custodire, sed solùm ex charitate.
Excipe, si Dominus rem suam per se, vel 25
per alium recepturus, & seruaturus fuisset;
quia tunc, si tu præuenias, & rem accipias,
tacitè te obligare videris ad tantam rei custo-
diam præstandam, quantam Dominus, vel
alter ille præstitisset: alioquin enim damnum
iniustum inferretur Domino, quippè qui ra-
tionabiliter inuitus est, vt res sua, nisi sub
tali obligatione, auferatur.
Dixi tertiò, *restitui debere rei augmentum,
& fructus omnes perceptos*, &c. Sicuti docet Syl-
uest. *verb. restitutio* 3. *quæst.* 7. & 9. Nauarr.
cap. 17. *num.* 26. Mol. *disp.* 725. Med. *de re-
stitut. quæst.* 6. & Sanch. *cit. cap.* 23. *num.* 117.
& seqq. quia augmentum, seu melioratio rei
intrinseca Domino eius cedit: consequenter
etiam fructus ex re, eiusque intrinsecis me-
liorationibus percepti eidem restitui debent,
quia res quælibet Domino suo fructificat.
Quod si hos fructus malæ fidei possessor absum- 26
psit, vel dolo, vel culpa lata perire permisit,
eorum æstimationem Domino præstare debet:
quia rem alienam perdendo damnum iniustè
intulit, § *si quis à non Domino*, & §. *ei verò
Institut. de rer. diuis.*
Neque obstat, quod, si Dominus in sua po- 27
testate rem habuisset, non tantos fructus inde
percepisset.
Respondetur enim, eius fortunæ cedere de-
bere, quod res eius plus in manu furis fructifi-
carit, quàm si ipsemet eam possedisset, sicuti
rectè docet Mol. *cit. disp.* 725. *num.* 4. contra
Couarr. *regul. peccatum part.* 2. §. 6. *num. vlt.
verb. quartò.* Idemque dicas de creditore, quod 28
iste etiam fructus omnes ex fundo sibi oppi-
gnorato perceptos, deductis expensis, & æsti-
matione laboris, restituere teneatur, nihil ob-
stante, quod Dominus eum non tanta diligen-
tia coluisset, sicuti docet Less. *de iust. & iur.
lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 17. *num.* 115. contra Sotum
lib. 6. *quæst.* 1. *art.* 2. *in fine.*
Aduerte tamen hic, quod suprà dixi, *fructus
omnes ex re aliena, eiusque meliorationibus per-
ceptos, Domino restitui debere*, intelligendum
esse, deductis expensis, & æstimatione labo-
ris; quia, sicuti dicebam, fructus non intelli- 29
guntur, nisi deductis expensis, *l. fructus ff. so-
luto matrim. & l. fundus ff. familiæ herciscundæ,
ibi: nullus casus interuenire potest, qui hoc genus
deductionis*, (expensarum ex fructibus) *impe-
diat*: & docet Gabr. *cit. dist.* 15. *quæst.* 2. *art.*
3. *concl.* 2. Couarr. 1. *resol. cap.* 3. *num.* 3.
Nauarr. *cap. num.* 25. Mol. *disp.* 725. Sanch.
num. 136. & Rebell. *lib.* 2. *de restit. quæst.* 8.
Idque in foro conscientiæ locum habet, non 30
tantum in expensis necessarijs; quas si malæ fi-
dei possessor amisisset, negligentiæ, & culpæ
eius imputaretur, sed etiam inutilibus, qui-
bus res melior, & pretiosior effecta fuit; ex-
pensæ tamen, quæ ad solam voluptatem spe-

ctant, repeti non poſſunt; quamuis, ſi ſine damno ſeparari poſſint, permiſſum etiam eſt, eas auferre, Doctores, quos citat, & ſequitur Mol. *cit. diſp.* 725. *in fin.* Sanch. *num.* 139. & Mynſinger. §. *certè Inſtitut. de rerum Diuiſ.*

Aduerte ſecundò data operâ me dixiſſe, augmentum, ſeu meliorationem rei intrinſecam, (qua v. g. fit ſtercoratione, vel plantatione, poſtquam plantæ radices emiſerunt)
31 rei Domino cedere, quia quæ melioramenta, vel ornamenta rei extrinſecùs adiuncta ſunt, & ſine rei incommodo ſeparari poſſunt (vt ianuæ, feneſtræ, lapides pretioſi, &c.) eorum dominium, & correſpondens locationis pretium, ad poſſeſſorem, etiam malæ fidei, ſpectant: Doctores, quos ſequitur Sanch. *loc. ſupra cit. num.* 105. & 123.

Aduerte 3. referre etiam alia ratione, vtrum res apud malæ fidei poſſeſſorem melior effecta ſit augmento intrinſeco (vt ſi equus furto ablatus creuerit) an verò extrinſeca tantum æſtimatione, vel valore (vt ſi equi, vel frumenti furto ablati pretium in communi foro auctum ſit) quia in priori caſu reſtitutio ſemper fieri debet rei, ſpectatæ ſecundùm optimum ſtatum, quem in manu ma-
32 læ fidei poſſeſſoris habuit; quapropter ſi fur equum iam adultum amiſerit, vel alienarit, vel deteriorem reddiderit, ſemper reſtitutionem facere debet, ſecundùm æſtimationem rei in optimo ſtatu; quamuis fortè apud Dominum manens tale incrementum non habuiſſet, *l. in re furtiua ff. de condict. furtiua, ibi. ſi ex cauſa furtiua res conducatur, cuius temporis æſtimatio fiat, quæritur? placet tamen id tempus ſpectandum; quo res vnquam plurimi fuit, maximè cum deteriorem factam fur dando non liberatur: ſemper enim moram fur facere videtur*; & docet Angel. *verb. furtum* §. 44. Syluest. *verb. reſtitutio.* 3. *quæſt.* 7. *dict.* 1. Maior. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 26. Gabr. *ibid. quæſt.* 2. *art.* 3. *concl.* 3. Nauar. *cap.* 17 *num.* 26. Couarr. *reg. peccatum, part.* 2. §. 6. Sanch. *num.* 123. & Rebell. *quæſt.* 5. & probatur; quia, ſicuti dicebam, augmentum intrinſecum ad Dominum rei ſpectat, eique ſtatim ſimul cum re ipſa reſtitui debet; quare; ſi fur non reſtituat, ſed abſumat, vel per tempus deteriorem reddat, infert Domino iniuſtum damnum, quod eidem compenſare tenetur: *ſemper enim fur moram facere videtur, cit. l. in re furtiua.*

33 Limita tamen cum Medina *de reſtit. quæſt.* 6. *ad* 6. Vaſq. *in opuſc. de reſtitut. cap.* 5. §. 1. *dub.* 12. Couar. *cit. num.* 2. & Petr. Nauar. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 34. niſi res itâ comparata ſit, vt licet malæ fidei poſſeſſor rem in optimo ſtatu reſtituiſſet, Dominus tamen eam non alienaſſet, ſed ſeruaſſet, & ſimiliter deteriorem effeciſſet; quia tunc ſatisfacit malæ fidei poſſeſſor, reſtituendo rem in ſtatu deteriori, ad quem, ſine culpa tamen ſua, peruenit; quia in hoc caſu ipſe per moram reſtituendi damnum Domino non intulit, ſicuti patet ex ſupra dictis.

34 In altero autem caſu, ſi ſcilicet res extrinſeca tantùm æſtimatione, vel valore aucta, eoque tempore à fure conſumpta, vel alienata ſi, v. g. menſura frumenti furto ablati, cuius poſtea pretium frumenti iterum decreuerit, ſatisfacit malæ fidei poſſeſſor, ſi tunc eamdem menſuram frumenti eiuſdem bonitatis reſtituat, vel pretium eius, ſecundùm taxam temporis, in quo reſtituit, Mol. *cit. diſp.* 725. *concl.* 3. & 4. & Petr. Nauar. *num.* 37. quia ille valor ex- 35
trinſecus non cenſetur fructus, ſeu augmentum rei, ſed potiùs induſtriæ; quapropter non rei Domino, ſed poſſeſſori, etiam malæ fidei, cedere debet; Hinc de rebus, præſertim ijs, quæ in genere ſuo functionem recipiunt, 36
regula traditur; quod à debitore tam bonæ, quam malæ fidei; per ſe loquendo, reſtitui debeat, vel res ipſa numero, quæ accepta eſt, non deterior reddita, vel alia eiuſdem bonitatis, vel denique eiuſdem pretium, ſeu æſtimatio præſens; & ratio deſumitur ex iuſtitia ipſa commutatiua, quæ exigit æqualitatem inter rem, & rem, acceptam ſcilicet, & reſtituendam.

Neque obſtat, quod fur frumenti menſuram 37
tempore intermedio cariùs vendendo lucratus fuerit; quia id ad induſtriam ipſius pertinet: poſtea verò ſatisfacit reſtituendo eamdem menſuram frumenti eiuſdem generis, & qualitatis, vel loco eius pretium, quo tunc frumentum vendi conſueuit: Idemque, ſi non itâ certò, ſaltem probabiliter, dici poteſt de rebus vſu non conſumptilibus, quod ſcilicet ſatisfiat etiam creditori ſi equus v. g. ipſi reſtituatur omninò talis, qualis ablatus fuit, & ſi, vel tunc, cum auferebatur, vel tempore intermedio pluris valuerit.

Quamuis in his caſibus pretium equi, ſi 38
locatus fuerit, Domino reſtitui debeat, quin etiam damnum emergens, & lucrum ceſſans eidem compenſari: damnum emergens, ſi propterea, quod equus, vel frumentum ablatum, vel tempore debito reſtitutum non fuit, Dominus coactus eſt equum, vel frumentum maiori pretio emere: lucrum ceſſans, ſi Dominus equum: vel frumentum non ſeruaſſet, donec pretium eius decreſceret, ſed maiori pretio vendidiſſet, Med. *Cod. de reſtit. cit. quæſt.* 6. *ad* 1. Syluest. *verb. furtum, quæſt.* 16. Vaſq. *cit.* §. 1. *num.* 79. & Petr. Nauarr. *num.* 37.

Atque hoc ipſum eſt, quod vltimo loco dicebam, fructus non tantùm eos, quos malæ fidei poſſeſſor ex re aliena percepit, reſtitui debere, ſed etiam eos, quos Dominus veriſimiliter percepiſſet, niſi res ipſi ablata, vel iniuſtè detenta fuiſſet: quia in caſu iniuſtæ damnificationis Dominus indemnis ſeruari debet, *Regul.* 79. *ff. ibi: generaliter, cum de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per aduerſarium habere non potuit, conſiderandum eſt: & l. domum Cod. de rei vindic. ibi: domum quam ex matris ſucceſſione ad te pertinere, & ab aduerſaria parte iniuria occupatam eſſe, contendis, Præſes Prouinciæ cum penſionibus, quas percepit, aut percipere poterat, & omni cauſa damni, reſtitui iubebit: & l. fructus, ff. eod. ibi: fructus non modò percepti, ſed qui honeſtè percipi potuerunt, æſtimandi ſunt:* fauet Textus *in l. ſi nauis.* §. *vlt. ff. eod. ibi: conſtat animaduerti non debere, an malæ fidei poſſeſſor fruitus ſit, ſed an petitor frui potuerit, ſi ei poßidere licuiſſet:* Item,

que fauet Textus *in cap. grauis, de restitut. spoliat. ibi: non tantum fructus à nouo, & violento possessore perceptos, sed quos possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem*, Vide Couarr. *cit. §. 6. num.* 4. & Sanch. *num.* 97. *& seqq.*



SECTIO VII.

Ad quidnam teneatur venditor rei alienæ?

SVMMARIVM.

1. *Venditor rei alienæ tenetur emptori ex natura contractus de euictione dummodo tempore contractus emptor ignorauerit rem alienam fuisse, & lite postea ipsi mota denunciarit venditori, vt se defendat.*
2. *Amplia id locum habere in alijs contractibus onerosis.*
3. *Item si debitor creditori in solutum dederat aliquid quod postea euincatur.*
4. *Contractus validus est si res aliena emptori ignoranti vendita fuerit.*
5. *Nummus, qui redactus est ex re furtiua non est furtiuus.*
6. *Fur si pretio ex vendita re furtiua accepto emat v. g. equum tam venditor equi comparabit dominium pecuniæ, quam fur dominium equi.*
7. *Bona immobilia empta pecunia vsuraria emptori vsurario acquiruntur.*
8. *Emptor rei alienæ dominium non acquirit, & tamen pretium dominium in venditorem transfert.*
9. *Emptor licet emat aliena pecunia, mercis dominium sibi acquirit.*
10. *Venditor rei alienæ non acquirit sibi pecuniam redactam ex venditione, sed emptor de illius euictione tenebitur.*
11. *Venditor ree alienæ; alienæ pecuniæ dominium acquirit, si eam cum propria ita miscuerit vt discerni non possit.*
12. *Fur si aliena pecunia negotietur, totum lucrum acquirit sibi, manet tamen personaliter obligatus & tenetur de lucro cessanti & damno emergenti.*
13. *Lusor falsis aleis si pecuniam lucratus alteri quamuis scienti non tamen ad fraudem, cooporanti, donet, donatarius ad restitutionem non tenetur si cum propria miscuerit.*

1 Respondetur, quod ex ipsius contractus natura teneatur emptori de mercis euictione, *l. 1. l. venditor, ff. de euict. & l. non dubitatur Cod. eod.* v. g. si quis rem emptam ab emptore, actione reali intentata, euincat, & auferat, quia scilicet demonstrat, illam esse suam, vel sibi obligatam: tunc venditor tenetur emptori restituere pretium, & quanti eius interest, rem euictam non esse, dummodò tempore contractus emptor ignorarit, rem alienam esse, & lite postea ipsi mota, denunciarit venditori, vt se defendat, *l. si controuersia, l. si cum quæstio, l. si fundum, Cod. eod. & cap. vlt. de emptione, & venditione.* Quod etiam locum habet in alijs contractibus 2
onerosis, vt in permutatione, *l. si permutationis, Cod. de euiction. & l. 1. Cod. de rer. permutat.* Item in hæreditatis diuisione, *l. si familiæ, Cod. familiæ herciscundæ*; Item si quid in dotem promissum, ac datum sit, *l. 1. Cod. de iure dot.* Item, si debitor creditori in solutum, 3
idest, pro debiti solutione deferat aliquid, quod postea euincatur, *l. 1. libera, Cod. de sent. & interlocut. & l. si prædium Cod. de euictione*, debet tamen emptor denunciare venditori, litem latam esse, vt veniat, eamque prosequatur, *l. emptor Cod. de euict.* & videri potest Gomez. *2. resol. c. 2. nu. 33. & seqq.* & Mol. *disp.* 380.

Contractus autem nihilominus validus est, 4
si res aliena emptori ignoranti vendita fuerit, *l. rem alienam, ff. de contrah. empt.* Et quamuis tunc rei venditæ dominium non transferatur in emptorem, *l. traditio, ff. de acquirendo rer. domin.* pretium tamen acquiritur venditori, *l. ex empto, ff. de action. empti, & l. si in emptione. §. item si, ff. de contrah. empt.* licet venditor sit malæ fidei, & fur, *l. qui vas. §. vlt. ff. de furtis, ibi: nummus, qui redactus est* 5
ex re furtiua, non est furtiuus; Consequenter, si 6
fur pretio illo, ex vendita re furtiua, accepto emat postea, v. g. equum, tam venditor equi comparabit dominium pecuniæ, quam fur dominium equi, Mol. *disp.* 327. & colligitur ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. *ad* 3. quatenus ait, quod bona immobilia, empta pe- 7
cunia vsuraria, emptori vsurario acquirantur: cum verò subdit, obligata nihilominùs esse, sicut & alia bona vsurarij pro restitutione vsurarum, id non debet intelligi propriè, quasi hypothecaria, vel simili reali obligatione deuincta sint, cum id nullo iure ostendi possit, sicuti contra Glos. *in cap. tua de vsuris*, & alios antiquiores canonistas ex communiori sententia probat, Abb. *nu.* 3. & Mol. *tom.* 2. *disp.* 229. Sed debet intelligi quoad effectum, quod scilicet bona vsurarij vendi debeant, vt ex eorum pretio restitutio fiat, sicut ipse S. Thom. explicat.

Obijcies, non seruari æqualitatem, si em- 8
ptor rei alienæ dominium non acquirat, & tamen pretij dominium in venditorem transferat, ergo.

Respondetur: nego antecedens: quia pro eo, quod rei alienæ venditor pretij dominium acquirit, ipse vicissim emptori de euictione tenetur, vti supra dicebam, & habetur, *in cit. l. ex empto, ibi: si Dominus fuit venditor, fecit, & emptorem Dominum: si non fuit, euictionis nomine venditor obligatur.*

Simili ratione, qui aliena pecunia aliquid 9
emit, mercis dominium acquirit, *l. 1. & penult. Cod. si quis alteri, vel sibi, &c. & l. si ex ea pecunia Cod. rei vindicat.* tradita tamen pe- 10
cunia venditori non acquiritur, sed emptor

11 de illius euictione tenebitur. Excipe, quod venditor alienæ pecuniæ dominium acquirat, ſi eam cum propria ità miſcuerit, vt diſcerni non poſſit, *l. ſi alieni, ff. de ſolut.* & docet Syluest. *verb. emptio, quæſt.* 22. Med. *de reſtit. quæſt.* 10. & Petr. Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 6.

12 Hinc ſequitur, quod, ſi fur, vel ſimilis iniuſtus poſſeſſor aliena pecunià negotietur, ac lucretur, totum lucrum ad ipſum pertineat, cum lucrum non ſit fructus pecuniæ, vtpotè ſterilis, & infructiferæ, ſed ſolius induſtriæ, ſicuti dicebam *Sect.* 3. quamuis ipſe fur perſonaliter obligatus maneat, tam ei, à quo abſtulit, ad damnum omne emergens, ac lucrum ceſſans reſarciendum, quam venditoribus, aut emptoribus, ſi pecunia ab ipſis euincatur, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Adrian. *de reſtit. vbi de vſura* 3. *dub.* Riccard. *in* 4. *diſt.* 15. *art.* 5. *quæſt.* 6. Mol. *tom.* 2. *diſp.* 327. *concl.* 2. & Couarr. 3. *reſol. cap.* 3. *num.* 6.

13 Sequitur ſecundò, quod ſi quis ludendo falſis aleis pecuniam lucratus ſit, eiuſque partem aliquam alteri, quamuis ſcienti, tamen ad fraudem committendam non cooperanti donauerit, iſte talis ad reſtitutionem non teneatur, ſi luſor ille pecuniam ludo iniquo acceptam cum propria miſcuit, ſicuti dicebam *ſect.* 1. *in fin.* cum Medina *loco ſupra cit.* & alijs.



SECTIO VIII.

An qui bona fide rem, quam ab alio emerat, vendidit, teneatur, Domino comparente, contractum venditionis reſcindere, reddito pretio emptori, cui vendidit, an ſufficiat cedere ei ſuam actionem.

SVMMARIVM.

1. *Res vbi conſtiterit eſſe alienam debet poſſeſſor eſſe paratus ad reſciſdendum contractum, & pretium reſtituendum.*
2. *Venditor tenetur emptori de euictione.*
3. *Venditor non poteſt transferre dominium in emptorem ſi res ſit aliena.*
4. *Venditor rei vitioſæ tanquam bonæ tenetur conſtito de vitio contractum reſcindere, & pretium reſtituere.*
5. *Emens cum falſa moneta, vitio detecto tenetur dare bonam, vel contractum reſcindere.*
6. *Vitium extrinſecum tunc non obeſt venditori quando non reddit contractum inuoluntarium prout eſt in falſa moneta, quam quiſque cenſetur inuitus, & ignorans accipere.*
7. *Reſtitutio rei facta ſuo Domino non obligat furem ad compenſandum damnum emptori, cui eam vendidit, niſi eamdem rem ipſi venditori exhibeat, ſecus ſi illa accelerata reſtitutio non ſit cauſa cur venditor nequeat pretium reſtituere.*
8. *Quid dicendum ſit, ſi Domino rei comparente, qui rem habet, non inueniatur.*
9. *Rem eſſe alienam ſi innoteſcat poſt venditionem non tenetur venditor monere Dominum, vel indicare eſſe alienam.*



Respondetur: ex dictis *eadem ſect.* 1. quod (licet nonnulli, vt Nauarr. *cap.* 17. *num.* 8. putent ſufficere, vt cedat ei ſuam actionem; v. g. emi rem à Petro, & vendo eam Paulo bona fide, deinde reſcitur eſſe Titij, eique reſtituitur, non teneor refundere pretium Paulo, cui vendidi, à quo Titius recuperat rem; ſed ſufficit, vt ei cedam actionem, quam habeo in Petrum, à quo emi) contrarium tamen dicendum ſit; ſcilicet, quod vbi conſtiterit, rem eſſe alienam, & Paulus voluerit contractum reſcindi, debere me eſſe paratum reſcindere, & pretium reddere; ſic colligitur ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 2. & docent Doctores, quos ſequitur Sot. *de iuſt. lib.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 2. 1

Probatur, quia venditor tenetur emptori de euictione; nec poteſt illum obligare ad alium, cum quo non contraxit, ſed ipſemet tenetur ei ſatisfacere, ſicuti conſtat *ex l.* 1. *ff. de euict. & Cod. eodem tit.* 2

Secundo, quia venditor, non potuit transferre dominium rei in emptorem, cum fuerit aliena, ergo contractus fuit inualidus, ac proinde tenetur venditor emptori pretium reddere, ſi ipſe velit. 3

Accedit, quod rem eſſe alienam, eſt ſaltem quoddam vitium rei, at qui vendidit alteri rem vitioſam, tanquam bonam, tenetur, ſtatim, ac conſtiterit de vitio, ſe paratum exhibere ad tollendum vitium, vel ad reſcindendum contractum: ſicut, qui daret monetam falſam, tenetur poſtea dare bonam, vel contractum reſcindere, ergo, &c. 4 5

Dices cum Nauarro, in caſu noſtro eſſe vitium tantum extrinſecum, non ſic in moneta falſa, & ſimilibus, quæ habet vitium intrinſecum.

Sed contra; quia materialitèr, & impertinenter ſe habet, ſit ne vitium extrinſecum, an intrinſecum: quando reuera tale eſt, vt emptor meritò ſit inuitus, faciatque eius ignoratio contractum inuoluntarium: quia tunc contractus, vt potè inuoluntarius, vel nullus, vel annullandus eſt, ſi velit emptor, reddito pretio, ſicut communiter dicitur in materia de contractibus. 6

Petes an, ſi Paulus eam mox reſtituat, antequam mihi exhibeat, tenear ego reſtituere pretium. 7

Reſpondetur: negatiuè, ſi ex tali reſtitutione contraxi damnum, non valens à Petro recuperare pretium, quod potuiſſem recuperare, ſi rem illam mihi à Paulo redditam ei reſtituiſſem: quia ſi Paulus volebat à me pretium recuperare, debebat mihi rem illam reſtituere, vt ego me ſeruarem indemnem, iuxta ea, quæ dicebam *ſect.* 4.

Quod, ſi illa accelerata reſtitutio non ſit cauſa, cur ego nequeam pretium à me datum


Petro recuperare, tenebor pretium, quod à Paulo accepi, eidem restituere, Quia vendendo ipsi rem alienam, ei causam damni dedi: & ipse sua rei restitutione mihi vicissim damnum non dedit, sicuti fecit, quando poteram me indemnem seruare.

8 Petes secundò, Quid, si Domino comparente, Paulus, qui rem habet, non inueniatur.

Respondetur: tunc ad nihil teneor, nisi ex venditione factus sim ditior: quia non teneor ratione rei acceptæ, cum illam non habeam, & ex ea non sim factus ditior: neque teneor ratione iniustæ actionis, seu iniusti damni, cum bona fide vendiderim: Paulo etiam non teneor, quia nullum damnum ex emptione rei, quam à me habet, contraxit, cum bona fide illam retineat.

9 Petes tertiò, quid si mihi innotescat post venditionem fuisse alienam, tenear monere Dominum, vel indicare Paulo esse alienam.

Respondetur negatiuè, si inde mihi damnum impendat: vt si non possim recuperare pretium, quod bona fide dedi: quia, cum rem alienam non habeam, nec alicui sim causa damni iniusta, non teneor cum magno meo damno curare, quod Dominus rem suam recuperet: quamuis si possim absque meo damno, tenear ex charitate.



SECTIO IX.

An si fur aureis furtiuis emerit equum à Titio bona fide vendente, statimque aufugiat, & postea compareat Dominus, & aureos repetat à Titio, Titius aureos Domino restituere teneatur.

SVMMARIVM.

1. *Empta cum aureis furtiuis, licet aureorum dominium in vendentem bona fide sit translatum, cuinam acquirantur, & an venditor prædictus teneatur pecuniam restituere.*
2. *Dominium nummorum alienorum acquiritur ex permixtione cum proprijs eiusdem generis præsertim si bona fide commixti sint.*
3. *Nummi ex propria institutione transeunt de manu vnius possessoris ad manum alterius.*

1 Respondetur, affirmatiuè, si aurei furtiui in specie extent: sin autem consumpti, vel proprijs nummis Titij commixti sint, ita vt non possint discerni, vel separari ad nihil tenetur Titius: non enim tenetur ratione iniustæ acceptionis, vel absumptionis, cum egerit bona fide (sicuti suppono) neque ratione rei acceptæ, vel possessæ, cum alienos aureos non possideat, postquam eos, vel consumpsit, vel cum proprijs miscendo, eorum dominium acquisiuit, neque etiam inde locupletior factus sit, quia pretio iusto equum vendidit, ergo.

Atque ità docet Vasquez *de restit. cap. 9. §. 2. dub. vlt.* Petr. Nauar. *lib. 3. cap. 4. num. 216. & lib. 4. cap. 1. num. 7.* Medina *quæst. 10. de restitut.* Sanch. *lib. 2. Moral. cap. 23. num. 15.* & Sayr. *lib. 10. Clauis Reg. tract. 2. cap. 3. num. 13.*

Contrarium docent alij, inter quos Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 18. num. 157. argum. l. Marcellus, §. Pomponius ff. de rei vindic. & §. si duorum Instit. de rerum diuis.* vbi habetur, quod, si duorum dominorum materiæ confusæ fuerint, ità vt discerni, vel separari non possint, vtrique vindicatio pro parte sua competat.

Respondetur: cum Glos. *in l. si alieni ff. de solut.* esse peculiariter statutum de nummis alienis, vt eorum dominium acquiratur commixtione cum proprijs eiusdem generis, præsertim si bona fide commixti sint; & ratio est, quia nummi ex propria institutione transeunt de manu vnius possessoris ad manum alterius; quare nemo ferè securus foret, vtrum suarum pecuniarum dominium habeat, & non aliquæ furtiuæ, adeoque alienæ sint, nisi iura statuissent, vt earum dominium per commixtionem cum alijs acquireretur, atque adeo tunc actio personalis solùm contra furem competeret. Quod & confirmatur *ex l. singularia ff. de rebus creditis*, vbi dicitur, singularia quædam circa pecuniam recepta esse. *Vide suprà sect. 1.* 2 3



SECTIO X.

An si quis equum, quem à fure emerat, bona fide vendiderit Titio, nunc verò compareat Caius demonstrans, equum esse suum, ad quidquam Caio teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Emptor rei alienæ, si eiusdem rei bona fide in alium, dominium transferat re euicta ad quid teneatur erga eum qui ab ipso habet iura.*
2. *Quid si rem furtiuam ex titulo lucratiuo donationis habuit, & postea alteri vendidit.*
3. *Pretium succedit loco rei in distractione hæreditatis seu iuris vniuersalis, secus autem res se habet in particularibus contractibus.*
4. *Venditor de natura contractus censetur obligatus de euictione emptori.*

1 RESpondetur, talem in hoc casu ad nihil teneri Caio, sed soli Titio ad pretium restituendum, si Caius ab eo equum euincat.

Prior pars probatur, quia per illam rei alienæ venditionem pretii sibi dati ius, ac dominium acquisiuit, neque exinde ditior factus est, cum equum iusto pretio vendiderit; atque ità docet Syluest. *verb. restitutio 3. quæst.* 7. Med. *cit. quæst.* 10. Sanch. *lib.* 2. *Moral. cap.* 23. *num.* 18 & Lopez. *part.* 1. *Instruct. cap.* 93. contra Azorium, Sayrum & nonnullos alios.

2 Cæterùm, si talis equum furtiuum ex titulo lucratiuo donationis habuit, & postea alteri vendidit tenetur restituere pretium Caio, equi Domino, si is equum iure vindicationis ab emptore recuperare non possit, sicuti rectè docet Nauar. *cap.* 17. *num.* 7. Couar. *reg. peccatum part.* 3. *num.* 3. Less. *cit. cap.* 14. *dub.* 1. *num.* 3.

Item docent nonnulli apud eumdem Nauarrum *cit. cap.* 17. *num.* 8. Sanchez *num.* 28. & Lessium *cap.* 20. *num.* 134. talem si rem alienam a fure bona fide emptam maiori deinde pretio iusto vendidit, teneri restituere Domino, quatenùs ditior factus est, *argum. l. si & rem ff. de petit. hæredit.*

At contrarium rectiùs docet Molina *tract.* 2. *tom.* 3. *poster. disp.* 721. ex eo quod illius maioris venditionis lucrum fortunæ, vel industriæ censeatur.

3 Ad legem autem cit. Respondetur, cum Glos. ibidem, id esse speciale in distractione hæreditatis, seu iuris vniuersalis, vt pretium succedat loco rei, secus autem res se habet in particularibus contractibus, vti docent Doctores *in l. mater Cod. de rei vindicat.*

4 Posterior pars constat, quia venditor emptori se obligat ad periculm euictionis præstandum. Vide Rebellium *part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 3. *& quæ dicebam sect.* 7.



SECTIO XI.

An si quis sciens, rem alienam, vel furtiuam emerit, fiat malæ fidei possessor ac veluti particeps furti?

SVMMARIVM.

1. *Emptor rei; quam alienam, seu furtiuam nouit, est malæ fidei possessor.*
2. *Non excusatur licet intelligat nunquam in potestatem Domini reuersuram si etiam cum hoc motiuo emerit; licet tamen redimere modico pretio pro ipso Domino.*
3. *Amplia id procedere etiam in rebus sacris, quas licet iusto pretio emere à raptoribus, vt eodem recuperato Ecclesijs restituantur.*
4. *Emptor rei furtiuæ, si postea scienter alteri vendat rei Domino iniuriam infert, eidemque pretium restituere tenetur, si ille ab emptore rem suam recuperare non possit.*
5. *Venditor si rem alienam non potest suo Domino restituere, & per venditionem non reddit eam recuperatu difficiliorem, non videtur Domino ad restitutionem teneri.*
6. *Emptores qui ab alijs empta in Anglia, & Hollandia bona Ecclesiastica immobilia alijs postea re vendiderant excusari possunt à restitutione, secus si ex fructibus facti sunt ditiores.*
7. *Amplia quod & hi neque tenentur emptoribus, qui ab ipsis ea bona emerunt.*
8. *Venditor rei Ecclesiæ tenetur eidem restituere fructus quos futuro tempore percipere, & Ecclesiæ restituere debuisset nisi rem alienasset, si ea alienatione causam dedit, cur ea à nouo iniquo possessore recipere non possit.*
9. *Possessor rei bona fide possessa si dubitet an res sit aliena, & restitutioni obnoxia, iure vendere eam potest admonito tamen emptore de euictionis periculo.*
10. *Restitutio rei dubiæ si ea absumpta fuerit antequam constet de bono iure alterius, à neutro facienda est nisi in casu, quo quis ditior factus sit.*



RESpondetur, affirmatiuè: patet ex dictis *sect.* 1. *&* 5. & docet S. Th. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. Medina *quæst.* 10. *de restit.* & Couar. *reg. peccatum part.* 3. *num.* 2. 1

Neque excusat; etsi empturus intelligat, rem furtiuam in potestatem Domini sui nunquam reuenturam esse: nam etiam nunc emere non licet, animo sibi retinendi: licet tamen redimere modico pretio, vt vel ipsi Domino, vel si id fieri non possit, pro eius anima pauperibus distribuatur, detracto inde pretio, ob rem Domini vtiliter gestam, Maior. *cit. dist.* 15. *quæst.* 26. Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 31. *respons. vlt.* Rebell. *lib.* 9. *quæst.* 18. *sect.* 1. Syluest. *verb. Restitutio*, 3. *quæst.* 7. Couar. *reg. peccatum part.* 3. *in princip. num.* 5. & Vasq. *de restit. cap.* 9. §. 2. *dub. vlt. in fine.* Quin etiam licet res sacras iusto pretio emere à raptoribus, vt eodem pretio recuperato, Ecclesijs restituantur, Doctores *in locis suprà citatis.* 2 3

Adde, quod & qui rem alienam, seu furtiuam emit, & postea scienter alteri vendit, rei Domino iniuriam infert, eidemque pretium, vel potius, quod ipsius interest, restituere tenetur, si ille ab emptore rem suam recuperare non possit, Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dubit.* 17. *num.* 135. & alij communiter. Quod, si tamen venditor rem alienam non potest Domino suo restituere, & per venditionem non reddit eam recuperatu difficiliorem; non videtur Domino ad restitutionem teneri, nisi quatenus ex venditione ditior factus sit, quia non tenetur ratione rei acceptæ, cum nihil possideat, quod ad Dominum pertinet: neque ratione iniustæ acceptionis, cum ipse Domino eam non abstulerit, neque causa sit, cur ipsi restitui non possit. 4 5

6 Hinc primò subdit Lessius, quod multi in Anglia, & Hollandia, qui bona ecclesiastica immobilia ab alijs empta, alijs postea vendiderunt excusari possunt à restitutione: per hanc enim venditionem nihil damni Ecclesiæ, cui illa bona in hoc statu rerum restitui non possunt, intulerunt; si tamen ex fructibus, aut venditione facti sunt ditiores, eatenus tenentur quia fructus sunt Ecclesiæ hoc ipso, quod
7 è re Ecclesiæ nascuntur. Subdit secundò, quod & hi neque tenentur emptoribus, qui ab ipsis ea bona emerunt; quia, etsi contractus fuerit irritus, & consequenter non fuerit translatum dominium pretij, tamen, quia venditor illud, volente emptore, accepit, & retinet, atque emptor nollet dissoluere contractum, & restituere emptum, non tenetur illi venditor pretium restituere, sed potest retinere loco rei venditæ.

Hæc docet Lessius, & quidem probabiliter, dummodò fateatur primò, malè agere venditorem, cum rem Ecclesiæ vendit, ad quam
8 nullum ius habet. Secundò talem venditorem teneri Ecclesiæ restituere fructus, quos futuro tẽpore percipere,& Ecclesiæ restituere debuisset, nisi rem alienasset; si ea alienatione causam dedit, cur Ecclesia à nouo iniquo possessore recipere non possit.

9 Quod, si verò aliquis post sufficientem inquisitionem dubitet, an res à se bona fide possessa, aliena sit, & restitutioni obnoxia, iure vendere potest, admonito tamen emptore de euictionis periculo; & iste iure emere potest, paratus tamen restituere, si Dominus euicerit.
10 Sin autem res interea absumpta fuerit, neuter plus restituere tenetur, quam inde ditior factus est, Medina *cit. quæst.* 10. Couarr. *reg. peccatum part.* 3. *in princip. num.* 4. & Molin. *disp.* 721.

SECTIO XII.

Quid dicendum in casu, quo res duobus diuerso tempore in solidum vendita fuerit, & neutri tradita.

SVMMARIVM.

1. *Emptor, qui est prior in tempore si res duobus diuerso tempore vendita fuerit, & neutri tradita, præfertur posteriori; secus si alteri licet posteriori per traditionem, & pretij solutionem dominium quæsitum sit, in quo casu venditor priori emptori adinteresse tenebitur.*
2. *Amplia regulam prædictam locum habere in alijs contractibus puta in permutatione, & donatione, vide ibi exemplum tam in contractu donationis, quam in contractu locationis.*
3. *Excipe si res primo Ecclesiæ, vel Ciuitati sit vendita, & si non tradita, postea vero alteri alicui vendita, & tradita quia tunc præfertur Ecclesia vel Ciuitas.*
4. *Ecclesia, loca pia, & Ciuitates priuilegium habent, vt ipsis per legatum, donationem, venditionem mutuo consensu perfectum dominium sine rei traditione acquiratur.*
5. *Priuilegium prædictum an habeat locum in donatione vel venditione facta à Principe, sunt DD. pro vtraque parte, sed probabilius est oppositum, ob præsumptam tamen obreptionem, siue propter Principis obliuionem prior donatio præferenda dicitur.*
6. *Excipe secundo si primo emptori res vendita in contractus securitatem nomine hypothecæ subiecta, adeoque ius in re acquisitum fuerit, quia tunc præfertur posteriori emptori.*
7. *Excipe tertio si posterior emptor, cui res tradita fuerit, quique pretium soluerit, antecedentis venditionis conscius erat quia & tunc primus emptor ab ipso tanquam rem in fraudem suam alienatam, intra annum à die scientiæ numerandum, reuocare, & euincere potest.*
8. *Res si vni vendita, postea ex titulo lucratiuo donationis, &c. alteri quamuis ignoranti, & bona fide accipienti tradita sit ab eo tunc intra annum euinci potest, tanquam in fraudem suam alienata, modo extet.*
9. *Emptor primus in cuius fraudem posterior alienatio facta fuit, si intra annum rem alienatam non repetat, tunc is cui alienatio facta fuit neque in externo, neque in conscientiæ foro restituere cogitur.*
10. *Emptor posterior si non induxerit venditorem ad alienandum cum iniuria, & damno prioris emptoris non tenetur ex iustitia ad compensandum damnum licet peccet contra charitatem, teneretur tamen si induxisset.*
11. *Amplia id etiam locum habere in alienatione facta in fraudem creditorum ab eo, qui soluendis debitis impar est vide ibi exempla, secus autem si alienatio facta sit titulo gratuito.*
12. *Creditores nisi repetant intra annum securi sunt emptores & donatarij in foro externo.*
13. *Donatarius licet sciat donationem fieri in fraudem creditorum & eam acceptet non tenetur ad restitutionem nisi eam precibus, aut persuasionibus extorqueat, secundum plures DD.*
14. *Donatarius sciens rem sibi donari in fraudem creditorum probabilius est quod teneatur ad restitutionem etiam non adhibitis precibus & suasionibus, si acceptet, quia licet non sit causa efficiens damni quoad propositum, est tamen quoad executionem.*

Respondetur: in tali casu prior emptor præfertur posteriori, *iuxta regulam iuris.* 54. *in* 6. *Qui prior est in tempore, potior est in iure*; Si autem alteri, licet posteriori per traditionem, & pretij solutionem dominium acquisitum sit, præfertur priori emptori *l. quoties Cod. de rei vindicat.* Et tenebitur tunc venditor priori emptori adinteresse, *l. qui tibi Cod. de hæredit. vel act. vendita, & l. qui ancillam Cod. de act. empti.* 1

Quæ regula locum etiam habet in alijs contractibus, putà in permutatione, donatione; vt donatarius v. g. cui res tradita, adeoque dominium comparatum est, priori dona- 2

tario

tario, cui tradita non fuit, præferatur. Quin aliqui apud Couar. 2. *resol. cap.* 29. *num.* 8. *de contractu locationis* etiam ità sentiunt, quod scilicet posterior conductor, cui res tradita est, iure detentionis defendere se possit contra priorem conductorem.

3 Excipe tamen à dicta regula; si res primò Ecclesiæ, vel Ciuitati sit vendita, etsi non tradita, postea verò alteri alicui vendita, & tradita: quia tunc præfertur Ecclesia, vel Ciuitas

4 Couar. *loco cit. num.* 2. Less. *cap.* 21. *dub.* 19. Mol. *tom.* 2. *disp.* 369. & alij communiter: & ratio est: quia Ecclesiæ, loca pia, & Ciuitates priuilegium habent, vt ipsis per legatum, donationem, venditionem mutuo consensu perfectum dominium sine rei traditione acquiratur, *l. vlt. Cod. de sacros. Ecclesijs.*

5 An verò idem dicendum sit de donatione, vel venditione factâ à Principe.

Respondetur, (licet complures apud Couar. *cit. cap.* 19. *num.* 3. & Molinam *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 3. affirment) probabilius esse oppositum: quia tale priuilegium, seu exceptio à communi iure nusquam reperitur: fateor tamen, præsumendum esse, præsertim in donationibus factis à principe, contra priorem concessionem absolutam eas obtentas fuisse per obreptionem, aut propter obliuionem Principis, adeoque priorem donationem præferendam esse, Gaill. *lib.* 2. *obseruat.* 55.

6 Excipe secundò, primo emptori res vendita in contractus securitatem nomine hypothecæ subiecta, adeoque ius in re acquisitum fuerit; quia tunc præfertur posteriori, emptori, etiamsi huic traditio facta sit, Couar. *num.* 7. & Molina *disp.* 369. *ex l. si creditor §. vlt. ff. de distractione pignorum.*

7 Excipe tertiò, si posterior emptor, cui res tradita fuit, quique pretium soluit, antecedentis venditionis conscius erat: quia & tunc primus emptor ab ipso, tanquam rem in fraudem suam alienatam, intra annum à die scientiæ numerandum, reuocare, & euincere potest, Baldus *in Rubr. Cod. Quæ in fraudem Credit.* Couar. *cit. cap.* 19. *num.* 3. Mol. *tom.* 2. *disp.* 238. *& disp.* 369. Gomez *tom.* 2. *resol.*

8 *cap.* 2. *num.* 20. & Less. *num.* 142. Quod si res vni vendita, postea ex titulo lucratiuo donationis, &c. alteri, quamuis ignoranti, & bona fide accipienti, tradita sit, ab eo tunc intra annum euinci potest, tanquam in fraudem suam alienata, modò rès extet nam si: consumpta fuit, non amplius tenetur donatarius, quàm inde ditior factus est, Less. & Molina *in locis suprà cit.* & colligitur *ex l. qui autem §. simili modo ff. Quæ in fraud. & l. penult. Cod. eodem.*

9 At si primus emptor, in cuius fraudem posterior alienatio facta fuit, intra annum rem alienatam non repetat, tunc is, cui alienatio, (siue gratuita, siue onerosa, siue scienti, siue ignoranti) facta fuit, neque in externo, neque in conscientiæ foro restituere cogitur: non enim ratione rei acceptæ, seu possessæ, quippè cuius dominium ipsi acquisitum est; Neque ratione iniustæ acceptionis, quia nihil contra iustitiam peccauit, accipiendo rem in se liberam, nullique obligatam: nam licet venditor, vel donator personaliter obligatus fuerit, ideoque alienando contra iustitiam peccauerit, hoc tamen illius peccatum, vel permittere potuit, v. g. donatarius sui commodi causa, vel si impedire debuisset, solùm contra legem charitatis peccauit, nisi idem donatarius, vel emptor posterior induxerit ad alie- 10 nandum cum iniuria, & damno prioris emptoris; quia tunc quidem ad compensationem damni, Caius causa fuit, in conscientia tenetur Mol, *cit. disp.* 328. *&* 396. Less. *cap.* 21. *dub.* 19. *num.* 142.

Et hæc locum etiam habent in alienatione 11 facta in fraudem creditorum ab eo, qui soluendis debitis impar est; nam si res in fraudem creditorum alienata sit titulo oneroso, v. g. venditionis, vel dotis comparatione generi, refert, vtrum ignoranti facta sit, àn scienti fraudem: nam in primo casu rescindi non potest à creditoribus; in secundo autem potest, etiam non restituto pretio emptori, *l. si debitor, l. si à debitore, ff. quæ in fraudem credit.* sin autem alienatio facta fuit titulò gratuito, v. g. donationis, vel dotis comparatione filiæ, tunc res donata potest reuocari à creditoribus, tametsi fraudis ignarus fuit is, cui alienatio facta est, *cit. l. qui autem §. simili modo, & l. ignoti Cod. de reuocandis ijs, quæ in fraudem creditorum*; Intelligo tamen, *posse reuocari*, quatenùs res donata extat, vel donatarius ex ea factus est ditior.

Cæterùm, nisi creditores intra annum, quo 12 repetere possunt, repetant, securus est donatarius, & emptor secundùm externum forum, vti constat *ex l.* 1. *& l. ait Prætor. ff. eodem l. ignoti, Cod. eodem.*

An autem sit etiam securus in foro conscien- 13 tiæ licet sciens donationem in fraudem creditorum fieri, illam acceptarit.

Affirmant quidam ex eo; quia donatarius, vel emptor, si res intra tempus à iure præscriptum non repetatur, non tenetur restituere, neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis.

Primum probatur ex eo, quia acquisiuit dominium rei donatæ, vel emptæ, *l. si sciens ff. de contrah. empt.* nam in bonis eius fuerat, qui donauit, vel vendidit: esto enim is debitis soluendis impar pecunias mutuas acceperit, vel merces creditò emerit, verè tamen comparauit earum dominium personaliter solùm obligatus creditoribus, quibuscum contraxerat, ergo idem rerum dominium in alium voluntate sua, saltem validè, transferre potuit.

Secundum inde probatur; quia licet donatio v. g. per quam donans impotens fit ad soluenda debita, cedat in damnum creditorum non sine aliqua donantis iniuria, tamen donatarius id ob suum commodum, quamuis sciens, permittere potest, modò ad donationem sibi faciendam non inducat precibus, vel suasione, sed vltro sibi faciendum acceptet, Molina *cit. disp.* 328. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 19. *num.* 168. & Petr Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 218. quamuis contrarium doceant Paludan. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 2. *art.* 5. Caietan. *in opusc. de vsuris quæst.* 4. S. Antonin. *part.* 2.

ti. 1. *cap.* 12. §. 18. Nauarr. *cap.* 17. *nu.* 271. & Cordub. *lib.* 1. *quæst. qu.* 39. *part.* 3. quorum
4 opinio est etiam probabilis, & forsan probabilior, saltem in casu, cum accipiens ex titulo lucratiuo, vel donatione scit, alienationem, cooperatur consentiendo, seu acceptando, sicque, licet non impellat suadendo, ideoque non sit causa efficiens quoad principium, seu propositum, est tamen eius causa efficiens, quoad executionem.



SECTIO XIII.

An, & quid dicendum in dubio de valore matrimonij.

SVMMARIVM.

1. *Matrimonium si antequam contractum sit, de valore eius propter impedimenti suspicionem dubium oriatur, ab eo contrahendo abstinendum est.*
2. *Matrimonium contrahens mala seu dubia fide dubio perseuerante debitum petere non potest, debet tamen reddere alteri bona fide petenti.*
3. *Si vero post matrimonium bona fide contractum de illius valore dubium superueniat, licitum est debitum petere.*
4. *Dubium superueniens bonæ fidei possessori obesse non debet.*
5. *Fornicationis formalis, seu peccaminosæ periculum cessat quando alter coniugum est dicto dubio.*
6. *Matrimonij defectus si alicui coniugi manifestus sit, debet potius excommunicationis sententiam sustinere quam fornicationis peccatum petendo, vel reddendo putatiuo coniugi committere.*
7. *Textus* in cap. Inquisitioni *declaratur.*
8. *Possessor bonæ fidei probabilius est quod ius suum non amittat, nisi prius certò, vel quasi certò deprehendat sibi ius non competere.*
9. *Dubitans in casu dicti cap. inquisitioni non adhibuisse diligentiam cognoscendæ veritatis iure possessionis suæ vti non potest.*
10. *Excipe si vsus matrimonij dubij ad experimentum capiendum sit necessarius, quia tunc datur triennalis probatio.*
11. *Dubitans de valore matrimonij, quod contraxerat non dum habita certitudine coniugis prioris præmortui, debitum interim à coniuge suo petere non potest.*

1 Respondetur: ex dictis *eadem sect.* 1. quod si ante matrimonium contractum, de valore matrimonij, propter impedimenti suspicionem; dubium oriatur, ab eo contrahendo abstinendum sit, si non ob fauorem Sacramenti, ne inualidè administretur, saltem ob principium *in dicta sect.* 1. dictum: *mala fide contractum inire, possessionemque inchoare eum, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionemque inchoandi ius habeat*, & docent Veracrux 3. *part. speculi art.* 13. *in fin.* Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 13. & Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 42. Quaoropter qui ità mala, seu dubia fide 2
contraxit, non potest, dum dubium perseuerat, debitum coniugij petere, etsi teneatur alteri bona fide petenti reddere, *cap. Dominus de secundis nuptijs*, & docent Veracrux *art.* 18. *concl.* 6. Sanch. *loc. cit. concl.* 1. & Syluest. *verb. matrimonium* 4. *quæst.* 9. *in fin.*

Si verò post matrimonium bona fide con- 3
tractum, de illius valore dubium superueniat, licitum est coniugij debitum petere; quia du- 4
bium superueniens bonæ fidei possessori obesse non debet, vt patet ex dictis, & ex communi docet Sanch. *disp.* 41. *quæst.* 4. *num.* 45. & colligitur *ex c. si virgo* 34. *quæst.* 1. *& c.* 2. *vt lite pendente, ibi: accusatus* (de matrimonij defectu) *ante probatam accusationem, iure, quod habet in altero, priuari non potest.*

Quod adeo verum est, vt stante tali dubio coniugij debitum petenti coniux alter reddere teneatur; quia nemo priuatus alterum sui iuris possessione spoliare potest ob dubias, quin neque ob probabiles, non tamen certas, rationes; Doctores, quos sequitur Sanch. *disp.* 44. *num.* 3. & habetur *in cap. inquisitioni, de sentent. excommunic.* & apud S. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *quæst. vnic. art.* 5. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. & nos *sect.* 1. dicebamus; quare neque hic periculum est fornicationis formalis, seu peccaminosæ; 5
cum esto matrimonium re ipsa irritum sit, tamen probabilis ignorantia in bonæ fidei possessore ipsum excuset à peccato; Quamuis, si matrimonij defectus alicui manifestus sit, de- 6
beat iste potius excommunicationis sententiam sustinere, quàm fornicationis peccatum petendo, vel reddendo putatiuo coniugi, committere; Doctores, quos sequitur Sanch. *disp.* 39. *concl.* 2. & patet *ex cit. cap. inquisitioni.*

Obijcies: *in cap. inquisitioni* dicitur, quod 7
si credulitas probabilis, & discreta, licet non manifesta, animum pulset, debitum coniugij possit quidem reddi, non tamen peti, ergo.

Respondetur, quod (etsi S. Thom. *loco suprà cit.* S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 3. §. 2. Syluest. *verb. matrimonium*, 8. *quæst.* 3. *dict.* 5. Petrus Ledesma *de matrim. quæst.* 45. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 3. & Sanch. *disp.* 41. *num.* 10. doceant, quod dubitans de iure suo, si post diligentem inquisitionem magis inclinet in eam partem, sibi ius non assistere, desinat esse bonæ fidei possessor) tamen probabilius sit op- 8
positum, scilicet bonæ fidei possessorem ius suum non amittere, nisi priùs certò, vel quasi certò deprehendat, sibi ius non competere, sicuti dicebam *dicta sect.* 1. & docent Doctores, quos citat, & sequitur Veracrux *art.* 13. *in fin.* & Sanch. *lib* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 9. retractans priorem sententiam: secundùm quam doctrinam Respondetur *ad dict. cap. in-* 9
quisitioni, dubitantem in casu eius capituli non adhibuisse diligentiam cognoscendæ veritatis; constat autem, quod dum dubitans veritatem inquirit, iure possessionis suæ vti non

10 poſſe. Excepto vnico caſu, ſi vſus matrimonij dubij ad experimentum capiendum ſit neceſſarius iuxta textum, *in cap. laudabilem, de frigid. malefic.* vbi dicitur, quod, ſi ſuſpicio incidat inter coniuges de naturali perpetua impotentia, eaquè probari non poſſit, per triennij ſpatium eo habitandum ſit, experiendi cauſa.

Reſpondetur ſecundò, eum, cui Pontifex in illo capite reſpondit, ab initio mala fide (quia ſcilicet dubitabat de eius valore) matrimonium contraxiſſe, vt proinde ſit caſus ſimilis,
11 *cap. Dominus de ſecundis nuptijs*, vbi dicitur, dubitantem de valore matrimonij, quod contraxerat, non dum habita certitudine coniugis prioris præmortui, debitum interim à coniuge ſuo petere non poſſe: cui deciſioni ſunt conformia omnia, quæ dixi *ſect. 1. per totam.*



DVBITATIO XI.

An, quod dicebam dubitationibus præcedentibus, idem dicendum ſit de Rege bellum inferente.

SVMMARIVM.

1. *Bellum agi non debet inter Principes, qui ſuperiorem agnoſcunt cum poſſit eorum controuerſia iudicio definiri.*
2. *Bellum agi non debet inter Principes ſupremos niſi per conuentum inſtitutum in finibus regni, ſeu Prouinciæ iura Regis examinentur diſcuſſis etiam rationibus alterius.*
3. *Bellare neceßitatis, non voluntatis eſt.*
4. *Dubium ſuperueniens non nocet bonæ fidei poſſeſſori quapropter ſi contra ipſum bellum inſtituatur poteſt ſe defendere, & etiam illatam iniuriam vindicare dummodo non certò ſciat rem eſſe alterius.*
5. *Dubium iuris inter Principes ſupremos poteſt eſſe hinc inde, & eorum quiſque ſibi perſuadere ius eſſe pro ſe tunc enim neceſſe eſt vt vna pars decipiatur, licet bellum ex vtraque parte formaliter iuſtum exiſtat.*
6. *Rex poteſt ſi attento iure probabilis ſit opinio, Regnum, prouinciam, vel vrbem Rege poſſeſſam occupare, & impeditus poſſidere bello vindicare.*
7. *Rex non poteſt ſi probabilitas ſit tantum ex parte facti vel iuris, ſi poſt factam diligentiam res eſt ſolum probabilis, & alter eſt in poſſeßione, poßidentem à poßeßione deturbare.*
8. *Rex non poteſt alium à poſſeßione deturbare ex eo quod probabiliter putet regnum ad ipſum ſpectare, niſi ſimul valeat claris probationibus id conuincere: ſecus ſi probationes claræ ſint.*
9. *Rex, ſeu Princeps ſupremus, qui ius habet probabile ad regnum, Prouinciam, vel vrbem ab alio poſſeſſam non debet illud omittere, quia ad id neque inferiores tenentur.*
10. *Rex, ſeu ſupremus Princeps in ſententia nonnullorum habet ius pronunciandi ſententiam, quæ ſi ſit in eius fauorem, poteſt regnum occupare, & armis etiam vindicare.*
11. *Limita prædicta non intelligi de ſententia propriè dicta quia ſupremus Princeps non eſt ſuperior alterius Principis ſupremi de regno contendentis.*
12. *Supremus Princeps de regno cum alio tertiò contendente etiam legitimè poſſidente licet non poßit contra eum ſententiam ferre poteſt tamen iuriſperitis ſui regni conſulere eorùmque conſultum ſequi, & exequi maximè ſi dicant habere ius efficacius ad regnum, &c.*
13. *Sententia prædicta de ſequendo conſilio peritorum regni non probatur, & cur.*
14. *DD. aſſerentes quod quando periti regni vnius ſtant pro ſuo Rege, & alij pro ſuo pariter tunc regnum ſit diuidendum non probatur, & cur.*
15. *Poſſeſſor qui eſt in legitima poſſeßione non cogitur rem cum alio diuidere, vel compenſationem facere.*
16. *Recenſentur nonnullæ rationes, propter quas regnum ab vno poſſeſſo diuidi non debet cum altero.*
17. *Regnum eſt iudex ſi litigantes ſuper regno ſunt partes ipſius regni, eique ſubiecti, tunc enim tenentur ſtare eiuſdem iudicio.*
18. *Amplia quod teneatur ſtare iudicio regni etiam ſi vnus litigantium eſt ſupremus Princeps, & alter, qui forte poſſidet eſt pars regni.*
19. *Iudices ordinarij regni ſi ſuſpecti ſint poſſunt in caſu recenſito recuſari, & ſi alij electi recuſentur poteſt deueniri ad arma.*
20. *Lis ſi moueatur ſuper aliquo comitatu, qui alicui regno, vel regi ſit ſubiectus, omnes litigantes etiamſi ſint Principes ſupremi tenentur ſtare iudicio illius regni, vel regis, ſub cuius ditione Comitatus talis poſitus eſt.*
21. *Lis ſiue controuerſia ſi ſit inter Principes ſupremos, vel Reſpublicas ſuperiorem non agnoſcentes & nemo ſit in legitima poſſeßione regni, quilibet habet ius ad primo occupandum ſi pro vtraque parte ſint rationes.*
22. *Bellum ex ignorantia poteſt formaliter pro vtraque parte eſſe iuſtum.*
23. *Multis rationibus oſtenditur non poſſe Regem ſibi applicare regnum, neque procedere argumentum ex eo quod huiuſmodi applicatio poßit fieri per iudices, quorum iudicio ſtandum eſt quod ſi irrationabiliter quis conſentire renuat iam iniuſtus eſt, & alter poteſt regnum armis vindicare.*
24. *Lis ſeu controuerſia mortuo Rege, orta inter plures de regno de iure regni, ſeu Reipublicæ dirimitur ab eodem regno, vel Republica.*
25. *Eccleſia, vel Prælati tempore ſchiſmatis iudicant an & quis legitimus Pontifex exiſtat.*
26. *Princeps externus non ſubditus regno ſi putet deberi ſibi poſſeßionem alicuius Territorij, illudque injuſtè à regno, vel Republica negari poteſt eos ſuſpectos dare, & arbitros poſtulare ſecundum probabiliorem.*
27. *Regnum durante controuerſia de eius iure, & rationes pro vtraque parte æquales, & à nemine occupatum, manet liberum, & po-*

potest se modo Reipublicæ exemptæ gubernare.

28. *Respublica videtur, succedere quando litigantes habent ius incertum, vtpotè certo successore carens.*

29. *Regnum si per eius indices vni ex litigantibus adiudicatum sit, si alter resistat, potest contra ipsum bellum intentari.*

30. *Regnum, licet per primam sententiam vni adiudicatum debet is non occupare si sit locus appellationi contra nonnullas.*

31. *Ius censendum est probabile, & litigiosum, neque armis definiendum quotiescumque apud iuris peritos probabile censetur.*

32. *Habens certo ius in regnum si alter possideat, debet antequam bellum moueat, mouere possidentem causis, & rationibus sui iuris allegatis, quod dimittat.*

33. *Bellandi iusta ratio est iniuriam factam vindicare, vel imminentem propulsare.*

1 SVppono, quod si controuersia sit exorta inter Principes; qui superiorem agnoscunt ordinarié locus bello non sit, cum possit ea iudicio definiri; si verò sit exorta inter Principes, vel Respublicas, quæ superiorem non agnoscunt, vt de iure regni, Prouinciæ, vel Vrbis, opor-
2 teat ante omnia (instituto conuentu, v. g. in confinijs regnorum, & missis illuc viris rerum peritis) rationes, seposito affectu, vtrinque audiri, & diligenter discuti; quia fas non est, si res aliter definiri, vel componi possit, bel-
3 lum instituere: nam bellare necessitatis, non voluntatis est, *c. noli* 23. *quæst.* 1. ob ingentia damna, & incommoda, quæ ex bello nascuntur. Si verò, ea discussione facta, dubium perseueret de iure, seu proprietate rei, refert, vtrum altera pars bona fide rem hactenus pos-
4 sederit, necne; quia superueniens dubium non nocet bonæ fidei possessori, ita vt cogi non possit rem restituere, priusquam manifestum fiat, alienam esse, sicuti *præcedenti dubit.* dicebam; quapropter neque hoc casu bellô locus erit, adeò quod si fortè bellum instituetur, possessor, tanquam vim passus, se defendere, quin etiam illatam iniuriam vindicare: Vide Victoriam *relect. de iure belli num.* 27. *& seqq.* Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 103. Vasq. *disp.* 64. *cap.* 3. & Beccanum 2. 2. *cap.* 25. *quæst.* 8.

5 Suppono secundo, quod interdum accidat, vt partes post exactam causæ discussionem iudicio discrepent, ità vt vna iudicet, certò rem sibi deberi, altera verò contrarium sibi persuadeat, scilicet nihil omninò iuris aduersario competere, vel saltem ius dubium esse, vt non integra res aduersario debeatur, quam tamen sibi deberi existimat: quo casu alteram quidem partem decipi, necesse est; quamuis, si error inuincibilis sit & non ex prauo affectu nascatur, bellum ex vtraque parte formaliter iustum existet, nimirum per accidens ratione ignorantiæ. His suppositis.

6 Respondetur, & Dico primo si, attento iure, probabilis est opinio, posse Regem Regnum, Prouinciam, vel vrbem ab alio Rege possessam occupare, potest Rex intentare possessionem, & si ab altero possidente impediatur, bello vindicare; quia licitum est cuilibet, in agendo probabilem opinionem sequi, Doctores, quos sequitur Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 58. & Diana *part.* 2. *num* 2. *resp.* 8.

Objicies, alter iustè possidet, ergo.

Respondetur, iustè possidet probabiliter, sed non absolutè; quapropter deturbari ipse potest à possessione; quia deturbator probabiliter iudicat, alium non habere ius possidendi.

Dico secundò, si probabilitas sit ex parte 7
facti, vel iuris, quia scilicet ex scripturis, vel testibus, vel alia via colligit, sibi Regnum, Prouinciam, vel vrbem competere, si post factam diligentiam res est solùm probabilis, & alter est in possessione, non potest Rex possidentem à possessione deturbare, Victor *de iure belli relect. de Indis num.* 27. *& seqq.* Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 103. Salas. *in* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 13. *num.* 128. Vasq. 1. 2. *disp.* 64 *cap.* 3. *num.* 13. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 17. *num.* 7. Coninch. *disp.* 31. *de charit. dub.* 2. *num.* 44. Sancius *loco suprà cit. num.* 58. Montesinus 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 224. Diana *cit. resol.* 8. Videri etiam poterit Becanus *part.* 3. *cap.* 25. *quæst.* 8. Malderus *in* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. *dub.* 87. Lorca *in* 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 53. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 16. Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 5. Vega *in summa tom.* 1. *cap.* 121. *cas.* 3. *Turrian. in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 90. *dub.* 2. Perez *Artam* 10. *cap.* 13. *num.* 98. Ianner. *in* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 4. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 21. *num.* 92. & ratio est; quia, cum alter iustè possideat, ratione possessionis efficacius ius habet, quàm alter, qui non possidet.

Confirmatur, quia in pari causa melior est conditio possidentis; quod inde patet; quia pro eo daretur sententia, ergo iniustum est, à possessione possidentem deturbare.

Ex his sequitur, quod non possis alium à 8
possessione Regni deturbare, ex eo, quod probabiliter putes, Regnum ad te spectare, nisi simul valeas claris probationibus id conuincere; quia dum possidenti id non ostenditur, non tenetur Regnum restituere, sed potest vi se contra inuadentem defendere; ergo inuadens non potest iure eum expellere; aliàs bellum daretur ex vtraque parte iustum, non solùm formaliter, sed etiam materialiter, quod non est dicendum. Atsi probationes claræ sint, ipse tamen ob ingenij tenuitatem, vel ob passionem, vel quia minùs rectè consulitur, eis non acquiescit, poteris tunc debellare; quia præsumere potes, eum ex malitia, vel ex ignorantia procedere, quod non debet tibi præiudicare. Vide quæ dicebantur *dubit. præcedenti, dict.* 1.

Objicies. Rex, seu Princeps supremus, qui 9
ius habet probabile ad Regnum, Prouinciam, vel vrbem ab alio possessam, non debet illud omittere (non enim debet esse inferioris conditionis, quàm quilibet particularis), ergo, si quilibet particularis, cum ius habet proba-

bile ad quid ab alio possessum, potest litem mouere contra possidentem vt causa examinata, illud habenti ius efficacius applicetur, poterit etiam Princeps supremus ius probabile habens in Regnum, Prouinciam, vel vrbem ab alio possessam, litem mouere contra possidentem, & data sententia in sui fauorem, possidentem à possessione deturbare, & si resistat, armis vindicare.

Respondetur: concedere, quod possit litem mouere propter rationem dictam; At difficultas est apud quem lis sit mouenda, & definienda.

10 Nonnulli sentiunt, supremum Principem ius habere prouinciandi sententiam, & sententia in fauorem suum pronunciata, posse Regnum occupare, & armis, si opus est, vindicare.

11 Sed contra, si de sententia propriè dicta sermo sit; quia supremus Princeps non est superior alio Principe de Regno contendente: ergo non potest esse iudex illius, nec illum suâ sententia ligare secundò, quia alius de Regno contendens non tenetur apud hunc iustitiæ suæ rationes allegare, ergo hic contra inauditam partem ferret sententiam. Vide Vasq. *cit. cap.* 3. *num.* 1. & Salas. *num.* 123.

12 Alij, vt Suar. *de charit. disp.* 13. *de bello sect.* 6. *num* 2. Villalob. *cit. diff.* 17. *num.* 7. & 8. & victor vbi suprà tenent, supremum Principem de Regno cum alio tertio, etiam legitimè possidente, contendentem, etsi non possit contra eum sententiam ferre, posse tamen Iurisperitos sui Regni consulere: qui, si dicunt, ipsum habere ius efficacius ad Regnum, virtute huius maioris probabilitatis posse Regni possessionem attentare, etsi impediatur armis iniuriam vindicare; quia Iudex ferre debet sententiam pro eo, qui ius efficacius habet (est enim sententia actus iustitiæ distributiuæ, in qua est præferendus dignior, & dignior est cui probabilius ius fauet) ergo pro eo erat sententia ferenda; sed loco sententiæ ferendæ in supremis Principibus succedit declaratio maioris iuris seu maioris probabilitatis; ergo facta hac declaratione, quasi per sententiam, sibi est Regnum adiudicatum; quapropter poterit illud possidendum attentare, & impedientem armis oppugnare; præsertim quia, facta hac declaratione, iura non sunt paria, vt melior sit conditio possidentis.

13 Sed contra; quia, cum alteri Principi sui Consiliarij absque dubio dicturi sint ipsum habere in Regnum ratione possessionis ius efficacius, non est, cur potiùs vnum, quàm alterum consilium executioni mandetur: non enim dici potest, quod mandetur illud, quod est potentioris; quia sic ius regnandi metiretur ex armis, & ius efficacius habere diceretur, qui potentior est: quod est barbarum, & contra rationem naturalem.

14 Dices cum Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 4. *& dub.* 5. *concl.* 3. Emman. Rodrig. *in summa cap.* 124. *num.* 3. *concl.* 2. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 170. *num.* 4. in tali casu esse Regnum diuidendum, & ab vno Principe alteri compensationem faciendam pro quālitate dubij; quod si diuisioni, vel compensationi alter non consentiat, posse illum armis oppugnari.

Sed contra, quia (vt rectè ait Mol. *de iustit. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 103. §. *mihi verò*, & 15
Salas. *loc. cit.* 130. qui est in possessione legitima, non cogitur rem cum alio diuidere, vel compensationem facere; neque Iudex, qui non est arbiter ad hanc diuisionem, seu compensationem, solet litigantes ad illam cogere, ergo neque cogendus est, qui Regnum possidet. Et, licet iustè possidens cognoscat, alte- 16
rum habere ius efficacius ad Regnum, tamen, si facta diligentia debita, & remota omni passione, id certò non agnoscit, adhuc probabilius contra Molinam §. *illud libenter*, & Becanum *loc. suprà cit.* non est obligatus in transactionem, vel bonorum virorum arbitrium consentire, multò minùs Regnum diuidere; Quia ratione possessionis vincit quodlibet ius alterius probabile, sicuti *dubitat. præcedenti, dict.* 1. dicebam; neque tenetur Regnum, vel Regni partem à se abdicare, quousque sententia aduenerit, quæ, vt lites vitentur, solet vni potius quàm alteri, licet vterque ferè æquale ius habeat, rem applicare.

Accedit, quod non esset leuis difficultas in assignanda parte, quæ tradenda esset aduersario.

Accedit secundò, quod diuidere Regnum esset in præiudicium maximum ipsius Regni, quæ ratio etiam probat, non esse illud, etiam ante vllius possessionem, diuidendum, sicut nec Maioratus diuiditur, cum duo super illo contendunt; quapropter est alio modo controuersia difinienda.

Dicendum igitur est, si litigantes super 17
Regno, sunt partis ipsius Regni, eique subiecti, tenentur stare iudicio Regni: quia ipsum Regnum est Iudex in tali casu, Vasq. *num.* 19. Mol. §. *quando autem*, & Villalob. *num.* 7. *ad fin.*

Si verò vnus est supremus Princeps, & al- 18
ter, qui fortè possidet, est pars Regni, lis decidenda etiam est ab ipso Regno, idest ab ipsis, qui mortuo Rege ex electione ciuitatum habent ius gubernandi: quia, cum lis illa definiri debeat legibus ipsius Regni, quarum nemo videtur esse legitimus interpres, nisi Regnum; à Regno illa definiri debet: Vasq. *loco suprà cit* & Perez *certam* 10 *scholast. num.* 109. Neque obstat, supremum Principem nemini subiectum esse: quia in illa lite Regno subijci debet, sicut subijcitur Gallus legibus, & Iudicibus Hispaniæ, cum contra Hispanum de aliqua hæreditate Hispania contendit, vel è contra.

Dices cum Molina §. *aduerte*, & Suar. *de* 19
charit. disp. 13. *de bello sect.* 6. *num.* 6. sæpè Princeps supremus habet suspectos Iudices externos: consequenter non tenetur stare iuditio eorum, quos ipse non constituit ad iudicandum, atque adeo res non est definienda iudicio Regni, sed tractanda, ac si tractaretur inter duos Principes supremos, vel duas Respublicas exemptas.

Respondetur; in tali casu posse quidem

quemlibet ex litigantibus Iudices ordinarios Regni reseruare, si scilicet suspectos eos prudenter existimat (non enim ius, quæuis persona particularis habet, negandum est ijs litigantibus) quapropter si, in tali recusatione, & asignatione aliorum Iudicum, vnus nolit consentire, poterit alter iniuriam sibi factam armis vindicare.

20 Hinc à fortiori, si lis moueatur super aliquo Comitatu, qui alicui Regno, vel Regi sit subiectus, omnes litigantes, etiam si sint Principes supremi, tenentur stare iudicio illius Regni, vel Regis, sub cuius ditione Comitatus talis positus est; quia, cum lis ista definiri debeat aliqua regula, & hæc non possit esse alia, nisi illius Comitatus lex, cuius legis non est alius magis legitimus interpres, quàm qui eam condidit, fit, quod iudicio illius definienda sit. Accedit, quod cum occupans talem comitatum subditus fiat illius Regni, vel Regis, sub cuius ditione positus debet Regi ostendere titulum sufficientem occupandi eius terram; ità vt, dum Regi non ostendit, possit Rex illum à suo territorio expellere, ergo res est definienda ab ipso Regno, vel Rege, sub cuius ditione Comitatus positus est, modo tamen, quo suprà dicebam, Vide Vasq. *cit. disp.* 64. *num.* 18.

21 Si tandem controuersia sit inter Principes supremos, vel Respublicas superiorem non agnoscentes, & nemo sit in legitima possessione Regni, & pro vtraque parte sint rationes, ità vt non constet, cuinam sit Regnum adiudicandum; in tali casu (licet Suar. *cit. sect. 6. num.* 4. putet, communiorem sententiam esse, quod quilibet habeat ius ad primò occupandum; neque esse inconueniens, cum interce-
22 dat ignorantia, fieri bellum ex vtraque parte iustum; quia cum in tali casu posset Iudex
23 cui vellet, applicare Regnum, fit quod quilibet supremus Princeps sibi possit applicare) mihi tamen probatur oppositum; quia esto Iudex ob seruandam pacem Reipublicæ possit (quod non est certum; quin potius contrarium probabilius) vni ex litigantibus, etiam si non habeat ius efficacius, sed æquale, rem applicare; non tamen quilibet Rex sibi applicare potest; quia applicatio vnius non excludit applicationem alterius; quapropter ratio naturalis non potest vtrique tribuere ius integrè sibi applicandi: debent ergo Reges ij ab aliquo tertio definitionem expectare; Neque quilibet Rex ex consilio sapientum sui Regni moueri potest ad Regnum occupandum, contra Suar. *num.* 6. quia sequitur idem inconueniens, ac si quilibet Rex Regnum sibi applicaret; quapropter, vti suprà dicebam, lis definiri debet à Iudicibus ipsius Regni, vel si quis ex litigantibus eos suspectos habet, & recusat, res diuidi debet inter partes per transactionem, proportione dubij iuris, quod cuique competere videtur, vel designari debent Iudices, quorum iudicio standum sit, ità vt si Iustæ huic petitioni alter consentire renuat, iam iniustus esse incipiat, ideoque bello peti possit; Alias interim bellum moueri non poterit, cum nullus interim faciat iniuriam, quæ debeat bello vindicari, Vasq. *num.* 18. & Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 56. Quod, si tamen, durante tali dubio, adhuc scilicet non decisa lite per arbitri sententiam, vel per compositionem vnus tentaret Regnum ocupare, alterumque excludere, hoc ipso alteri faceret iniuriam, quam posset is iustè repellere & titulo belli iusti rem totam ocupare.

Itaque, si mortuo Rege, plures ex eodem Regno, vel Republica de iure Regni contendant, ad ipsum Regnum, vel Rempublicam (quippe quæ singulis suis membris superior est) spectabit litem dirimere, sicuti schismatis tempore ad Ecclesiam, seu Prælatos Ecclesiarum Episcopos spectat iudicare, an & quis contendentium legitimus Pontifex existat. Et hæc locum habent, siue quis Regni, vel Reipublicæ subditus sit personaliter siue ratione territorij, quod in Regno, vel in Republica possidet: orta namque lite de iure talis tetritorij, debet possessor stare iudicio Regni vel, Reipublicæ, nisi vel lata sententia manifestò iniusta sit, vel ab initio rationabiliter Iudices suspectos det, ideoque arbitros dari postulet, Si tamen Princeps externus, & nullo modo regno, vel Reipublicæ Subditus putet, deberi sibi possessionem alicuius territorij, illudque iniustè à regno, vel Republica negari (quamuis doceant nonnulli Doctores, regnum, vel Rempublicam. idest Proceres eius non posse esse Iudices in hac controuersia, cum qui nullo modo adhuc subiectus est, eorum iudicio stare non tenetur) contrarium tamen, his non obstantibus, est probabilius, ita tamen, vt si subsit causa rationabilis, possit eos suspectos dare, & arbitros postulare, sicuti suprà dicebam. 24 25 26

Aduerte tamen, quod in tali casu probabile sit, regnum manere liberum, & posse se modo Reipublicæ exemptæ gubernare, vel Regem alium à litigantibus diuersum eligere, Doctores, quos sequitur Salas, 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic sect.* 13. *num.* 128. & probatur, quia, cum litigantes ius incertum habeant, videtur succedere Respublica, vt potè certo successore carens: non enim tenetur illorum alteri regnum adiudicare, cum certum non sit, ei deberi; diuidi verò regnum inter litigantes tenderet in grauem perniciem regni, cuius damnum, vt potè vniuersale, magis vitandum est, quàm damnum quodlibet speciale. 27 28

Causa igitur apud regni Iudices, vel Arbitros agitata, & regno vni ex litigantibus adiudicato, poterit is, pro quo sententia lata est, regnum ocupare, & si alter resistat, bellum contra alterum intentare; quia tunc ius est ei certum euidentia legali. 29


An autem debeat vltimam sententiam expectare? 30

Respondetur, quod (quamuis nonnulli, quos sequitur Perez *num.* 105. sentiant, talem non esse obligatum vltimam sententiam, etiam si danda foret, expectare; quia hoc ipso, quod pro illo data est aliqua sententia, ius firmius habet, & quando quis certò ius firmius habet, potest rem ocupare) tamen probabilius sit, non posse eum, si sententia illa apellationem, vel supplicationem admitteret, virtute illius regnum ocupare: quia apellatio sen-

tentiæ executionem non ſuſpenderet, ſi non obſtante appellatione, vel ſupplicatione ius armis exequitur: & vltima ſententia deſeruiret deuento.

31 Cæterùm ius cenſendùm eſt probabile, & litigioſum, neque armis definiendum, quotieſcumque apud Iuris-peritos probabile cenſetur; & quotieſcumque, ſi negotium inter particulares agitaretur, nullus cenſeretur contra iuſtitiam litem mouere, Vaſq. *cit. cap.* 3. *in fin.* & Villalob. *tract.* 1. *diff.* 17. *num. vlt.*

32 Dico tertiò ſi vnus certò ius in regnũ habeat, & alter poſſideat, debet poſſidentem cauſis, etiã rationibus ſui iuris allegatis monere, quod dimittat: quia debet vitare bellum, in quantùm poteſt, propter incommoda grauiſſima, quæ ex bello ſequuntur: Quod, ſi monitus ille nolit conſentire, poterit oppugnari: quia in tali caſu facit iniuriam, eſto illam non cognoſcat: quapropter poteri alter eam propulſare, ſeu vindicare: cùm nulla alia via id poſſit efficere, niſi bellando, poterit bellum indicare: in quo ſenſu docent communiter, Doctores
33 quod iuſta ratio bellandi ſit, iniuriam factam vindicare, vel imminentem propulſare. Vide Victoriam, Molinam, Vaſquez, Salaſ. Villalob. & Perez *in locis ſuprà citatis.*



DVBITATIO XII.

Quam probabilitatem de iuſtitia belli debeat habere Miles, vt poſsit, vel teneatur militare.

SVMMARIVM.

1. *Miles ſi ſit ſubditus Principi poteſt, quia iuſſus tenetur militare, ſi ipſi de belli iniuſtitia non conſtet, quia in dubio præſumptio ſtat pro ſuperiore.*
2. *Miles ſi dubium de belli iniuſtitia ſit negatiuum poteſt authoritate ſui Principis etiam nulla facta inquiſitione militare, ſecus autem ſi dubium ſit poſitiuum.*
3. *Bellum indictum à Principe ſupremo præſumi debet iuſtum.*
4. *Executor ſententiæ non tenetur de eius iuſtitia inueſtigare.*
5. *Miles ſi non ſit Principi ſubditus non tenetur obedire.*
6. *Miles non ſubditus probabiliter poteſt obedire cauſa non examinata, quia quilibet poteſt alterum iuuare in re, quæ præſumitur iuſta, dum de iniuſtitia non conſtet.*
7. *In dubio quiſque præſumitur bonus præſertim Princeps; vir Chriſtianus, & bonæ æſtimationis.*
8. *Belli auctor debet moraliter eſſe certus de iuſtitia belli, ſecus autem adiutor in quo ſufficit iuſtitia præſumpta.*
9. *Regula iuris* 19. in 6. *non eſt ſine culpa qui rei, quæ ad ipſum non pertinet ſe immiſcet non habet locum in milite operante ex probabili opinione.*
10. *Dicta de bello multo magis habent locum in bello non purè aggreſſiuo, ſed defenſiuo.*
11. *S. Ambroſij ſententia relata in C. denique* 14. *quæſt.* 5. *ſi non poteſt ſubueniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum iuuare, explicatur non officere doctrinæ ſuperius traditæ.*



REſpondetur, & Dico Primò. Si ſit Principi ſubditus, poteſt, quin iuſſus tenetur militare, ſi ipſi de belli iniuſtitia non conſtat; quia in dubio præſumptio ſtat pro ſuperiore, *c. quid culpatur*, 23. *quæſt.* 1. & communiter Doctores, Valent. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *diſp.* 3. *quæſt.* 16. *punct.* 2. Mol. *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 113. *concl.* 2. Petr. Nauar. *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 12. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 15. Salaſ. 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 26. *num.* 266. Vaſq. 1. 2. *quæſt.* 19. *diſp.* 66. *cap. vlt.* Suar. *de charit. diſp.* 13. *de bello ſect.* 6. *num.* 8. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 18. 1

Nomine autem *ſubditi*, vt poſſit, & à ſuperiore iuſtus teneatur militare, venit etiam miles alienigena mercede conductus, qui continuis ſtipendijs ſub Principe degit, tam tempore belli, quam tempore pacis: nam & talis etiam reputatur, tanquam famulus, qui ſuis ſuperioribus iubentibus tenetur obedire, cum de iniuſtitia non conſtat, Cajetan. *verb. bellum in fine, &* 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 1. *ad* 4. *dubit.* 2. Nauarr. *cap.* 15. *num.* 15. Valent. *loco ſuprà cit.* Salaſ. *num.* 268. Sanchez *num.* 16. Mol. *cit. concl.* 3. & Villalob. *diff.* 18. *num.* 2.

An autem hic, priuſquàm militet, teneatur in dubio inquirere de iuſtitia belli?

Reſpondetur diſtinguendo: ſi dubium ſit 2
negatiuum, ideſt nullam rationem habeat de iniuſtitia, poteſt authoritate ſui Principis, quin & iuſſus, nulla facta inquiſitione, tenetur militare: quia bellum indictum à Principe 3
ſupremo præſumi debet iuſtum; Neque execu- 4
tor ſententiæ tenetur de eius iuſtitia inueſtigare: præſertim, quia ſubditus moraliter non poſſet aſſequi veritatem; cum raro conueniat, bellandi rationes omnibus manifeſtare. Doctores communiter, quos ſequitur, Maſcardus, *verb. bellum num.* 5. & Menoch. *de præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 96. *num.* 7. Si verò dubium ſit poſitiuum, ideſt rationes probabiles habeat pro vtraque parte, poteſt obedire, tamen probabiliter non tenetur ob ea, quæ *dubit.* 9. dicebam, nempè ſubditum ex probabili non teneri obedire ſuperiori (quando probabilem opinionem habet, præceptum eſſe iniuſtum, vel excedere limites facultatis) ex eo quia qui probabiliter operatur, prudenter, atque adeo ſine peccato operatur. Quod ſi rationes de iniuſtitia adeò ſunt vrgentes, vt ſubditus nequeat illas ſoluere, tenetur tunc aliquo modo veritatem indagare, ne periculo iniuſtitiæ morali ſe exponat; & ſi hoc onus propter rationes di-

ctas non facilè sit subditis imponendum, Suar. loco suprà cit.

5 Dico secundò: si miles non sit Principi subditus, non tenetur obedire, patet ex terminis, & in hoc conueniunt Doctores.

An autem possit obedire, causa non examinata.

6 Respondetur, ex probabili affirmatiuè; ità vt probabile sit, eodem modo milites non subditos posse militare, ac possunt subditi, neque aliquam inter illos differentiam esse: ratio, quia quilibet potest alterum iuuare in re,
7 quæ præsumitur iusta (vt est in casu nostro,
8 dum de iniustitia non constat; cùm quilibet in dubio præsumatur bonus, præsertim Princeps vir Christianus, & bonæ æstimationis) maximè, si emolumentum inde percipiat; Victoria *num.* 24. *& seqq.* Suar. *cit. disp.* 13. *sect.* 6. *num.* 12. Vasq. *cit. cap.* 3. Salas. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 27. *num.* 272. & Petr. Nauarr. *de restitut. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 12. contra Caietan. *loco suprà cit.* Syluestrum *verb. bellum* 1. *quæst.* 9. Molinam *disp.* 114. *in princip.* & Sanch. *num.* 16.

Obijcies, ex bello nascuntur grauissima damna, ergo, vt illa possint inferri, debet in inferente esse de iustitia belli certitudo moralis.

9 Respondetur ex eo, quod ex bello nascuntur grauissima damna, concedo in authore requiri de iustitia belli certitudinem moralem: At in iuuante sufficit, si probabile sit (vt est, quotiescumque de iniustitia non constat, & Princeps est vir Christianus, & probæ æstimationis) esse in authore hanc certitudinem moralem.

10 Obijcies secundò *ex regul.* 19. *de regulis iuris in* 6. *ibi*: *non est sine culpa, qui rei* (idest periculosæ) *quæ ad ipsum non pertinet, se immiscet, ergo.*

Respondetur in primis, Miles in casu nostro non se immiscet rei periculosæ moraliter, cum operetur ex probabili opinione, nec se immiscet rei, quæ ad ipsum non pertinet, cum cuilibet militi importet locare operam suam in bello.

11 Cæterùm, quæ dixi, multò magis locum habent in bello non purè aggressiuo, sed defensiuo; quia in hoc clarum est, sufficere, militibus aggredientis iustitiam esse incognitam, vt licitè possint adiuuare se defendentem; quapropter cautè dixit S. Ambrosius relatus *in c. denique* 14. *quæst.* 5. *si non potest. subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodiùs est neutrum iuuare*: non dixit, non posse iuuare alterum, sed commodius esse, neutrum iuuare. Quod si in adiutorio per intercessionem, de quo ibi est sermo, consultius est abstinere à subuentione vnius cum læsione alterius, à fortiori in adiutorio per bellum; in neutro tamen est obligatio, sed vt hæc magis clarescant, sit.

DVBITATIO XIII.

An miles dubitans de iustitia belli possit & teneatur Principi obedire.

SVMMARIVM.

1. *Miles dubitans de iustitia belli, si sit subditus tenetur Principi obedire, secus si sit exterus in sententia plurimorum. At probabile est nullam esse inter eos differentiam.*
2. *Miles tam subditus, quam exterus si habeat fundatum dubium de iniustitia belli non tenetur neque potest obedire, donec examen quantum commodè potest, præmiserit.*
3. *Absurdum nasceretur magnum si subditus rationabiliter dubitans de iniustitia belli, non teneretur vllam diligentiam præmittere.*
4. *Miles si tam subditus, quam exterus non habeat fundatum dubium de iniustitia belli, tenetur dubium vtpotè scrupulosum deponere, & iustitiam belli præsumere, & obedire, vide ibi rationes recensitas.*
5. *Miles subditus non potest modo vni Parti modo alteri se adscribere, quia in partem aduersam inclinare non potest ob crimen inobedientiæ, & læsæ maiestatis.*
6. *Miles non subditus potest modo vni Parti modo alteri se adscribere si bellum sit defensiuum non autem aggressiuum.*
7. *Possessio suffragatur possidenti itavt miles exterus potius parti se defendenti adscribere se potest, quam alteri.*

Respondetur: ex dictis dubitatione præcedenti, quod, (quamuis communis sententia Abbatis *in cap. sicut.* 3. *de iureiur. num.* 16. Bellamenæ *ibid. quæst.* 6. Alexandri de Neuo *num.* 98. Nauarri *in summa cap.* 15. *num* 15. Molinæ *de iustitia tom.* 1. *disp.* 113. Azorij *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 9. Valentiæ 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 2. *§. si autem miles*, & aliorum complurium, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 15. asserat, Militem subditum posse, & teneri obedire, non sic militem exterum; quia in milite subdito adest sufficiens ratio, scilicet præceptum superioris, deponendi conscientiam dubiam, non sic in milite extero; consequenter exterus teneatur inuestigare iustitiam belli, antequam bello se adscribat, non sic miles subditus, seu non exter) tamen adhuc probabile sit, inter militem subditum, & exterum nullam esse differentiam: itavt. 1

Primò, si vterque miles, tam subditus, quàm exterus, habeat fundatum dubium de iniustitia belli, non teneatur, quin neque possit obedire, donec examen, quantum commodè po- 2

teſt, præmiſerit: quia, quando certum eſt ex tua obedientia (ſicuti contingit in caſu noſtro de bello) tibi, vel alteri graue damnum eſſe ſequendum, non teneris ſuperiori, ſi dubitas, an legitimè præcipiat, obedientiam præſtare, ſicuti dicam *tract. ſequenti, dub.* 23.

3 Confirmatur: quia, ſi ſubditus rationabiliter dubitans de iniuſtitia belli, non teneretur vllam diligentiam præmittere, ſed poſſet, audito ſuperioris præcepto, ſtatim acquieſcere, ſequeretur, quod Sarraceni ſuos Principes in bello contra Chriſtianum ſequentes, carnifices Martyrum, & Crucifixores Chriſti à peccato, & iniuſtitia excuſarentur, quod nemo dixerit.

4 Secundò, ſi vterque miles, tam ſubditus, quàm exterus, non habeat fundatum dubium de iniuſtitia belli, teneatur dubium, vtpotè ſcrupuloſum, deponere, & iuſtitiam belli præſumere & obedire: Et quidem quoad militem ſubditum patet *ex c. quid culpatur* 23. *qu.* 1. *in pri.* vbi dicitur, *virum iuſtum poſſe bellare ſub Rege etiam ſacrilego, ſi quod ipſi iubetur, vel non eſt contra Dei præceptum, vel vtrum ſit, certum non eſt*: quia dum ſubdito non conſtat, contrarium eſſe diuino præcepto ſuperioris præceptum, præſumere debet, eſſe ei iſtud conforme: quod magis in caſu noſtro de bello locum habet: quia cum talis res grauiſſima ſit, rarò præſumi debet abſque ſufficienti iuſtitiæ examine intentari: quæ iuſtitia, licet militibus non appareat, præſumenda eſt: aliàs teneretur Princeps rationes bellandi omnibus manifeſtare: quod ob grauiſſima, & plurima inconuenientia, quæ inde ſequerentur, dicendum non eſt.


Quoad militem autem exterum, videtur probare eadem ratio: Et Confirmatur, quia vterque miles, tam ſubditus, quàm exterus, vel habet rationem dubitandi de iniuſtitia belli benè fundatam, vel non: ſi primum, neuter poteſt abſque facto examine obedire: quia ſpoliare alium bonis fortunæ, honoris, & vitæ ob obſeruandum ius ſuperioris dubium, iniuſtitia maxima eſſe videtur: Si ſecundum, vtrique licet rationem minus fundatam, ſeu ſcrupulum deponere, & contra illum operari. Confirmatur ſecundò, quia in ſententia Aduerſariorum, Caietan. 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. *ad* 4. *dub.* 2. Syluest. *verb. bellum* 1. *quæſt.* 9. Molinæ *diſp.* 114. *in princip.* & Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 17. vt ſubditus dubium deponat, & militare poſſit, non indiget præcepto expreſſo ſuperioris, ſed ſufficit, velle ſuperiorem, vt omnes milites neceſſarij bello ſe adſcribant: quia ex hac ſola ſuperioris voluntate (quam vocant tacitum præceptum) poteſt ſubditus dubium deponere, & militare; ſed hæc voluntas non arctat ſubditum ire ad bellum (cum quilibet poſſit ſine peccato executionem talis voluntatis omittere) ergo, ſi ſubdito dicta voluntas eſt efficax ratio deponendi dubium, erit etiam & non ſubdito.

Obiicies, ergo miles (ſi poteſt præſumere, quemlibet Principem præliantem iuſtè præliari) poterit modò vni parti, modò alteri ſe adſcribere.

Reſpondetur: diſtinguo conſequens: ſi loquamur de milite ſubdito, nego; quia hic in aduerſam partem inclinare non poteſt ob crimen inobedientiæ, & læſæ Maieſtatis: ſi loquamur de milite extero, ſeu non ſubdito: ſubdiſtinguo de bello aggreſſiuo, vel defenſiuo; ſiquidem ſi bellum ſit aggreſſiuum, Miles debet habere rationes efficaciores, & ferè conuincentes, vt ſe poſſit ei parti adſcribere; quia ſtat pro contraria parte poſſeſſio, & in dubio non debet ſpoliari; ſecus verò dicendum, ſi bellum ſit ſolum defenſiuum. 5 6

Inſtabis. Nulli ſuffragatur poſſeſſio; quia hoc ipſo, quod Princeps bellum indixit, priuat alterum principem iure poſſidendi, & bello procedit ad executionem ſententiæ à ſe prolatæ, ergo. 7

Reſpondetur nego antecedens; quia ſententia, & iudicium vnius Principis non præiudicat alteri Principi non ſubiecto; & talis ſententia, & iudicium non eſt propriè ſententia, cum ſit contra partem inauditam, & quæ non tenetur coram ipſo comparere: quapropter ex vi illius non tollitur poſſeſſio poſſidenti, ſicuti patet ex ijs, quæ dicebam *dubitatione* 10. & docet Salaſ. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 13. & 26. *circa finem.*



DVBITATIO XIV.

An, ſi conſulens iniuſtum bellum, homicidium, furtum, vel iniuſtè bellantem, homicidam, furem ſocians, aut alio modo adiuuans dubius ſis, vtrum alius abſque tuo conſilio, vel adiutorio iniuſtum bellum, homicidium, furtum præſtitiſſet, tenearis de damno ſecuto.

SVMMARIVM.

1. *Quæſtio non eſt de dubio poſitiuo ex opinione probabili, ſed de dubio negatiuo, ſiue propriè dicto.*
2. *Refertur ſententia pro vtraque parte, quarum opiniones conciliantur ab Auctore.*
3. *Cauſa damni aliquis præſumitur dum conſtat de malo conſilio, & de damno ſecuto.*
4. *Dubius vt quis eſſe poſſit de damno dato debet habere rationes efficaces quod damnum non dederit, vide ibi exempla.*
5. *Conſulens vt non teneatur de damno ex eius conſilio ſecuto non ſufficit quod delinquens teſtetur ſe motum non fuiſſe ex eius delicto, niſi delinquens ſit fide dignus.*
6. *Depoſitarius, vel commodatarius ſit dubius an ſua culpa depoſitum, vel commodatum perierit, ad nihil tenetur, ſecus autem in foro externo.*
7. *Delictum non præſumitur niſi probetur.*
8. *Depoſitario, ſeu commodatario incumbit onus*

probandi casu illas perijsse, vel ipsum non potuisse simul res suas, & alienas seruare.

1 Non est sensus, si dubius sis dubio positiuo, seu ex opinione probabili: nam in tali casu certum est ex dictis *dubit.* 5. te posse sequi opinionem, quam malueris, etiam probabiliori relicta: sed sensus est, si dubius sis dubio negatiuo, seu propriè dicto, ità vt sis pendulus, seu rationem, & motiuum operandi non habeas ex vlla parte: In quo sensu.

2 Negant Syluest. *verb. restitutio* 3. *quæst.* 6. *dict.* 2. *in princip.* Tabien. *eod. verb. quæst.* 23. *num.* 24. (vbi solum consulentem obligat, quando credit consilium efficax) Io. Med. *Cod. de restit. quæst.* 7. Petr. Nauar. *de restit. cap.* 4. *dub.* 4. *nu.* 48. *verb. tertiò colligo*, Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 3. *nu.* 4. Sayr. *in claui Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 8. *nu.* 1. *in fin. & de censur. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. Rebell. *de obligat. iustit.* 1. *part. lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 5. & 7. Sà *verb. restitutio num.* 35. & Villalob. *in summa tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 20. *num.* 9. quia in dubio, præcipuè in materia iustitiæ, melior est conditio possidentis.

Affirmant verò Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 17. & alij: quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus, *l. meritò ff. pro socio*, & tradit Felin. *in cap.* 1. *de offic. Deleg. num.* 13. *& in cap. sicut dignum de homicid. num.* 11. *concl.* 3. & Decius *in regul. consilij* 47. *num.* 9. *ff. de regul. iur.* ergo quis iniustè bellans, homicida, vel fur non præsumitur, delictum commisisse, nisi tuum consilium, vel adiutorium præcessisset; tum quia in hoc dubio possessio est potius contra te, quàm pro te: si quidem constat de tua iniusta actione, quæ apta est damnum causare, & constat etiam de damno causato, ergo tibi incumbit onus probandi, damnum non causasse, ita vt dum non probaueris, iudiceris tu causasse, sicuti docent Bald. *in l. data opera, Cod. qui accusar. non poss. num.* 52. Angel. *in l.* 1. *in princip, ff. de eo, per quem factum erit*, & Ananias *in cap. ad audientiam de homicid. num.* 10.

At ego dicendum arbitror, & sic concilio prædictas opiniones, quod in dubio (quod verè dubium sit) an ex tua actione damnum secutum sit, non teneris ad damnum secutum: quia non est æquum, te obligari damnum compensare: cum non sit certum, te damnum dedisse, & sic in te consulentem transfertur onus probandi, tuo consilio damnum non de-

3 disse: quamuis ex eo, quod consuleris, vel associaueris, &c. moraliter certò præsumeris, te damnum dedisse: & sic in te consulentem transfertur onus probandi, tuo consilio damnum non dedisse: quia dum constat de malo consilio, & de damno secuto, ius præsumit, te causam fuisse, sicuti rectè docent, Felin. & Decius *in cap.* 1. *de offic. deleg.* & Bald. *in l. data opera ff. qui accus. non poss.* Mascard. *de probat. tom.* 1. *concl.* 419. *num.* 9. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 44. Quapropter, vt 4
dubius esse possis de damno dato, debes habere rationes efficaces, te damnum non dedisse: quales sunt, si delictum committens sit inimicus capitalis, vel delictum prius seriò fuerit minatus, vel præparauerit omnia ad delictum perpetrandum necessaria: in quibus casibus te non teneri damnum secutum compensare, consentit etiam Sanch. *de matrim. cit. disp.* 41. *num.* 17. *& cit. lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 44. Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 23. *num.* 242. & Io. Sancius *in select. disp.* 42. *num.* 14.

Cæterùm, quod addit Henriq. & Sayr. *de censur, in loc. suprà cit.* sufficere etiam, si qui 5
delictum commisit, asserat consulenti, se ex eius consilio motum non fuisse, mihi non probatur, nisi delinquens ille sit fide dignus, vel tales aliæ cõiecturæ cõcurrant, vt prudenter ei fides haberi possit. Hæc de consulente: nam de associante, cum immediatius delicto concurrat, raro dubius esse poterit de damno secuto. quod scilicet in illud non influxerit, saltem præbendo animum operanti principali.

Ex his sequitur, quod, si depositarius, vel 6
commodatarius, &c. sit dubius, an sua culpa depositum, vel commodatum, &c. sua culpa perierit, ad nihilum teneatur: quia ex dictis non præsumitur delictum commisisse, nisi pro- 7
betur: Sanch. *cit. disp.* 41. *num.* 18. Salas. *num.* 243. Villalob. *in summa tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 20. *num.* 10. & Io. Sancius *in select. disp.* 43. *num.* 11. Quamuis in foro externo, si res depositarij, vel commodatarij, &c. apparuerint incolumes, præsumitur dolus, vt ad restitutionem fiat condemnatio, *cap.* 2. *de deposito.* & ibi Abb. *num.* 2. quapropter depositario, vel commo- 8
datario, &c. incumbet onus probandi, casu illas perijsse: vel ipsum non potuisse simul res suas, & alienas seruare, potiùsque voluisse res suas, quàm alienas tueri siquidem in vtroque isto casu cessat dicta præsumptio de dolo, etiam si res suæ viliores essent, vt ex multis docet Mascard. *de probat. loco suprà cit. verb. depositarius concl.* 509.

Cætera, quæ spectent ad opinionem, seu conscientiam opinantem, vide *tract. sequenti dubit.* 48.

TRACTATVS III.
DE CONSCIENTIA DVBIA.

DVBITATIO I.

An operari ex conſcientia dubia ſit peccatum; & ne ſit peccatum, quomodo conſcientia dubia deponi poſſit?

SVMMARIVM.

1. *Auctor ſupponit quatuor principia, ſeu fundamenta ex quibus poſtea firmatur eius ſententia, vide ibi quæ ſint.*
2. *Operari cum conſcientia practicè dubia eſt intrinſecè malum, & peccatum, vide ibi de hac re exemplum.*
3. *Operans cum conſcientia practicè dubia ſe exponit manifeſto periculo tranſgrediendi præceptum, & legem Dei,*
4. *Operans cum conſcientia practicè dubia facit contra amicitiam Dei, cum eius voluntati præferat ſuam, vel aliorum vtilitatem, ob quos facit opus, de quo dubitat.*
5. *Operatio cum conſcientia practicè dubia recta eſſe non poteſt, quia operatio recta requirit cognitionem de bonitate obiecti, quæ non eſt in dubitante de eius bonitate.*
6. *Bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu.*
7. *Dubitans ſpeculatiuè de obligatione præcepti, ſi rationabiliter dubium non deponat, tenetur ſequi partem tutiorem.*
8. *Regula in dubijs tutior pars eſt eligenda, non eſt conſilium, ſed præceptum ſi dubium ſit ſpeculatiuum de obligatione præcepti.*
9. *Pars tutior illa dicitur in qua nihil mali repræſentatur.*
10. *Præceptum diuinum poſitiuum præfertur naturali ob bonum commune.*
11. *Præceptum de ſeruando ſigillo confeſſionis, & de conſecrando in duplici ſpecie præualet præcepto de ſeruandus vita, & honore.*
12. *Præceptum naturale de ſeruandis vita honore, diuitijs, &c. Præualet præcepto diuino ſeruandi feſtum, communicandi, & ſimilibus.*
13. *De duobus malis minus eſt eligendum.*
14. *Poſſeſſio legitima ſufficiens, titulus deponendi conſcientiam dubiam, & honeſtandi operationem quod quidem etiam dicit habere locum in alijs materij à iuſtitia diſtinctis. Contra*
15. *Azorium, & alios tenentes regulam, quod in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, habere locum tantum in iuſtitia, atque adeo in dubiis extra eam, tutiorem partem eligendam eſſe ne quis ſe exponat periculo peccandi.*
16. *Doctrina Azorij, & aliorum limitatur per ipſos quod non procedat quando quis cum incommodo, & detrimento ſui priuandus eſt libertate.*
17. *Auctores citati in oppoſitum aſſerunt in dubio legis, aut voti nullam eſſe obligationem.*
18. *Regula non ſatis certa aſſignatur ad cognoſcendum pro quo ſtet poſſeſſio quando ſumus in dubijs quia præſumptio iuris non ſatisfacit, licet ſit vera.*
19. *Præſumptio iuris ſæpè non ſtat pro poſſidente, ſi ius commune poſſeſſioni reſiſtat.*
20. *Maior difficultas eſt in cognoſcendo pro qua parte ſit præſumptio iuris, quam in cognoſcendo pro qua ſit poſſeſſio ſecus ſi conſtet de præſumptione iuris, pro qua in tali caſu ſtandum eſt in foro interno.*
21. *Aſſerenti aliquid contra Iuris præſumptionem incumbit probatio.*

22. *Præsumptio quando est pro aliqua parte dubia, vel sub opinione, iudicandum est ac si nulla esset.*

23. *Possessio non censetur cum dubium est de legitima possessione.*

1 Vppono, conscientiam dubiam dupliciter se habere: Primò si rationibus hinc inde perpensis, non valet intellectus iudicium, etiam probabile, formare, sed hæret anceps. 2. Si reflexò iudicet, sibi incertum esse, an res illa ita sit, vel non sit.

Suppono Secundo, hanc conscientiam dubiam esse posse, vel de aliquo iure, vel de aliquo facto. De iure, vt si dubites an lata sit lex, vel præceptum. De facto, vt si dubites, an occideris, an horas canonicas dixeris,

Suppono Tertiò, aliud esse dubium speculatiuum, aliud practicum, v. g. potes dubitare, an hæc res, quam possides, tua sit, non tamen dubitas, an illam possis retinere, imò de hoc es certus ratione possessionis, cùm in dubio melior sit conditio possidentis; ad regulandas actiones attendi debet dubium practicum. quod contingit, quando hîc, & nunc dubitas, an tenearis.

Suppono Quartò, cum dubio speculatiuo stare benè posse iudicium practicum de recta operatione, vt patet in exemplo allato; requiritur autem, vt quis cum dubio speculatiuo rectè operetur, habere aliquam rationem efficacem, vel probabilem, quæ tale dubium deponat, idest, qua sibi persuadeat, hîc & nunc talem operationem licitam esse, aliàs contra rationem operaretur, iudicio illi speculatiuo non se conformando, v. g. si generaliter iudicat, nemini licere die festo seruilia opera exercere, causam aliquam debet habere, ob quam iudicet, sibi licere, aliàs peccabit illa exercendo, Suar. 5. *tom. in* 3. *par. disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 14. Cordub. *lib.* 3. *qq.* 9. 5. *dub.* 5. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 5. & *lib. moral. cap.* 9. *num.* 3. *& cap.* 10. *num.* 7. Vnde fit, ad variandum iudicium speculatiuum necessariò requiri diligentiam aliquam (vt rectè notauit Sanch. *cit. cap.* 10. *num.* 7. *&* 8. non enim illud pro libito variari potest.) At diligentia est ad inueniendam rationem aliquam probabilem, qua inuenta, nihil aliud desideratur. His suppositis.

2 Respondetur operari cum conscientia practicè dubia, scilicet cum dubio, an hîc, & nunc aliquo præcepto tenearis, est intrinsecè malum, & peccatum; ità communiter Doctores, & probatur, quia sic operans te exponis
3 manifesto periculo transgrediendi præceptum, & legem Dei.

4 Secundò, quia facis contra amicitiam Dei, cùm eius voluntati præferas tuam, vel aliorum vtilitatem, ob quos facis opus, quod dubitas, an gratum, vel ingratum sit Deo? nihil curans, sit ne illi ingratum?

5 Tertiò, quia talis operatio recta esse non potest, (ad rectam enim operationem requiritur cognitio de bonitate obiecti, aliàs voluntas non dicitur bonum amare,) qui autem dubitat de bonitate, non habet cognitionem de bonitate obiecti: ergo non potest talis cognitio communicare bonitatem operationi, sicut potest communicare malitiam; quia ad hoc sufficit cognitio mali sub dubio: cum bonum sit ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Vasq. 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 1. *num.* 6
4. Suar. 5. *tom. in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 2. & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *in princip.*

Hinc fit, quòd dubitans speculatiuè de obligatione præcepti, si rationabiliter dubium non deponat, tenetur sequi partem tutiorem; quia dubium speculatiuum infert necessariò dubium practicum per se, nisi ex aliqua circumstantia deponatur, ergo vt non peccetur, debet sic dubitans periculum peccandi vitare; tenetur igitur eligere partem tutiorem, & in hoc casu regula iuris, *In dubijs tutior pars est eligenda*, non est consilium, sed præceptum, vt rectè dixit Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 9. & Azor. *lib.* 2. *cap.* 16. *in fine*, & habetur *in c. illud Dominus, de Cleric. excommunicat.* 7 8

Cæterum illa pars dicitur tutior, in qua nihil mali repræsentatur; quod si duo præcepta incompatibilia concurrant, quænam pars tunc dicenda sit tutior, firma regula tradi non potest: nam præceptum diuinum positiuum præfertur naturali ob bonum commune; siquidem præceptum seruandi sigillum confessionis, consecrandi in duplici specie, præualet præcepto seruandi vitam, & honorem, è contra verò præceptum naturale seruandi vitam, honorem, diuitias, etiam alienas, præualet præcepto diuino seruandi festum, communicandi, & similibus; Vnde quod alicui, attentis circumstantijs, & examinatis rationibus, minus malum apparebit, illud respectu illius dicendum, est pars tutior, ac ideò eligendum, iuxtà Text. *in C. duo mala*, 13. *dist. & in c. nerui testiculorum, eadem distinct.* Quòd si discernere non possit, quodnam ex illis præceptis præualet, quodlibet eligere potest; cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius, & vtrumque impleri non possit, vt ex Corduba, & Medina rectè docet Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 19. 9 10 11 12 13


Difficultas solum est, qua ratione dubium deponi possit, vt licita sit operatio, (siue vnum, siue duo præcepta incompatibilia concurrant) quod patet ex dictis, & magis ex dicendis, vt scilicet ratio aliqua efficax, vel saltem probabilis appareat, qua deponatur dubium; Vide etiam, quæ dicebam *tract.* 1. *dubit.* 11.

Et quidem materia iustitiæ possessio legitima est sufficiens titulus deponendi conscientiam dubiam, & honestandi operationem, vt dicam infrà *dubit.* 17. Idemque ex probabiliori sententia dico in alijs materijs à iustitia distinctis, siue sit in materia religionis, siue temperantiæ, siue alterius virtutis; quia hoc ipso, quòd pro aliquo est possessio, si cætera sint paria, melior est eius conditio, cùm habeat aliquem titulum, quo alter caret: nam ideò in materia iustitiæ, cùm dubium est æquale inter duos, is, cui fauet possessio, rem potest retinere, etiam si partem minus tutam sequatur, 14

quatur, quia eius conditio est melior; sed etiam, cùm inter voluntatis libertatem, & præceptum Superioris est dubium, quodnam vincat, si constet pro qua parte sit possessio, illius partis est melior conditio, ergo illam partem, & si minus tutam, securè sequi poteris.

15 Atque sic contra Azorium *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 10. *& lib.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 3. *num.* 13. Sayr. *in Claui Reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 36. Anton. Perez *certam* 10. *num.* 132. & Salas. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 17. *num.* 162. *& sect.* 25. *num.* 252. (qui docent, extra materiam iustitiæ nihil prodesse possessionem, atque adeò in dubijs extrà materiam iustitiæ tutiorem partem eligendam esse, ne quis se exponat periculo peccandi; licet aliqui ipsorum limitent, vt non procedat doctrina, quando cum incommodo,
16 & detrimento sui, vel alterius priuandus est libertate) tenent Suar. *tom.* 7. *in* 3. *par. disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 14. *& seqq. &* 2. *tom. de relig. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 7. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 32. *& lib.* 1. *moral. cap.* 10. *nu.* 11. Io. Sanch. *disp.* 42. *num.* 7. Garz. 2. *tom. de benefic. part.* 7. *cap.* 2. *num.* 14. Treuin. *in*
17 *prax. exam. fol.* 257. Filliuc. 2. *tom. tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 165. Petr. Nauar. *lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *num.* 48. Villalob. *tract.* 1. *de Conscientia diffic.* 21. & omnes, qui aiunt, in dubio legis, aut voti nullam esse obligationem.

Difficile tamen est assignare in casibus dubijs
18 pro qua parte sit possessio: nam licet, quod Sanch. ait *cit. cap.* 10. *num.* 13. cum Soto *lib.* 7. *de Iustit. quæst.* 3. *art.* 1. & Aragonio 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. (possessionem esse pro qua est iuris præsumptio, eò quod ius non sine causa præsumat, ne eius præsumptio sit temeraria) verum sit, non tamen satisfacit, quia
19 sæpè præsumptio iuris non stat pro possidente, si ius commune possessioni resistit, vt patet *ex c. ad decimas, de restit. spoliat. in* 6. *c. ex insinuatione de Procurat. & c. constitutus de elect.* & notauit Mascard. *verb. possessio, conclus.* 1200. *num.* 65. Marien. *lib.* 5. *compil. tit.* 8. *lib.* 9. *Gloss.* 3. *num.* 13. & Azeued. *ibidem num.* 15. non igitur ad cognoscendam possessionem est clara regula iuris præsumptio, cum æquè quin maior difficultas sit in cognoscendo, pro qua parte sit præsumptio iuris, quàm in cognos-
20 cendo, pro qua sit possessio. Si tamen constat de præsumptione iuris, pro ea in foro interno standum est, vt rectè docet Sanch. *loco cit.* Mol. *tom.* 1. *de Iustit.* 169. & Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsump.* 83. *num.* 62. quia forum internum conformatur externo, quando istud falsæ præsumptioni non nititur, vt sæpiùs dixi: nam, cùm est certa præsumptio iuris pro aliqua parte, ea pars iudicari debet ve-
21 ra dum non probatur contrarium, cuius probatio incumbit aduersæ parti, Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. qu.* 4. *nu.* 3. *& seqq. & qu.* 8. *num.* 1. Simanc. *de cathol. instit. tit.* 50. *num.* 6. At si
22 præsumptio pro aliqua parte est dubia, vel sub opinione, iudicandum est, ac si nulla esset; sicut cùm dubium est de legitima possessione,
23 possessio non reputatur, Doctores, quos citat, & sequitur Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 13. *num.* 233. & ratio est, quia tunc pro vtraque parte est par causa; inuestigare autem pro quibus rebus sit certa præsumptio iuris, pro quibus non, regula aliqua tradi non potest, ex dicendis tamen in sequentibus dubitationibus aliquo modo constabit, pro quibus regulariter sit præsumptio, & pro quibus etiam sit possessio.



Objectiones.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos censetur irregularis in dubio facti ob reuerentiam sacrarum rerum non tanquam ex contracta obligatione aliqua ex delicto homicidij de quo dubitat, sed tantum ex consilio.*
2. *Dubitans se esse excommunicatum debet abstinere à Sacramentorum administratione non ex eo quod dubitat simpliciter; sed quia orto dubio de sententia excommunicationis debet præmitti aliqua diligentia ad illud vincendum, & euacuandum.*
3. *Possessio matrimonij nihil prodest ei qui contraxit dubitans de valore sponsalium, maximè si præsumptio iuris stet pro nullitate sponsalium.*
4. *Sponsalia contracta cum iuuene ante septennium licet non sint valida ex iuris dispositione, secus autem est si malitia suppleat ætatem.*
5. *Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis oritur etiam ex contractu sponsalium, ex quo iuuenis maior septennio duxit fœminam proximam septennio, & eam traduxit ad Domum.*



Obijcies Textum *in c. ad audientiam, c. significasti. & l.* 2. *de homicid.* vbi in dubio facti Sacerdos censetur irregularis, quia in hoc casu ait Pontifex, *tutius est cessare ab officio, quàm temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur.* 1

Respondetur, transeat, Pontificem in casu homicidij dubij statuisse irregularitatem ob reuerentiam sacrarum rerum, innixum illi principio, *In dubijs tutiorem partem esse eligendam*, non tanquam obligatorio, sed tanquam optimo consilio.

Obijcies secundò Textum *in c. illud Dominus de cleric. excommunic. ministr.* vbi Episcopus quidam excommunicatus fuit, quia suam Ecclesiam reliquerat, & aliam occuparat, qui tamen sic excommunicatus diuinis se immiscuit, postea verò excessum suum recognoscens in præsentia Papæ constitutus, inter alia in sua excusatione proposuit, se non credere, quòd Episcopus posset, monitione non præmissa, aduersus eum procedere, quia non erat iudex ordinarius, sed delegatus. Item proposuit, se non credere priuatum esse officia diuina cele-

brare, cum ab eo comminatorias non accepisset, & cum ipsi, non nisi per famam, de sententia excommunicationis constaret; cui allegationi respondit Papa, *quòd licet non videatur omninò culpabilis extitisse, quia tamen in dubio via tutior est eligenda, & si de lata in ipsum sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiæ pertractare.* Vbi talis Episcopus videtur habuisse sufficientem rationem dubitandi, se non ligari excommunicatione, & tamen quia id dubium erat, vt culpabilis à Papa declaratur nulla alia ratione, nisi quia in dubijs tutior pars est eligenda.


2 Respondetur, debuisse talem Episcopum abstinere à celebrando, quia orto dubio de excommunicatione, debebat ad illud vincendum aliquam diligentiam facere, nullamque legitur fecisse, ac proinde tanquam temerarius violator puniri potuit: stante enim dubio, & non facta diligentia ad illud deponendum, tutior pars necessariò est eligenda, vti supra dicebam. Adde, quòd ex fama, sicut probantur matrimonij impedimenta, sic poterat & probari excommunicatio, saltem vt abstineret à celebrando.

3 Obijcies tertiò Textum *in c. Iuuenis de sponsalib.* vbi iuuenis, qui puellam nondum septennem accepit, & cum illa consummare tentauit (& si non potuit,) & postea consobrinam illius duxit, mandatur separari ratione impedimenti publicæ honestatis contracti, quod impedimentum dubium erat, quia erat dubium, an talia sponsalia valerent, quin præsumptio iuris erat pro illorum nullitate, sed quia in hoc dubio temerè se matrimonio copulauit (cùm in dubijs, quod certius est, tenere deberet) mandatur à Papa separari: ergo pars tutior est sequenda, neque prodest possessio.

Respondetur, matrimonij possessionem nihil iuueni profuisse, quia contraxit matrimonium dubius de valore sponsalium, sicquè mala fide; iudicauit autem Papa, matrimonium esse nullum, quia iudicauit, sponsalia priora esse

4 se valida; quæ iudicauit valida, quia vidit, malitiam Iuuenis suppleuisse eius ætatem; quod non leuiter collegit ex eo, quòd tentauit consummare, & ex alijs coniecturis, quæ licet non essent euidentes, erant tamen moraliter certæ, vt meritò Papa potuerit vi illarũ declarare, sponsalia, fuisse valida; sic Glos. & Præposit. *in illud cap.* Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 15. & Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de voto, cap.* 5. *num.* 2.

5 Adde cum Abb. & alijs communiter ibi, iuuenem illum maiorem esse septennio & puellam septennio proximam; cùm autem iuuenis maior septennio ducit minorem septennio, & eam traducit ad domum, oritur ex tali contractu impedimentum publicæ honestatis secundùm communem, & si aliquo modo dubiam, opinionem.



DVBITATIO II.

An, si quis post diligentem inquisitionem speculatiuè dubitat, vtrum lex, aut præceptum diuinum, vel humanum impositum sit, nec ne, interim ab obligatione immunis sit?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans speculatiuè post diligentem inquisitionem vtrum lex, vel præceptum impositum sit nec ne, interim est immunis ab obligatione.*
2. *Dubitans an extet præceptum de ieiunio in aliquo die si non habeat à quo possit certiorari, non tenetur ieiunare contra Vasq. & alios.*
3. *Lex ad sui obseruationem non obligat nisi sufficienter proposita, & cognita.*
4. *Factum non præsumitur nisi demonstretur.*
5. *Asserenti, non neganti aliquid factum incumbit probatio.*
6. *In dubio melior est conditio possidentis, & possessio propria libertatis fauet inuincibiliter ignoranti.*
7. *Quilibet est Dominus suarum actionum, & liberè in illis procedere potest dum se non cognoscit ligatum.*
8. *Dubitans an lex vel præceptum se extendat ad aliquem casum non obligatur ex ipsa lege, vel præcepto, perinde ac dubitet de ea an sit imposita nec ne.*
9. *Dubium an contractus sit licitus nec ne, non aufert exercitium actionis si tantum speculatiuè dubitans certus non est.*
10. *Sciens legem vel præceptum aliquod latum esse, sed dubitans de illius acceptione, non obligatur illam seruare.*
11. *Dubitans an hæc vel illa lex excommunicationem, suspensionem, irregularitatem, vel aliam pœnam imponens, vsu recepta sit, potest in conscientia eam partem sequi, quæ negat legem esse vsu receptam.*
12. *Dubitans an Bulla Clem. VIII. de largitione munerum sit vsu recepta non incurrit pœnas dictæ constitutionis.*
13. *Dubitans an extrauagans ambitiosæ Pauli II. contra alienantes bona Ecclesiastica sit vsu recepta non incurrit pœnas dictæ constitutionis.*
14. *Extrauagans ambitiosæ in multis locis secundum nonnullos DD. non est vsu recepta, nonnulli autem satis probabiliter id negant.*
15. *Lex in dubio an sit, vel non sit vsu recepta obligat in conscientia, quia præsumptio iuris stat pro ipsa.*
16. *Factum non præsumitur nisi demonstretur non habet locum quando præsumptio est potior facto.*

17. *Factum in dubio præſumitur, ſi illud de iure faciendum erat.*
18. *Delictum, & defectus non præſumitur, ſed demonſtrari debet.*
19. *Solemnitas contractus præſumitur ſi conſtet de contractu, puta de alienatione.*
20. *Libertas præſumitur actus ſi de actu conſtet, vt ſi de voto libertas vouentis.*
21. *Diſpenſatio in dubio potius valida cenſetur, quam inualida.*
22. *Poſſeſſio in dubio potius ſtat pro valore legis, vel alterius cuiuſque actus, quam pro nullitate ipſius.*
23. *Lex ſi dubitetur an fuerit abrogata, vel ob aliquas circumſtantias remiſſa obligat ſi conſtet quod fuerit poſita, & acceptata.*
24. *Dubitans an ob aliquam cauſam ſit liberatus à ieiunio debet adire ſuperiorem, qui ea de re ipſum certioret, ſi nolit adire tenetur ieiunare.*
25. *Dubitans an ſoluerit debita, vel ex aliqua cauſa excuſari poſſit à ſolutione, ſoluere tenetur.*
26. *Dubitans an lex impoſita ratione alicuius neceſſitatis, vel alterius circumſtantiæ ab ea eximatur debet probare ſuas exceptiones, alias tenetur.*
27. *Libertati fauendum eſt quoties non conſtat eam ligatam eſſe, & ideo in dubio an lex ſit, ſtandum eſt pro libertate.*
28. *Obligatus ad horarum canonicarum recitationem ſi dubitet, an eas perſoluerit, niſi deponat dubium, tenetur ad eas recitandas.*
29. *Epikheia intrat quotieſcumque quis dubitat ob aliquam particularem rationem legem caſum aliquem non comprehendere.*
30. *Certitudo cum nequeat haberi in moralibus, ſufficit ſequi iudicium probabile.*

Respondetur, ſi quis poſt diligentem inquiſitionem ſpeculatiuè dubitat, vtrum lex, aut præceptum
1 impoſitum ſit, nec nè, interim ab obligatione immunis eſt; v. g. ſi quis dubitet,
2 vtrum lex extet de alicuius diei ieiunio, & neminem habet, à quo id ſcire poſſit, ieiunare non tenetur. Ita contra Vaſq. 1. 2. *diſp.* 64. *cap.* 3. *& diſp.* 66. *cap.* 1. *in princip. & ex parte* contra Salaſ. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 23. *num.* 258. docent Henriq. *lib.* 8. *c.* 45. *num.* 3. *in Comment. lit. P.* Suar. *tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 36. *& lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 32. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 21. *num.* 4. & Sà. *verb. Dubium, num.* 2.

3 Probatur, quia lex ad ſui obſeruationem non obligat, niſi ſufficienter propoſita, & cognita fuerit: at quando quis poſt diligentem inquiſitionem, de lege, aut præcepto dubius manet, tunc legem, vel præceptum ſufficienter ſibi propoſitum, & cognitum non habet, ideóque inculpatè ignorat; Quare licèt abſtractè, & ſpeculatiuè dubius ſit de lege, vel præcepto, in particulari tamen, & practicè certus eſt, ſe eo non obligari.

4 Confirmatur, quia *factum non præſumitur, niſi demonſtretur*, ſicuti colligitur *ex l. in bello §. facta ff. de captiuis, & poſt limin. reuerſ. &*
5 *ex l. 2. ff. de Probat*, vbi habetur: *Ei incumbit probatio, qui dicit, ſeu affirmat aliquid factum, non qui negat.*

Confirmatur ſecundò, quia in dubio me- 6
lior eſt conditio poſſidentis; at quandiù inuincibiliter ignorat homo, an lex lata ſit, nec nè, eſt in naturali poſſeſſione liberæ ſuæ voluntatis, ergo, &c. Quilibet enim ſuarum ac- 7
tionum eſt Dominus, & liberè in illis procedere poteſt, dum ſe non cognoſcit ligatum; at qui poſt factam diligentiam dubius eſt de lege, vel præcepto, ſe non cognoſcit ligatum, ergo in hoc dubio poſſeſſio eſt pro libertate: Idem- 8
que dicendum eſt, ſi dubium fuerit, an lex, vel præceptum ad aliquem caſum ſe extendat; quia tunc, perindè eſt, ac dubitare de lege, an ſit impoſita in tali caſu; Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 31. & Salaſ. *num.* 258.

Hinc, ſi quæſtio, vel dubium ſit inter Do- 9
ctores, vtrum aliqua actio, v. g. contractus licitus ſit, nec nè, poteſt homo talem actionem exercere, quamdiù ſpeculatiuè certus non eſt, ſed dubius de eius prohibitione, aut malitia.

Idem dicas, ſi certus eſt homo, præceptum, 10
vel legem latam eſſe, ſed dubius, an illa acceptata ſit; idque propter eaſdem rationes dictas; quia lex non obligat, niſi ſit acceptata; tùm quia factum (qualis eſt legis acceptatio) non præſumitur, niſi demonſtretur; tùm quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; At poſſeſſio non ſtat pro lege, ſi adhuc non conſtat, quòd fuerit acceptata; quia tunc non conſtat de lege impoſita, ac proinde non poſſidet: vbi enim dubium eſt, an aliquando fuerit vſu recepta, eſt dubium, an aliquando obligauerit; quia ad hoc, vt obliget, debet neceſſariò recipi, vt ex probabili docet Dominic. *in c. in iſtis §. leges 4. diſt. & in c. 2. de Conſtit.* Felin. *in c. 2. de Tregu.* & Pac. *num.* 11. *& ſeqq.* Nauarr. *cap.* 23. *num.* 4. Rebell. *de obligat. iuſtit.* 1. *part. lib.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 7. & alij; Si ergò dubium eſt, an aliquando obligauerit, dubium eſt, an aliquando fuerit vera lex, & conſequenter non poſſidet; Idem dicas à fortiori, quoties dubitas de promulgatione legis, an fuerit facta; quia lex non poteſt eſſe ſine promulgatione, §. 1. *in authent. vt factæ, & in §. is autem inſtitut. de contrah. emption.* & probat rectè Decius *in rubric. de conſtit. num.* 36. Atque ità docet Salaſ. *in p.* 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 18. *num.* 169. (quamuis poſtea contrarium doceat *in tract. de legib. quæſt.* 69. *tract.* 14. *diſp.* 13. *ſect.* 5. *num.* 22.) Moura *opuſc.* 1. *de Enſal. & incant. ſect.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. Azor. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæſt.* 12. vbi ait, quòd ſi quis dubitet, an hæc, vel illa lex excommunicationem, ſuſ- 11
penſionem, irregularitatem, vel aliam pœnam imponens, vſu recepta ſit, poteſt in conſcientia eam partem ſequi, quæ negat, legem eſſe vſu receptam v. g. (cum dubitent nonnulli Doctores, an Bulla Clementis VIII, de 12
Largitione munerum, ſit vſu recepta) ſi quis contra prædictam Bullam operatur, non incurrit in conſcientia pœnas, ibi contra oppoſitum facientes, indictas; Idemque, quin multò magis dico de Extrauag. Ambitioſa Pauli II. contra alienantes bona Eccleſiaſtica; 13

cùm Couar. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *num.* 6. Sylu. *verb. alienatio*, *quæst.* 13. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 150. & Less. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 11. *num.* 69.
14 non improbabiliter putent, dictam Bullam, in multis locis non esse vsu receptam.

Contrarium tamen satis probabiliter, quinimò ex communiori, & forsan etiam probabiliori sententia tenent alij, vt Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *num.* 35. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 164. Bonac. *de Legib. disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 44. *& disp.* 2. *de pecc. quæst.* 4. *punct.* 7. Merol. *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *coroll.* 8. *num.* 129. Alphons. de Leone *de potest. confess. par.* 1. *recollect.* 17. *num.* 35 nempè quod in dubio, an lex sit vsu recepta, obligat in conscientia.

15 Ratio, quia cùm de lege constet, pro eà stat possessio, & iuris præsumptio; ergo vt ab eius obligatione eximaris, tibi incumbit onus probandi, non esse vsu receptam; tum quia licet factum non præsumatur, nisi demonstretur; hoc ipsum tamen limitationem habet; nempè nisi præsumptio potius sit, quod factum fuerit. Quò spectat altera regula apud
16 Mascardum *volum.* 2. *de probat. conclus.* 734. Glos. *in citat. l.* 2. *ff. de probat.* & alteram Glos. *in l. contrahenda. ff. de reg. iur. Factum*
17 *in dubio præsumitur, si illud de iure faciendum erat.* Et ratio est, quia magis est, vt existimemus, aliquem munus suum rectè obijsse; & in eo, quod egit, nihil necessarium omisisse; & sic subditos legem sui superioris acceptasse,
18 quàm fuisse oppositum: *delictum enim, & defectus non præsumitur, sed demonstrari debet.*

19 Quapropter, si constet, alienationem aliquam factam esse, in dubio præsumitur omnem necessariam solemnitatem adhibitam fuisse.

20 Item si constet hominem quid egisse, v. g. Deo vouisse, præsumitur deliberatè egisse, contra Alphonsum de Leone *in tract. de potest. Confess. par.* 1. *recollect.* 17. *concl.* 8. *num.* 93. quia id natura inest, vt homo deliberatè agat;

21 Item si obtenta sit dispensatio, præsumitur in dubio, quod valeat potiùs, quàm pereat: & sic de alijs, &c.

22 In dubio igitur dicendum est, quod in his casibus, & similibus potius stet possessio pro valore legis, vel alterius cuiuscumque actus; atque ita colligitur etiam *ex. c. Abbate de verb. significat.* & notant Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 25. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 23. & Sanctarell. *tom.* 1. *var. resolut. quæst.* 59. contra Doctores, quos refert, & sequitur Meroll. *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *diff.* 3. *coroll.* 14. *num.* 178.

23 At, quidquid sit de hoc, illud tamen certum est, quòd si constet de lege posita, & acceptata, dubium autem sit, an fuerit abrogata, vel ob circumstantias alias cesset eius obligatio, tunc obseruanda est, iuxtà ea, quæ dicam infrà *dubit.* 41. & docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 6. *ad* 2. *&* 2. 2. *quæst.* 120. *art.* 1. *ad* 3. Caiet. *cit. art.* 6. & Medin. *ibidem propos.* 3. Io. Medin. *Cod. de ieiun. quæst. de his, qui ieiunare tenentur*, vbi docent, quod si quis dubitet, vtrum ab obligatione ob aliquam cau-
24 sam sit liberatus, superioris iudicio acquiescere debet; si autem Superiorem adire nolit, vel non possit, legem seruare tenetur. Ratio, quia cum semel constet, legem positam fuisse, & acceptatam, præsumptio, ac veluti possessio stat pro lege, ita vt si quis contra eam excipere velit, probandæ exceptionis necessitas ipsi incumbat: factum enim, qualis est abrogatio, &c. (vt supra dicebatur) non præsumitur, nisi demonstratur: tùm quia in dubio melior est conditio possidentis, & consequenter legis, quæ in tali casu cœpit iam possidere.

Similiter in obligationibus ex contractu, 25 vel delicto, si certus sis, debitorem te semel fuisse, dubites autem modò, an solueris, vel ex alia causa excuseris à solutione, soluere teneris; atque ita docet Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 340. qua de re tamen vide infrà *dubitat.* 48. *sect.* 3.

At quid dicendum, si certus sis de lege imposita, dubites tamen, an ratione alicuius necessitatis, vel alterius circumstantiæ, ab ea 26 eximaris?

Respondetur (quamuis Salas. *cit. sect.* 25. *num.* 19. & alij putent, te non teneri, & quidem probabiliter, si lex est tibi incommoda, & molesta; quia in tali casu fauendum est libertati, quantum possumus, sicque habemus pro libertate iudicare, quoties dubium est, an lex obliget) probabile etiam esse, te teneri, quia constat legem ipsam, sicque eius obligationem possidere; ergo vt censearis ab ea excusatus, probare debes exceptionem; ergo immeritò ab obligatione certa te vis eximere excusatione dubia. Med. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 6. Decius, Alciatus, Surdus, & alij, quos citat Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 34. *& lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 37. & Io. Sanch. *disp.* 83. *num.* 8. vide etiam infrà *dubit.* 42.

Idemque dico, si dubites, an abrogata sit lex, vel in ea dispensatum; quia tunc etiam lex possidet, sicque etiam tunc probare debes exceptionem, vt eximaris, vti suprà dicebam, & docent vterque Sanch. & Salas. *cit. disp. vnic. sect.* 26. *num.* 265. & si non satis consequenter.

Ad oppositum respondetur, libertati fauen- 27 dum esse, quoties non constat, ligatam esse; sed cum constat de lege, constat de vinculo, sicque illi, vti possidenti, in dubio fauendum est.

Hinc à fortiori teneris etiam legi, si certus sis de illa, & dubius, an satisfeceris, v. g. certus es, te teneri quotidie officium recitare, dubitas, an satisfeceris, teneris, dum non deponis dubium, recitare; quia obligationi cer- 28 tæ non potest satisfieri solutione dubia, Med. *Cod. de oration. quæst. de horis iterandis*, Ledesm. *par.* 4. *quæst.* 26. *art.* 6. *in* 2. *par. dub.* 3. Nauar. *in. c. si quis autem de pœnit. dist.* 7. *num.* 76. Sanch. *lib.* 9. *moral. cap.* 10. *num.* 12. Rebell. *de obligat. iust. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 9. *&* 2. *par. lib.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 2. *num.* 13.

Arbitror tamen, (si quis re diligentèr con- 29 siderata, non omninò ambigat, sed probabilitèr operetur, quamuis cum formidine, etiam maiori, partis oppositæ, se ob aliquam causam à legis obseruatione excusatum, atque adeò legislatoris mentem non fuisse, talem ca-

ſum particularem comprehendere in ſua lege) tunc locum eſſe epikeiæ, vt praticè iudicare poſſit, ſe ad legis obligationem in tali caſu non teneri. Atquè ità docent S. Anton. *par.* 1. *tom.* 3. *cap.* 10. §. 10. Guttier. *lib.* 1. *canon.* 99. *cap.* 31. *num.* 41. Medin. *loc. cit. prop.* 4. Cordub. *lib.* 3. *quæſt.* 13.

30 Ratio eſt, quia in moralibus, cum certitudo in illis haberi non poſſit, ſufficit ſequi iudicium probabile; nam hoc ipſo homo operatur non temerè, ſed prudenter, atquè adeò ſine peccato.

Itaque breuitèr regula ſit, quod *factum in dubio non præſumitur, niſi demonſtretur* excipe, *ſi illud faciendum erat*; tunc enim præſumitur, eſſe factum, ex qua regula, ſicut & ex altera (quod ſcilicet *in dubio melior ſit conditio poſſidentis*) varij caſus reſolui poſſunt, quare ſit.



DVBITATIO III.

An in dubio de iuramento, voto, vel promiſſione tenearis ad iuramentum, votum, vel promiſſionem.

SVMMARIVM.

1. *Dubitans an Deo aliquid vouerit, vel promiſerit, non tenetur niſi conſtet de voto, & promiſſione.*
2. *Dubitans an iuramentum, votum, promiſſionem, vel aliam obligationem adimpleuerit quia præſumptio ſtat pro obligatione, tenetur adimplere contra Vaſquez, & alios DD.*
3. *Vinculum, ſiue obligatio voti, iuramenti, promiſſionis &c. adſtruenda non eſt niſi liquido conſtet.*
4. *Regula illa nemo ſoluere cogitur, antequam demonſtretur eſſe debitor, etiam in hoc animæ iudicio locum habet.*
5. *In foro externo, & iudiciali nemo cogitur ſtare promiſſis, dum de promiſſione non conſtat.*
6. *Volenti nubere ſi quis obijciat votum caſtitatis, tenetur illud probare.*
7. *Vbi agitur de obligatione contrahenda facienda eſt ſtricta interpretatio.*
8. *Vbi partium ſunt iura obſcura fauendum eſt potius reo quod Actori.*
9. *Dubitans vouiſſe ſi inclinet potius ad vnam partem quam ad aliam ob aliquam rationem, puta ſi ei probabile ſit vouiſſe, & de contrario ſit tantum formido, tenetur implere, ſecus eſt ſi rationes ſint æquales pro vtraque parte.*
10. *Poſſeſſor bonæ fidei rem, de qua dubitat num ſua ſit, reſtituere non tenetur priuſquam moraliter certus fiat alienam eſſe.*
11. *Regula in dubio melior eſt conditio poſſidentis habet locum non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed cuiuſcumque virtutis, quia iura, ex quibus deſumitur indiſtinctè loquuntur.*

12. *Quilibet habet ius latè ſumptum circa proprias actiones, vt poſſit illis libere, & ſine obligatione exercere.*
13. *Obligatio ſequi tutiorem partem non intrat in dubio merè ſpeculatiuo ſiue ſit facti, ſiue ſit iuris, ſed ſolum attenditur ea conuenientia.*
14. *In dubio facti de homicidio tutior pars eſt eligenda quoad irregularitatem ob reuerentiam rerum ſacrarum.*
15. *Opinans probabiliter ex aliquo motiuo ſe votum ſoluiſſe, horas canonicas recitaſſe, miſſam audiuiſſe, ad nihil tenetur.*
16. *Operans probabiliter, non operatur temere, ſed prudenter ex motiuo ſcilicet rationali; atque adeo non peccat.*

Reſpondetur: ex dictis *Dubit.* 1. & 2. in dubio, num Deo aliquid iuraueris, voueris, vel homini promiſeris, non es obligatus; ſi autem è cõtra conſtet de iuramento, voto edito, vel promiſſione, aut donatione facta, dubites autem, an iuramentum, votum, vel promiſſionem adimpleueris, vel an donatio remiſſa, aut qualicumque debito ſatisfactum ſit, teneris, & præſumptio ſtat pro obligatione. 1 2

Priorem partem contra Vaſq. 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 65. *cap.* 3. *in fin.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 10. & *lib.* 11. *cap.* 15. *quæſt.* 2. Perez *certam.* 10. *dub.* 2. *num.* 132. Cordub. *ſumm. quæſt.* 147. Sayrum *in clau. Reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 36. Salaſ. (ſi votum, vel iuramentum non eſt de re nimis incommoda, & moleſta) 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 17. *nu.* 162. & *ſect.* 25. *num.* 252. & *ſeqq.* & alios; docent Sot. *lib.* 7. *de Iuſt. quæſt.* 3. *art.* 2. Lopez *par.* 1. *cap.* 45. Suar. *lib.* 4. *de voto cap.* 5. & *de cenſ. diſp.* 40. *ſect.* 5. & 6. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 42. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 36. & *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 16. Barth. Medin. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 7. Sà. *verb. dubium num.* 2. Graffis *deciſ. lib.* 2. *cap.* 31. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 11. *num.* 5. & *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 45. *num.* 3. *in comm. litt. P.* Man. *tom.* 2. *ſum. cap.* 99. *num.* 5. Reginald. *in practic. tom.* 2. *lib.* 18. *num.* 176. Villalob. *tract. de conſcient. diff.* 21. Io. Sanch. *diſp.* 43. *num.* 1. Rebell. *de Iuſtit. part.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 13. Salaſ. ſuprà (ſi votum eſt de re moleſta, & oneroſa, vt ferè ſemper contingit) fauetque Gloſ. *in c. ex parte de Cenſib.* 3

Probatur, quia factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet; tum quia vinculum, ſiuè obligatio voti, iuramenti, promiſſionis &c. aſtruenda non eſt, niſi liquidò conſtet, *argum. l. quidquid, ff. de verb. obligat.* Et ratio eſt quia ſumus in odioſis; quare regula illa, (quæ in foro externo vſurpatur) *nemo ſoluere cogitur, antequam monſtretur eſſe debitor*, etiam in hoc animæ iudicio locum habet: in vniuerſum enim ſemper iniquum videtur, cogi promittentem ad certam ſolutionem, quin probetur promiſſor extitiſſe; quare in foro externo, & iudiciali nemo promiſſis cogitur ſtare, dum de promiſſione non conſtat (ſi enim alicui volenti nubere obijcias vouiſſe caſtitatem, dum non probas votum, non cogitur à matrimonio deſiſtere), ergo neque in foro conſ- 3 4 5 6

cientiæ cogendus est votum seruare, si in foro,
7 conscientiæ non constat. Item, vti dicebam, vbi tractatur de obligatione contrahenda, facienda est stricta interpretatio, *cit. l. quidquid ff. de verb. obligat, & c.* 1. *de Iur. iur. in*
8 *6.* Fauetque, *reg.* 1. *de Reg. iur. in 6. vbi partium sunt iura obscura, reo fauendum est potius, quàm actori*; ergo cum vouens, & promittens sit reus, ei potiùs in casu dubij fauendum est.

9 Hæc ratio probat, te non esse obligatum, etiam si inclines magis, te vouisse, dummodò semper maneas dubius, sic vterque Sanchez suprà; sed si probabile tibi sit, vouisse, & de contrario solum sit formido, neque vales assensum præstare, teneris promissione, quia iam est moralitèr certum, te esse debitorem; si autem pro vtraque parte habes rationes probabiles, poteris sequi partem, quam malueris, vt de se patet, Sanch. *lib. 6. disput. 9. num.* 11. Suar. *lib.* 4. *de vot. cap.* 5. *num.* 5., & Io. Sanch. *disp.* 43. *num.* 2.

Ex his igitur quod docent vterque Sanchez *loc. cit.*, & alij contra Rebellium *par.* 2. *de obligat. iust. lib.* 1. *quæst.* 1. *sect.* 2. *num.* 10. verum est, vti dicebam etiam si homo magis inclinet in eam partem, quod vouerit, vel promiserit &c. idquè propter idem principium,
10 sicut, vti dicam infrà *dubit.* 17. bonæ fidei possessor, rem, de qua dubitat, num sua sit, restituere non tenetur, priusquam moraliter certus fiat, alienam esse; quia possessio præponderat inclinationi, etiam maiori, ad partem oppositam.

Obijcies. Extrà materiam iustitiæ debet eligi tutior pars, cùm extrà illam non detur possessio.

11 Respondetur: cum Suar. supra *num.* 8. & *seqq.* regulam illam, *in dubio melior est conditio possidentis*, habere locum non solum in materia iustitiæ, sed cuiuscumque virtutis; quia iura, ex quibus desumitur, indistinctè loquun-
12 tur, & constat *ex regula in pari 65. de reg. iur. in 6.* tùm etiam quia quilibet habet ius latè sumptum circà proprias actiones, vt possit illas liberè, & sine obligatione exercere; ergo dum non probatur, illas debere, stat præsumptio pro libertate.

Obijcies 2. licet non sit obligatio, sequi partem tutiorem in dubio iuris, est tamen obligatio sequi illam in dubio facti, præcipuè in foro conscientiæ (sicuti docent Io. Andr. Cardin. Anan. & Soccin. *in c. ad audientiam de homicid. num.* 46. Abb. *ibidem num.* 2. & Felin. *num.* 17. nam ideò in dubio homicidij facti censetur quis irregularis) sed dubium, an votum, iuramentum, &c. emiseris, est dubium facti: ergo.

13 Respondetur neque in dubio iuris, neque in dubio facti, si dubium sit speculatiuum, obligationem esse semper sequi partem tutio-
14 rem, sed id esse conuenientius; in materia autem irregularitatis ex homicidio in dubio facti ob specialem rerum sacrarum reuerentiam pars tutior sequenda est, vt dicebam supra *dubit.* 1. *ad finem*, & dicam infrà *dubit.* 14.

Secunda pars est communis, & probatur ex tradita regula; nam executio voti, vel alterius obligationis, sicut & remissio donationis, &c. est quid facti, quod in dubio non præsumitur, sed debet demonstrari. Atque ita ex communi docent Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. *in fin.* & Sanch. *cit. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 12.

Cæterum, si quis probabiliter ex aliquo motiuo opinetur, se votum soluisse, horas canonicas recitasse, missam audiuisse, &c. arbitror, eum ad nihil teneri: quia cùm in moralibus sæpè haberi non possit certitudo, sufficit si in ijs probabile sequamur iudicium, præsertim quia qui probabilitèr operatur, non operatur temerè, sed prudenter, ex motiuo scilicet rationabili, atquè adeò non peccat. 15 16

Sed de huiusmodi alijs iuramenti, voti, vel, promissionis dubijs vide infra *dubit.* 40. 41. & 42.




DVBITATIO IV.

An in dubio de actu præsumatur actus?

SVMMARIVM.

1. *Actus in dubio non præsumitur v. g. donationis, legati, dispensationis, remissionis &c.*
2. *Actus validitas præsumitur si de actu facto constet.*

Respondetur ex dictis ibidem: in dubio de actu non præsumitur actus v. g. donationis, legati dispensationis, remissionis, &c. interuenisse scilicet huiusmodi actum; si autem constat aliquid horum factum esse, potiùs est, vt validum, quàm vt irritum iudicetur, *argu. c. Abbate de verb. signif. & l. quoties* 2. *ff. de reb. dub.* secundùm Glos. receptam *l. in contrahenda ff. de reg. iur.* docet Sanch. *lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 25. 1 2



DVBITATIO V.

An qui post adhibitam debitam diligentiam dubitat, vtrum 21. annum expleuerit, ad ieiunium teneatur.

SVMMARIVM.

1. *Dubitans post adhibitam diligentiam an expleuerit vigesimum primum annum, ad ieiunium non tenetur.*


2. *Poſſeſſio in dubio de obligatione ieiunij in caſu quo dubitetur de ætate ſufficienti ſtat pro libertate, non pro præcepto.*
3. *Dubitans poſt factam debitam diligentiam an hodie ſit dies ieiunij, vel feſtus, non tenetur ieiunare, vel ab operibus ſeruilibus abſtinere, & Miſſam audire.*
4. *Ante punctum completæ ætatis ſi quis non violauerit ieiunium, tenetur ſatis probabiliter ieiunare contra aliquos DD.*
5. *Præceptum ieiunij reſpicit totum diem integrum, vt indiuiduum objecti, quæ ratio militat contra prædictos DD. quia qui exemptus fuit pro aliqua parte diei eximitur pro toto.*
6. *Initiatus in aliquo die ſacris, non eſt totaliter immunis ab horarum canonicarum obligatione in illo die; Sed tenetur ad veſperas, quia ab his incipit, & diuiſibiliter officium ſubſequentis diei, & ita non canit eadem ratio an in die ieiunij.*

1 Reſpondetur. ex dictis ibidem: qui poſt adhibitam diligentiam dubitat, an vigeſimum primum ætatis annum expleuerit, ad ieiunium non tenetur Atque ita docet Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp.* 41. *num.* 38. Fagundez *præc.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 7. Sancius *in ſelect. diſp.* 43. *num.* 6. Naldus *verb. dubium num.* 25. Palaus *tom.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 8. *num.* 7. Alphons de Leon. *de offic. & poteſt. confeſſ. part.* 1. *recoll.* 15. *num.* 22. quia factum (quale eſt prædictum vigeſimi primi anni tempus eſſe expletum) non præſumitur, niſi probetur: & poſſeſſio in tali caſu non eſt pro præcepto ieiunij, ſed pro libertate dubitantis; ſiquidem ante dubium eſt in libertate non ieiunandi, qua libertate priuari non poteſt ob præceptum dubium.

2 Hinc ſequitur, quòd ſi facta debita diligen-
3 tia quis dubitat, an hodie ſit dies ieiunij, vel dies feſtus, &c. non tenetur ieiunare, vel ab operibus ſeruilibus abſtinere, & Miſſam audire, propter eaſdem rationes; vt rectè notauit Suar. *de cenſ. diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15.

Adde, quod ſatis probabiliter contra Sanch. *loc. cit. diſp.* 24. *num.* 21. & Portell. *in addit. ad dubia Regul. verb. Ieiunium, num.* 1. (qui tenent, quòd ſi quis ante punctum impletæ ætatis, ieiunium non violauerit, tenetur in illa die illud ſeruare; quia tranſacto eo pun-
4 cto præceptum incipit obligare, quod alias poteſt ſeruari in eadem) die oppoſitum docet Sanc. *in ſuis ſelect. diſp.* 54. *nu.* 4. Et ratio eſt, quia præceptum ieiunij reſpicit totum diem integrum, vt indiuiduum objectum: non enim
5 per præceptum jejunij præcipitur, dimidiam, vel quartam partem diei ieiunari, ſed totum diem; ergò, qui exemptus fuit à ieiunio per aliquam partem diei, eximitur ab illo per totum diem: cum præceptum huiuſmodi, vel totum diem comprehendere debeat, vel nullam partem diei.

6 Non ſic, qui ſacris eſt initiatus in aliquo die, immunis eſt totaliter ab horarum canonicarum obligatione in illo die; ſed dicendum eſt potiùs, quòd teneatur ad veſperas, quia ab his incipit (& diuiſibiliter) officium ſubſequentis diei.



DVBITATIO VI.

An qui dubius eſt, an compleuerit annum decimum ſextum, quando emiſit profeſſionem, ad illam teneatur.


SVMMARIVM.

1. *Dubitans an compleuerit decimum ſextum annum quando profeſſionem emiſit, ad illam non tenetur.*
2. *Dubitans ſi religionem vouerit, votum à Patre, vel Tutore, vel ab eo, ſub cuius cura quomodocumque exiſtit irritari poteſt.*
3. *Ætatis mutatio eſt quid facti, & ideò non præſumitur niſi demonſtretur.*
4. *Superior in dubio non eſt ſpoliandus iure, & auctoritate ſua.*
5. *Dubitans an expleuerit ſeptennium quando emiſit votum ad illud non tenetur.*



Reſpondetur ex dictis ibidem: Qui dubius eſt, an compleuerit annum ætatis ſextum decimum, quando profeſſionem emiſit, ad illam non teneatur, quin imò ſi ſimiliter dubius Religionem vouit, votum à patre, vel tutore, vel ab eo, ſub cuius cura quomodocumque exiſtit, irritari poteſt: nam hæc ætatis mutatio eſt quid facti, quod non præſumitur, niſi demonſtretur. Adde, quòd in dubio ſuperior non eſt ſpoliandus iure, & auctoritate ſua. Atque ità docet Sanch. *de matrim. lib.* 2. *cit. diſp.* 41. *num.* 39. 1 2 3 4

Vndè inferas, quòd in dubio, an expleuerit ſeptennium, quando quis emiſit votum, ad illud non tenetur. Vide Malderum *in* 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 1. 5



DVBITATIO VII.

An dubius vtrùm 24. annum compleuerit, à Presbyteratus ordine abſtinere debeat?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans an compleuerit vigeſimum quartum annum debet abſtinere à Presbyteratus*

ordine pluribus rationibus quas allegat, præsertim propter reuerentiam Sacramenti, ne contingat aliquem contra sacros canones ante legitimam ætatem ordinari.

2. *Episcopus ab ordinandis certum ætatis testimonium exigere solet.*

3. *Dubitans an habeat legitimam ætatem ad cæteros ordines, vel ad beneficia vel ad alium actum requisitam, propter easdem rationes debet abstinere.*

4. *Ius certum ad non suscipiendos ordines ante legitimam ætatem, non debet vinci à iure dubio superueniente, & sic possessio stat pro præcepto.*

1 Respondetur ex dictis ibidem: Dubius, vtrum vigesimum quartum annum compleuerit, à Presbyteratus ordine abstinere debet; partim, quia factum in dubio non præsumitur; partim propter reuerentiam Sacramenti, ne contin-
2 gat, hominem contra sacros canones ante legitimam ætatem ordinari; partim etiam, quia toto tempore antecedenti dubium, obligatus erat non ascendere ad ordinem Presbyteratus ante ætatem: ergo non poterit illo præcepto deobligari, dum non probat ætatem; Quapropter Episcopus ab ordinandis certum ætatis testimonium exigere solet; Et ita docet Sanch. *vbi supra nu.*41. Fagundez, Palaus, Sancius, *in select.* Naldus, Alphons. de Leone. *in loco suprà cit.*

3 Idem dicendum, si quis dubitat, an habeat legitimam ætatem ad cæteros ordines, vel beneficia, vel ad alium actum requisitam; idque propter easdem rationes; & sic possessio in his casibus est pro præcepto: ideoque est illud seruandum, donec constet de ætate: semper enim extat præceptum negatiuum non assumendi Ordines ante ætatem: ergò (cum
4 volens suscipere ordines toto tempore antecedente dubitationem habuerit) ius certum ad non suscipiendos ordines non debet vinci à iure dubio superueniente.

DVBITATIO VIII.

An dubius, vtrum in die ieiunij medium noctis transierit, carnibus vesci possit.

SVMMARIVM.

1. *Dubitans in die ieiunij vtrum medium noctis transierit, carnibus vesci non potest, nisi de media nocte transacta certior reddatur.*

2. *In die ieiunij procedit supradicta conclusio superueniente fine eiusdem, at non sic in incipiendo ieiunio, vbi quis pergere potest vescendo carnibus donec dubitet an medium noctis transierit.*

3. *Sacerdos dubitans an medium noctis cœnando excesserit, potest sequenti die, etiam ex deuotione, & nulla cogente necessitate sacrificium facere.*

4. *Lex Ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando non videtur tam arctè obligare conscientias in casu dubio, cessante autem eiusdem, legis obligatione non est irreuerentia cum tali dubio communicare, contra Sanch. & alios.*

5. *Dubitans de aliqua circumstantia, quæ ad substantiam Sacramenti pertinet,* & *ab Ecclesiæ voluntate non dependet debet abstinere.*

6. *Dentibus quidpiam masticans si dubitet an deglutiuerit, debet abstinere propter reuerentiam Sacramenti.*

7. *Horologia vbi sunt varia, & vnum sonat mediæ noctis horam, aliud vero valdè posticipat, dummodo non sit communiter reputatum errans, si post primum horologium quis soluerit ieiunium naturale, & non post secundum poterit communicare, vel sacrum facere sequenti die, contra nonnullos DD.*

8. *Secus quando vnum tantum horologium reduplicat pulsus quia in primo pulsu completur hora, cum cæteri pulsus ad indicandum sint inducti.*

Respondetur ex dictis ibidem: Dubius in die ieiunij vtrum medium noctis transierit, carnibus vesci non potest, nisi de media nocte transacta certior reddatur; E contra autem, si sequenti die ieiunium erit, pergere potest vescendo carnibus, donec dubitat, an medium noctis transierit, ità Sanch. *num.* 40. Salas. 1. 2. *tom.* 1. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 25. *num.* 264. Fagund. *par.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. Naldus *verb. Dubium num.* 25. Sancius *in select. disp.* 43. *num.* 5. Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 8. *nu.* 6. quia factum non præsumitur, nisi probetur: & in posteriori casu ius, & possessio stat pro libertate comedentis: in priori autem pro præcepto, cum constet hodiernum diem esse ieiunij, & dubitetur, an transacta sit hora; dubium autem ius præualere non debet contra ius certum. 1 2

Item dubitans Sacerdos, an medium noctis cœnando excesserit, potest sequenti die etiam ex deuotione, & nulla cogente necessitate, sacrificium facere; tum quia factum in dubio non debet præsumi, nisi probetur; tum quia lex Ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando, non videtur tam arctè obligare conscientias in casu dubio; cessante autem obligatione legis Ecclesiasticæ, non est irreuerentia cum tali dubio communicare, Medin. *in summ. in declarat.* 3. §. 42. Sà. *verb. Eucharistia, num.* 28. & Sanch. *in select. disp.* 42. *num.* 1. *& seqq.* (quidquid in contrarium cum alijs dixerit Sanch. *in loc. supra cit.*) Alia autem ratio est si dubitetur de aliqua circumstantia, quæ ad substantiam Sacramenti pertinet, & ab Ecclesiæ voluntate non dependet. 3 4 5

Item si dentibus quidpiam masticans dubitat, an deglutiuerit, à sacra communione abstinere non tenetur, propter easdem rationes, Medina, Sà, & Sanch. *in select. in locis suprà citat.* 6

Vbi aduerte, quòd si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediæ noctis, aliud 7

vero, non poteſt, qui tunc ſoluit ieiunium naturale ſacrum facere, vel communicare ſequenti die; quia eſt (niſi fortè aliquod horologium ſit communiter, vt errans, reputatum) veluti ac ſi eſſent duæ rationes, vel opiniones probabiles, quarum qualibet vti quis poteſt in operando. Atque ita contra Salaſ. 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 25. *num.* 264. & Meroll. *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *Corollar.* 11. *num.* 139. tradunt Sanch. *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 41. *num.* 40. Fagund. *præc.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. Vega *tom.* 1. *cap.* 14. *caſ.* 12. Pharaon. *tract. de Sacram. Pœnit. in appendice ſeſſ.* 3. *caſ.* 14. Io. Sanch. *diſp.* 42. *num.* 3. *& diſp.* 43. *nu.* 5. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 21. *num.* 7. qui ſubdunt, & rectè, horam mediæ noctis compleri, cum primus pulſus ſonat: nam, quia non poteſt ea vno pulſu indicari, ideò multiplicantur pulſus: quare ſi quis poſt primum pulſum biberit, communicare non poteſt, Sanch. *cit. diſ.* 41. *num.* 40. Salaſ. *num.* 264. Garſia *de Benefic. tom.* 1. *par.* 5. *cap.* 1. *num.* 524. *& ſeqq.* Villalob. *diff.* 21. & Io. Sanch. *in ſelect. diſp.* 42. *num.* 19.

DVBITATIO IX.

An ſi quis peccatum commiſit certò, dubitat autem, an illud confeſſus fuerit, teneatur peccatum confiteri?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans an confeſſus fuerit peccatum commiſſum, ita vt nec probabiliter iudicare poßit ſe debito confeßionis ſatisfeciſſe, tenetur peccatum confiteri.*
2. *Dubitans poſt diligentem diſcuſſionem an peccauerit mortaliter, probabiliter non tenetur tale peccatum ſub dubio confiteri.*
3. *Delictum in dubio non præſumitur.*
4. *Accuſari in nullo foro aliquis debet de delicto, quod illum commiſiße oſtendi non poteſt, niſi data indicia, & coniecturæ aſſenſum generent.*
5. *Confiteri vt quis teneatur de peccato, requiritur vt ſaltem probabiliter poſſit iudicare ſe peccaſſe.*
6. *Dubitans de ſua contritione ſi ſit in periculo mortis tenetur ex charitate ſub mortali de tali peccato dubio confiteri, ne ſe exponat periculo damnationis, ſecus ſi facta diligenti omnium quorum recordatur confeſſione, taceat illud de quo dubitat.*
7. *Peccata, quæ ignorantur, dummodo reliqua ſint bona fide confeſſa per accidens remittuntur.*
8. *Dubitans an confeſſus fuerit mortale licet diſputando dixerim non teneri ad confitendum, in praxi tamen non eſt conſulendum.*

RESpondetur ex dictis ibidem: Si quis peccatum commiſit certò, dubitat autem, an illud confeſſus fuerit (ita vt nec probabiliter iudicare poſſit, ſe debito confeſſionis ſatisfeciſſe) tenetur peccatum confiteri. Atque ita ex communi docet Nauarr. *cap.* 9. *num.* 14. Suar. *tom.* 4. *diſp.* 22. *ſect.* 9. *num.* 7. 1

Similiter ſi quis poſt diligentem diſcuſſionem dubius ſit, an peccauerit mortaliter, probabiliter non tenetur tale peccatum ſub dubio confiteri, tùm ob principium datum, tùm quia in dubio delictum non eſt præſumendum, & in nullo foro aliquis accuſari debet de delicto, quod illum commiſiſſe, oſtendi non poteſt, ita vt data indicia, & coniecturæ aſſenſum generent; tum quia ad hoc, vt quis peccatum teneatur confiteri, requiritur, vt ſaltem probabiliter poſſit iudicare, ſe peccaſſe; ſicuti colligitur *ex Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. vbi ad ſeruandam confeſſionis integritatem ſolum exigit, quòd à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, recenſeantur. Atque ita docet Coninch. *tom.* 2. *de Sacram. diſp.* 7. *dub.* 8. *concl.* 2. 2 3 4 5

Aduerte tamen, quod ſi homo ſit in periculo mortis, & dubius de ſua contritione, tenetur tunc ex charitate circa ſe ipſum ſub mortali de tali peccato dubio confiteri, ne ſe exponat periculo damnationis, ſi Sacramentalem confeſſionem de illo non inſtituit: ſin verò, ſeu appropinquante periculo mortis, ſeu in decurſu vitæ alia peccata ſua, quorum conſcientiam habet confitetur, tacito illo, de quo poſt diligentem inquiſitionem dubitat, an commiſerit, vel an fuerit mortale, tunc probabile eſt, non eſſe ei obligationem confitendi peccatum illud dubium: non enim tenetur ex lege poſitiua Chriſti, & Eccleſiæ, vt ſupra dicebatur; quia nimis ſeuera eſſet obligatio accuſandi ſe de ijs, quæ ſe commiſiſſe ignorat: neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ, quia confitendo bona fide peccata reliqua, per accidens, ſeu indirectè remittuntur etiam ea, quæ ignorantur. 6 7

Cum tamen dixi, non teneri hominem de mortali peccato dubio confiteri, diſputando dixi, nam in praxi, quoniam à communi ſententia Doctorum recedit non conſulerem. 8





DVBITATIO X.

An subditus dubitans, rem sibi præceptam licitam, vel potestatem Superioris excedentem esse, possit, & teneatur exequi?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Subditus potest secundum aliquos Doctores non obedire, quoties dubium est de honestate præcepti.*
2. *Superioris præcepto obediendum non est, si dubitetur maius præceptum Dei violandum fore.*
3. *Subditus debet absolutè obedire præcepto Superioris secundum communem.*
4. *Superior statimatque est Superior est in possessione præcipiendi, & subditus in obligatione obediendi.*
5. *Præceptum Superioris quoties facile, nempe sine detrimento sui, vel alterius adimpleri potest, exequi debet.*
6. *Præceptum Superioris esse illicitum est onus probandi, quod subdito incumbit.*
7. *Superior præcipiens existimandus est iudicare se posse præcipere.*
8. *Prælatus non est in possessione præcipiendi ea, quæ sunt illicita, & supra ipsius potestatem. Habet tamen ius præcipiendi quæ licita videntur, etsi sibi illicita videantur.*
9. *Subditus dubitans an præceptum sibi sit impositum illo non tenetur, secus autem est si dubitet de honestate præcepti, quia honestas præcepti desumitur tantum à iudicio certo Superioris.*
10. *Præceptum Superioris licet non possit facere licitum, quod alioquin est illicitum, facit tamen licitum per accidens, quod aliàs illicitum est.*
11. *Valetudinarius, vel aliquo impedimento laborans si dubitet an teneatur ieiunare, vel officium dicere, debet obedire Superiori præcipienti ne ieiunet, & ne recitet officium.*
12. *Subditus tenetur obedire Prælato in iis, in quibus solum est dubium an excedant suam potestatem.*

1 Vidam absolutè tenent, quoties dubium est de honestate præcepti, posse subditum non obedire; sic Adrian. *quodlib.* 2. *par.* 1. *&* 2. Man. Rodrig. *in sum. verb. obedientia* 2. *par. cap.* 9. *concl.* 2. 3. *&* 4., *& tract. de ordin. indic. cap.* 7. *concl.* 12. *num.* 12. Vasq. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 66. *cap.* 2. *num.* 51. *& seqq.*, *& ex parte* Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 17. *num.* 52. 157. *& sect.* 20. *num.* 183. quatenus ait, *non esse obediendum præcepto superioris*, si dubitetur maius 2 præceptum Dei violandum fore casu, quo obediatur.

Alii verò tenent, in hoc dubio teneri subditū obedire; *sic ex cōmuni glos. c. quid culpatur verb. iniquitas*, 23. *quæst.* 1. & Nerui, *verb. formidat dist.* 13., *c. dilecta in fin. de maiorit. & obed. c. ad aures, verb. obedientiam de tempor. ordinand., & c. ex tenore verb. mandato de sent, excommunicat.* Innocent. *in c. sicut* 3. *num.* 1. *de iureiur. & ibid.* Io. Andr. *num.* 1., Hostiens *num.* 3. Bald. *num.* 8. Abb. *num.* 16. Alex. de Neuo *num.* 75. Syl. *verb. bellum* 1. *quæst.* 9., *& verb. conscientia quæst. vlt.*, *& verb. obedientia quæst.* 2, *& verb. religio* 6. *quæst.* 6. Nauar. *in c.* si quis autem de pœnit. *dist.* 7. *num.* 114., *& in sum. cap.* 23. *num.* 37. Mol. *tom.* 1. *de Iustit. disp.* 113. *conclus.* 3. Valent. 12. *disp.* 2. *quæst.* 14. *par.* 4. *quæst.* 4., *&* 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 169. *par.* 2. *conclus.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 9. Petr. Nauar. *de restit. cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 252. *lib.* 2. Garcia *de benef.* 2. *tom. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 366. Malder. *de virtut. quæst.* 40. *art.* 1. *dubit.* 3. Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 53. *nu.* 8. *&* 9. *&* 1. 2. *sect.* 2. *disp.* 38. *§. de dubio* Tol. *cap.* 1. *num.* 6. *de peccat. mortal.* Sà. *verb. bellum num.* 1. Sayr. *in claui Reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 4. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 3. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 26. Io. Sanch. *disp.* 33. *num.* 37. *& alij passim*: Mouentur ex eo, quia superior hoc ipso, quod est superior, est in possessione præcipiendi, & subditus in obligatione obediendi; ergo vt in aliquo particulari casu subditus à præcepto superioris excuse- 4 tur, ostendere debet, superiorem non rectè præcipere, ergo dum non ostendit, tenetur obedire.

Respondetur: cum hac posteriori senten- 5 tia, restrictius tamen quoties præceptum superioris facilè (nempè sine detrimento tui, vel alterius) adimpleri potest exequi debes, etsi dubius sis de illius honestate.

Probatur, quia tunc nullus apparet titulus 6 honestans omissionem præcepti, & subiectionis debitæ superiori; quod enim illud præceptum uideatur tibi contrarium diuino, hoc te non potest excusare, si non probes: tibi enim incumbit onus probandi, esse illicitum, non autem incumbit onus probandi superiori, esse licitum, cum id semper præsumat ius in fauorem superioris.

Confirmatur; superior præcipiens existi- 7 mandus est iudicare, se posse præcipere: ergo non est, cur iudicium tuum dubium anteponas iudicio certo superioris.

Obijcies. Prælatus non est in possessione 8 præcipiendi ea, quæ sunt illicita, vel supra ipsius potestatem; ergo subditus dubitans, præceptum sibi impositum esse de illicitis, vel excedentibus, dubitat, an Prælatus talia præcipere possit; ergo renuens ei obedire, non spoliat Prælatum iure acquisito præcipiendi; cùm nunquam Prælatus acquisiuerit ius præ-

cipiendi ea in quibus eſt periculum dehoneſtatis.

Reſpondetur, licet ſuperior non habeat ius præcipiendi illicita, habet tamen ius præcipiendi ea, quæ licita videntur, (dum non conſtat de contrario) & ſi tibi illicita videantur; quare dum dubitas de honeſtate materiæ præceptæ, non ex tuo, ſed potius ex illius iudicio honeſtas præcepti, eiuſque obligatio deſumenda eſt.

9 Obijcies ſecundò. Subditus dubitans, an præceptum ſibi impoſitum ſit, illo non tenetur; ſed qui dubitat, an præceptum ſit de materia licita, vel illicita, dubitat, an ſit impoſitum præceptum; quia dubitat de aliquo, quod ad eius valorem neceſſariò eſt requiſitum, ergo.

Reſpondetur dubitans de præcepto, an ſit impoſitum, illo non tenetur, quia non ſufficienter proponitur; At dubitans de honeſtate præcepti, tenetur: quia honeſtas præcepti non ex tuo iudicio dubio, ſed ex ſuperioris iudicio certo ſumenda eſt.

10 Obijcies tertio. Præceptum ſuperioris non poteſt facere licitum, quod alioquin eſt illicitum: ſed operari, quod dubitas, an ſit illicitum, eſt intrinſece malum: ergo non poteſt, accedente ſuperioris præcepto, fieri licitum. Quod ſi dicas accedente ſuperioris præcepto, deponendum eſſe dubium, & putandum, quod præcipitur eſſe licitum: contra eſt, quia non videtur ex ſolo præcepto ſuperioris deponi poſſe dubium: cum ob præceptum non videat ſubditus aliquam ſpecialem rationem honeſtatis in re præcepta.

Reſpondetur concedo, præceptum ſuperioris non poſſe per ſe facere licitum, quod aliàs illicitum erat, & ſic non poſſe facere, vt licite obedias ſi practicè dubitas, illicitum eſſe obedire: ſed quia ſtante præcepto, habes rationem efficacem deponendi dubium, & iudicandi eſſe licitum, quod tibi illicitum ſe ſe offerebat, ideò præceptum ſuperioris per accidens facit licitum, quod aliàs illicitum erat: teneri autem te deponere hoc dubium, rectè docet, præter alios, Nauar. *in c. ſi quis autem. de Pœnitent. diſt. 7. num. 81. & in ſumm. cap. 16. num. 40. & cap. 23. num. 36.*

11 Ex his ſequitur, ſi tibi valetudinario, vel alio impedimento laboranti, an tenearis ieiunare vel officium dicere, Prælatus præcipiat, ne ieiunes, ne officium dicas, te poſſe, & debere non ieiunare, vel officium dicere: quia præceptum ſuperioris in illo dubio interpretatur, te obligatione legis Eccleſiaſticæ non teneri.

12 Sequitur ſecundò, te teneri obedire Prælato in ijs, in quibus ſolum eſt dubium, an excedant ſuam poteſtatem: quia ſuperior habet minorem poteſtatem in ea, de quorum honeſtate dubitatur, quàm in ea, de quibus ſolum dubitatur, an excedant limites ſuæ poteſtatis, Sanch. *loc. ſuprà cit. num. 4.*

SECTIO II.

An, quæ ſuprà dixi intelligantur de omnibus ſubditis?

SVMMARIVM.

1. *Religioſi ſunt tantùm ſubditi Superioribus ratione votorum Religionis, & Prælatus non poteſt præcipere aliud, niſi ad quod Religioſus per obedientiæ votum ſe voluit aſtringere.*
2. *Nemo tenetur ad illa, ad quæ, dubitat an votum ſuum ſe extendat.*
3. *Religioſus dubitans an res ſibi præcepta extra iuriſdictionem Prælati ſit, dubitat an ſuum votum ad illam ſe extenderit, & per conſequens non tenetur obedire.*
4. *Poſſeſſio præcipiendi in Superiore ortum habet ex voluntate Religioſi, & ideo ſe non extendit ad alia quàm ad ea, ad quæ voluntas ſe extendit.*
5. *Prælatus non Præcipit ex iuriſdictione accepta per votum, ſed data à Pontifice, quia nemo per votum poteſt dare alteri vim coërcitiuam, ſine qua nulla eſt iuriſdictio.*
6. *Prælatus Regularis licet habeat in ſuos ſubditos iuriſdictionem datam à Pontifice, non tamen ad alia, quàm ad ea, ad quæ Religioſi vota ſe extendunt.*
7. *Vota nunquam ſe extendunt ad res dubias, & conſequenter Superiori non competit ad eas iuriſdictio data à Pontifice.*
8. *Subditus Regularis dubitans de honeſtate rei præceptæ, vel an excedat poteſtatem Superioris, non tenetur obedire ſecundum probabilem.*
9. *Obligatio legis menſuratur ex voluntate Legiſlatoris, obligatio voti ex propria vouentis voluntate. à qua ſolum dependet.*
10. *Actus præſumitur ita geſtus vt minus quàm fieri poteſt, ſit agenti oneroſus.*
11. *In imponenda obligatione fieri debet ſtricta interpretatio.*
12. *Vouens præſumitur ſe minus, quam poßit grauare.*

Difficultas eſt de Religioſis: nam hi ſolùm ſunt ſubditi ratione votorum Religionis, & Prælatus non poteſt præcipere aliud, niſi ad quod Religioſus per obedientiæ votum ſe voluit aſtringere: vnde videtur ſequi, in caſu dubio non teneri talem ſubditum obedire ſuperiori: quia nemo tenetur ad illa, ad quæ dubitat, an votum ſuum ſe extendat: nam hoc idem eſt, ac dubitare de voto: in quo caſu poſſidet libertas, vt ſuprà dicebam, & tradunt Doctores, quos citat, & ſequitur Sanch. *de matrim. lib. 2. diſp. 4. num. 3. & lib. 4. moral. cap. 1.*

num. 32. ex Io. Sanch. *disp.* 43. *num.* 3. *&* 4.
3 At Religiosus dubitans, an res sibi præcepta extrà iurisdictionem Prælati sit, dubitat, an suum votum ad illam se extenderit? ergo non tenetur obedire.

Neque dicas, teneri obedire, quia vota religiosi habent adiunctam traditionem, ratione cuius religio habet ius, & dominium in religiosum, & ratione huius dominij, & potestatis, in casu dubio tenetur obedire: nam melior est conditio Prælati præcipientis, cum sit in possessione.

4 Respondetur enim, quòd tota hæc possessio ortum habet ex voluntate Religiosi: sicque non se extendit ad alia, quàm ad ea, ad quæ voluntas religiosi, se extendit: cùm ergo eius voluntas nunquam videatur extensa ad casum dubium, sequitur quòd ad illum obligari non possit.

5 Neque dicas 2. Prælatum non præcipere religioso ex iurisdictione accepta per votum, sed data à Pontifice (nullus enim per votum, quantumuis solemne, potest alteri iurisdictionem in se ipsum dare: quia non potest per votum dare alteri vim coërcitiuam, sine qua nulla est iurisdictio *l. vlt. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd.*, & tradit Faber. *in l. magistratibus ff. de Iurisd. omn. iudic* tum quia facta regnorum, & rerum publicarum diuisione, potestas ius dicendi, & iurisdictio tota residet penès Principes *l. 2. §. hæc autem, de vet. iur. enucl. l. fin de legib. & constit. Princip. §. sed & quod Instit. de Iur. natur.*, & tradit Vasq. 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 165. *num.* 26. *&* 28. qua iurisdictione non videtur priuandus Prælatus in casu dubio.


6 Respondetur, enim: esto Prælatus regularis habeat in suos subditos Iurisdictionem datam à Pontifice, non tamen illam habet ad alia, quàm ad ea, ad quæ vota religiosi se extendunt: cùm
7 ergo, sicuti dicebam, vota nunquam se extendant ad res dubias sequitur neque ad illas esse obligationem ex iurisdictione data à Pontifice.

Ex his respondetur: ad dubitationem,
8 probabile esse, religiosum dubitantem de honestate rei præceptæ, vel an excedat potestatem superioris, obligatum non esse obedire. Suá. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 3., & patet ex dictis.

9 Confirmatur ex differentia voti, & legis nam obligatio legis cùm oriatur ex voluntate: & potestate alterius, ex eius iurisdictione metienda est: at obligatio voti, sicque præcepti dimanantis ab illo, seu radicati in illo, cum pendeat ex propria voluntate, & intentione, & hæc non videatur extensa, nisi ad materiam certam (quando aliud non constat) fit, quod neque eius obligatio extendatur, nisi ad materiam certam.

10 Confirmatur secundò, actus præsumitur ità gestus, vt minus quàm fieri potest, sit agenti onerosus, Doctores, quos citat, & sequitur Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 9.* ergo professio Religiosi non debet præsumi extendi ad obediendum in casu dubio.

11 Confirmatur tertiò, in imponenda obligatione fieri debet stricta interpretatio, *l. quidquid ff. de verb. obligat.*: ibi: *Quidquid adstringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam exprimatur, omissum eße, intelligendum est, aut certè secundum promissorem interpretamur*: idemque desumitur *ex c. ex parte, de Censib. vbi* Abb. *num.* 2. *&* 4. ait, præsumi vouentem se 12
minus, quàm possit, grauare: & Glos. dixit, *faciendum esse pro vouente bonam interpretationem*: si igitur facienda est interpretatio pro vouente, non debet dici, se extendisse ad casum dubium: nec iurisdictionem à Pontifice datam se extendere ad casum dubium, cùm Pontifex non det iurisdictionem ad alia, quàm ad ea, ad quæ vota se extenderunt.



SECTIO III.

An subditus dubitans de honestate præcepti, teneatur, si commodè potest (vt videat an sit honestum) consulere viros doctos.

SVMMARIVM.

1. *Subditus probabilius tenetur si commodè potest inquirere, vt certior fiat de honestate præcepti, cum Prælatus non ea scientia, & probitate, qua subditum obligaret probabiliter opinari rem præceptam honestam esse.*
2. *Inquisitio de honestate præcepti non obstat obedientiæ debitæ cum ex illa non omittatur, neque obstat eius perfectioni, quæ solum consistit vt integrè, & promptè præceptum executioni mandetur.*
3. *Præcepta examinare licet non sit munus subditi cum de illis dubium non habet; secus tamen est cum de illis dubium habet.*
4. *Præceptum superioris non est efficacius præcepto Dei.*
5. *Superior non habet in subditum efficaciùs ius præcipiendi neque subditus maiorem obligationem præcipiendi, quàm habent coniuges inter se. Coniux ne se exponat periculo audiendi ad non suam, & subditus ne se exponat periculo faciendi aliquod illicitum.*
6. *Præceptum examinari debet, cum eius executio differri potest sine vlla transgressione.*

Respondetur (quamuis Petr. Nauar. 1
lib. 2. de restit. cap. 3. dub. 12. num. 261. *&* 266. Valent. 2. 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *par.* 2. *corollar.* 2. & Sanch. *lib. 6. moral. cap. 3. num.* 19. doceant, non teneri, ex eo quia officium subditi, non est præcepta examinare, sed exequi: cùm superior teneatur videre, quid præcipiat, quasi pro subditis rationem redditurus: subditus autem non teneatur, nisi obedire obedientia cœca, adeò à SS. Patribus commendata) contrarium tamen

tamen eſſe probabilius, teneri ſcilicet ſubditum, ſi commodè poteſt, inquirere, vt certior fiat de honeſtate præcepti (cum Prælatus non eſt ea ſcientia,& probitate, quæ ſubditum obligaret, probabilitèr opinari, rem præaceptam honeſtatem eſſe: nam tunc conſtat, non teneri aliam inquiſitionem facere) ità Alex. de Neuo *in c. ſicut d.* 3. *num.* 98. *de Iureiur.* Hoſtiens. *in ſumm. tit. de Pœnit. §. quid de rapina*, Angel. *verb. bellum, num.* 8. Roſell. *ibidem num.* 4. *&* Sil. *cod.* 1. *quæſt.* 9. *concl.* 3. *& verb. obedientia quæſt.* 2.

2 Probatur, quia hæc inquiſitio non obſtat obedientiæ debitæ, cum ex illa non omittatur: neque obſtat eius perfectioni, quæ ſolùm conſiſtit, vt integrè, & promptè præceptum executioni mandetur, cum vrget tempus exequendi præceptum: ergo dum non vrget tale tempus, ſed datur locus inquiſitioni, dictat ratiò naturalis, vt apponatur: nam ea appoſita, fortè comperiet ſubditus, non eſſe obediendum Prælato, ac proinde inquiſitio prodeſt ad vitandum malum, ſaltem materiale.

Confirmatur, quia patet, talem inquiſitionem bonam eſſe: non enim dirigitur ad quærendas excuſationes præcepti, ſed ad ſecurius illud agendum, & ad certius deponendum dubium de illius honeſtate: ergo non poteſt eſſe contraria obedientiæ perfectioni: cùm vna virtus non ſit alteri contraria.

Dices talem inquiſitionem eſſe bonam, non tamen ad illam faciendam ſubditum teneri, quia munus ſubditi non eſt examinare præcepta, ſed exequi.

3 Sed contra, quia licèt munus ſubditi non ſit examinare præcepta, cum de illis dubium non habet, tamen, ſecus eſt, cùm de illis dubium habet, nam hæc obligatio cuiuis dubitanti de honeſtate præcepti inſita eſt, vt operetur prudenter.

4 Contra ſecundò, quia præceptum ſuperioris non eſt efficacius præcepto Dei; ſed cum quis dubitat de obligatione præcepti Dei, eo quòd videtur alteri præcepto naturali repugnare, debet inquirere, cum commodè poteſt, quodnam ſit exequendum; neque id obſtat obedientiæ, ergò etiam, cum dubitat, an præceptum ſuperioris honeſtum ſit; vel contrarium alteri præcepto diuino, debet ſimiliter illud examinare.

5 Contra tertiò, quia ſuperior non habet in ſubditum efficacius ius præcipiendi, neque ſubditus maiorem obligationem obediendi, quàm habent coniuges inter ſe; ſed cùm alter eorum dubitat de valore matrimonij, tenetur priùs, quàm debitum reddat, inquirere veritatem, vt ait ipſe Sanch. ergò ſimiliter tenebitur ſubditus in caſu noſtro.

Dices, eſſe proprium coniugis, examinare, an matrimonium ſit validum, non autem eſſe proprium ſubditi examinare, an rectè ſuperior præcipiat.

Sed contra; quia id gratis dicitur, cùm de hoc ſit quæſtio, & cum vtrobique ſit eadem obligatio: ideò enim coniux dubitans tenetur, ſi poteſt, examinare, priuſquam reddat, valorem matrimonij, ne ſe exponat periculo accedendi ad non ſuam, ac proindè faciendi aliquid illicitum; at ſubditus dubitans de honeſtate præcepti, illudque non examinans, ſe exponit etiam periculo faciendi aliquid illicitum: ergo ratione præcepti non poteſt excuſari ab hac diligentia facienda.

Contra ſecundò, quia cùm differri poteſt executio præcepti, & minus malum timetur ex dilatione, quàm ex prompta executione, differri debet executio præcepti, donec diligentia fiat, an ſit obediendum, vt docet ipſemet Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 25. & Couarr. *reg. peccatum* 1. *par. num.* 5. ergo à fortiori examinari debet præceptum, cùm eius executio differri poteſt ſine vlla tranſgreſſione. 6



SECTIO IV.

An, ſi Superior dubitet, ſit ne præceptum licitum, vel excedens ſuam poteſtatem, ſubditus ſciens talem dubitationem ſuperioris, teneatur ei obedire?

SVMMARIVM.

1. *Subditus ſciens ſuperiorem ſuum dubitare ſit ne præceptum licitum probabilius tenetur ei obedire ſi poſt diligentiam factam à Prælato adhuc dubium perſeuerat.*
2. *Coniux, qui bona fide matrimonium contraxit, & poſtea dubitat de illius valore ſi poſt diligentiam dubium perſeuerat, poteſt petere, & alter tenetur reddere.*
3. *Limita in actionibus, quæ ſubdito oneroſæ, & moleſtæ non ſunt.*
4. *Superior dubius non poteſt indicere bellum, neque ſubditus debet obedire.*
5. *Superior in rebus damnoſis debet eſſe certus moraliter de iuſtitia.*
6. *Subditus ſi facta diligentia ſciat ſuperiorem dubitare de honeſtate rei præceptæ, vel de exceſſu ſuæ iuriſdictionis non tenetur obedire, quin non poteſt ſi etiam ipſe, dubitet contra Cordubam, & alios.*
7. *Superioris officium eſt examinare honeſtatem rei præceptæ cum de illa dubitat, ne ſe periculo errandi exponat, præcipiens quæ non licent.*
8. *Subditus ſi nouerit ſuperiorem temerè præcipere non tenetur obedire, imo non poteſt.*
9. *Superior nullam habet poſſeſſionem præcipiendi ſubdito ea, de quibus dubitat an ſint licita, & an excedant ſuam iuriſdictionem.*
10. *Superior hoc ipſo, quod dubitat de honeſtate rei, vel an excedat ſuam iuriſdictionem, dubitat de dominio, & poteſtate in ſubditum.*
11. *Subditus dubitans ſit ne licitum præceptum ſuperioris, obedire tenetur.*
12. *Superior non ſolum debet facere diligentiam ad cognoſcendam honeſtatem præcepti, ſed etiam*

dum de honestate non est moraliter certus non potest præcipere.

13. *Vxor tenetur reddere debitum viro petenti etiam si sciat ipsum virum putare ex errore subesse impedimentum matrimonij.*

14. *Ad valorem præcepti ex parte materiæ vnum è duobus necessario requiritur, & quid vide ibi.*

1 Espondetur, & dico primò: si hoc dubium perseuerat post diligentiam factam à Prælato, probabilius est, teneri subditum obedire; quia tunc Prælatus, cùm habeat possessionem præcipiendi & dubium exortum non possit vincere, legitimè præcipit, sicut coniux, qui bona fide
2 matrimonium contraxit, & postea dubitat de illius valore, si facta diligentia, adhuc dubius manet, potest petere, & alter tenetur reddere.

3 Limitatur tamen doctrina ad actiones, quæ alteri à subdito molestæ, & onerosæ non sunt: non enim cum hac dubitatione potest superior
4 indicere bellum; neque subditus debet obedi-
5 re: nam superior in rebus damnosis debet esse certus moraliter de iustitia, vt infrà dicetur.

Dico secundò, si nulla facta diligentia Prælatus dubitans de honestate rei præceptæ, vel
6 de excessu suæ iurisdictionis, præcipiat, subditus non est obligatus obedire; quin non potest, si ipse subditus etiam similiter dubitet, ità Bannez. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.*6. *concl.* 3. Petr. Ledesm. 2. *tom. sum. tract.* 3. *cap.* 13. *concl.* 21. Salas. 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 26. *num.* 275. Man. Rodrig. 1. *tom. sum. cap.* 126. *concl.* 4. *nu.* 5. & Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 21. (etsi contrarium sentire videantur. Cordub. *sum. quæst.* 45. *par.* 4. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 6. *num.* 4. *comment. lit. T.* Barth. Ledesm. *dub.* 20. *de matrim. concl.* 2. & Ludou. Lopez. 1. *par. instruct. cap.* 297. §. *sed si*, quatenus aiunt, coniugi dubitanti de matrimonij valore, & debitum petenti ab altero coniuge reddendum esse.)

7 Probatur, quia officium superioris est, examinare honestatem rei præceptæ, cùm de illa dubitat, ne se errandi periculo exponat, præcipiens, quæ non licent; ergo si absque hoc
8 examine præcipiat cum temerè præcipiat, subditus non tenetur obedire, quia non potest, si temeritatem superioris agnoscat, quia non tenetur obedire præcepto, tum ex parte rei præceptæ, quàm ex parte præcipientis temerario, & periculoso.

Obijcies, ex tali dubio non interrumpitur possessio Prælati in subditum (non enim ex eo, quod dubitat, an res, quam præcipit, sit licita, vel illicita, aut suam Iurisdictionem excedens, desinit esse superior, neque propterea subditus subiectionem amittit) ergo ratione huius possessionis potest superior præcipere subditis in casu dubio.

9 Respondetur: concedo, ex tali dubio non interrumpi possessionem superioris in subditum, quia illud dubium non attingit possessionem, quam superior habet: hæc enim nunquam fuit in subditum ad res, quas superior dubitat, esse licitas, vel suam iurisdictionem excedentes.

Obijcies 2. superior sic dubitans non dubitat de dominio, & possessione in subditum, sed an ipsius dominium, & possessio ad talem materiam extendatur. at cum coniux: v. g. non dubitat de valore matrimonij, sed an possit petere, eo quod dubitat, an habeat aliquod impedimentum castitatis, vel affinitatis de nouo contractum; alter non dubitans tenetur reddere, si debitum ab ipso petatur, quia nihil iniustum ab ipso petitur, & quia alter non tenetur in hoc dubio se impeditum reputare sicuti docent Doctores, quos refert. & sequitur Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 9. *num.* 4. 7. & *seqq.* ergo &c.

Respondetur: hoc ipso, quo superior dubitat de honestate rei, vel an excedat suam iurisdictionem, dubitat de dominio, & potestate in subditum; quia certus esse debet, carere se tunc dominio, & potestate; cum hæc limitata sint ad præcipiendum ea, quæ honesta sunt, & talia sibi videntur. 10

Obijcees 3. subditus dubitans, sit ne licitum præceptum superioris, tenetur obedire, etiam nulla facta diligentia, secundùm probabilem opinionem, quia possessio Prælati excusat subditum à tali diligentia facienda ergo, & excusare poterit Prælatum. 11

Respondetur. transeat, subditum ratione obedientiæ superiori debitæ posse habere sufficientem rationem deponendi dubium; at hanc rationem non habet in præcipiendo superior. Accedit, cum ex parte subditi, & superioris est, dubium, & contentio de honestate præcepti, & obligatione subditi, Ius præsumit pro superiore, non pro subdito.

Obijcies 4. esto teneatur superior diligentiam facere ad inuestigandam veritatem (sicut possidens rem aliquam, & dubitans, an sit aliena, tenetur facere diligentiam, antequam alienet) at sicut, si talis dubitans rem de facto alienet, tenet alienatio, quia possessionem, & dominium incertum, quod habet, in emptorem transfert, ità similiter, etsi superior malè faciat præcipiendo subdito sine præmissa diligentia tenebit præceptum.

Respondetur: superior non solum debet facere diligentiam ad cognoscendam honestatem præcepti, sed etiam, dum de honestate non est moraliter certus, non potest præcipere; quia solum potest præcipere ea, quæ sunt honesta, quæque sibi talia videntur. 12

Obijcies 5. obligatio subditi obediendi Prælato desumi non debet ex eo, quòd Prælatus dubitet, vel non dubitet de honestate præcepti; nam si statim constat, esse licitum, & superioris potestatem non excedere, tenetur obedi- 13
re (vt rectè dixit Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 21., etiam si superior præcipiat dubitando, quia tale dubium procedit ex errore, qui non obstat subditi obligationi, sicut etsi vir putans ex errore, subesse impedimentum matrimonij, malè petat debitum ab vxore, vxor tamen certò sciens non subesse, tenetur reddere, vt rectè probat Couar. 4. *decretal.* 2. *par. cap.* 3. §. 1. *num.* 6., & Sanch. *supra num.* 4. è con-

tra ſi ſuperior præcipiat rem illicitam, etiam ſi ipſe putet licitam, non tenetur ſubditus obedire) ergo obligatio ſubditi ex re ipſa, & ex ipſius iudicio potiùs, quàm ex iudicio ſuperioris metienda eſt.

14 Reſpondetur: ad valorem præcepti ex parte materiæ vnum è duobus neceſſariò requiritur, vel honeſtas præcepti certò cognita à ſubdito (& hoc ſufficit, vt præceptum teneat, & in hoc caſu ex iudicio ſubditi inſurgit obligatio præcepti) vel requiritur, & ſufficit ad obligationem, quòd ſuperior cognoſcat probabiliter rem, quam præcipit, eſſe licitam, & non excedere ſuam iuriſdictionem, etiamſi ſubditus id adæquatè non cognoſcat; quia dum nihil in contrarium clarè cognoſcit, non habet ius ſe eximendi à præcepto ſuperioris.



SECTIO V.

An ſubditus teneatur obedire, ſi ex obedientia timetur non leue damnum proprium, vel alienum?

SVMMARIVM.

1. *Subditus non tenetur obedire ſi ex obedientia timetur non leue damnum proprium in honore, fama, diuitijs, vel corpore.*
2. *Subiectio, & obedientia debita ſuperiori non tollit ius, & poſſeſſionem ſubditi in bonis fortunæ, honoris, & corporis.*
3. *Præcepta Eccleſiæ certa cum graui detrimento proprio, vel alterius non obligant, & multo magis dubia.*
4. *Subditus poteſt obedire ſi ex obedientia timeatur non leue damnum proprium, quia poteſt quis cedere iuri ſuo, at non poteſt obedire ſi timeatur damnum alienum, quia quiſque poſſidet ius in bonis ſuis.*
5. *Quilibet habet ius iuſtitiæ ne lædatur in bonis abſque iuſto titulo.*
6. *Subditus non tenetur obedire in tali caſu etiam ſi præſumat ſuperiorem iuſtè præcipere, ſi tamen de hoc non ſit moraliter certus.*
7. *Superior licet iuridicè præcipiat, & poſſeſſionem præcipiendi habeat, attamen ſubditus non tenetur obedire in caſu dubio vnde non valet argumentum quod teneatur ſubditus iuridicè interrogatus fateri veritatem nam non procedit in caſu dubio.*

1 Reſpondetur: negatiuè, ſi v. g. timetur non leue huiuſmodi damnum proprium, vel alienum in honore, fama, diuitijs, vel corpore; vt contingit, ſi ſuperior te interroget de delicto tuo, vel alterius, & dubius ſis an, iuridicè interroget (idemque dico in caſu de gabellis, & ſimilibus) ità contrà Io. Sancium *in ſelect. diſp.* 43. *num.* 28. docet Salas. 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 17. *num.* 155. Rodrig. 2. *tom. ſum. cap.* 9. *num.* 3., *& de ord. iudic. cap.* 7. *num.* 12. *& tom.* 3. *quæſtion. regul. quæſt.* 19. *art.* 4. *&* 6. Sayr. *lib.* 1. *in claui Reg. cap.* 13. *num.* 41. Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſtit. cap.* 31. *dub.* 3. *num.* 10. *& cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 77. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 24. & Villalob. 1. *tom. ſum. tract.* 1. *diff.* 26. *num.* 1.

Probatur, quia ſubiectio, & obedientia debita ſuperiori non tollit ius, & poſſeſſionem tuam, vel alterius in bonis fortunæ, honoris, & corporis; ergo non obligaris, hanc poſſeſſionem amittere in re magni momenti ob obedientiam, quam dubitas, ſi debeas ſuperiori; nam poſſeſſio tua, vel alterius certa præualere debet iuri, & poſſeſſioni dubiæ ſuperioris. 2

Confirmatur quia ſæpè præcepta Eccleſiæ certa cum graui detrimento proprio, vel alieno non obligant, ergo à fortiori non obligabunt dubia. 3

Adde, quod ſi obedientia vergit in graue damnum alterius (ſi enim vergit in tuum, quia potes cedere iuri tuo, potes, & ſi non ſis obligatus, obedire) non ſolum non es obligatus, ſed neque potes obedire; quia ſicut ſuperior poſſidet ius præcipiendi, ità alius poſſidet ius in bonis ſuis; ergo iniquum eſt, ob ſeruandum ius Superioris dubium, lædere ius alterius certum. 4

Confirmatur, quia quilibet habet ius iuſtitiæ, ne lædatur in bonis abſque iuſto titulo; quem non habes, cùm dubitas, an ſuperior habeat ius præcipiendi. 5

Obijcies: iam illud damnum præuidit ſuperior, & non obſtante illo præcipit; ergo debes obedire; quia præſumere debes, ſuperiorem iuſtè præcipere, ne ſis iudicij temerarij reus.

Reſpondetur, & ſi præſumas, ſuperiorem iuſtè præcipere, cùm tamen de hoc non ſis moraliter certus, non teneris poſſeſſionem certam in tuis bonis amittere ob ſeruandam ſuperioris poſſeſſionem in materia dubia. 6

Obijcies ſecundò, ſi certò ſcias ſuperiorem iuridicè præcipere, teneris veritatem fateri; ergo etiam, cum dubitas, teneris; quia in vtroque caſu ſuperior eſt in poſſeſſione præcipiendi. 7

Reſpondetur ſuperior in vtroque caſu iuridicè præcipit, & poſſeſſionem præcipiendi habet, tu tamen non es obligatus obedire in caſu dubio; quia poſſeſſio tua, vel alterius certa in bonis fortunæ, honoris, & corporis, præualet ſuperioris poſſeſſioni de materia dubia. Accedit, quod pro ſuperiore iudicandum eſt, & non pro ſubdito, quando cætera ſunt paria, quod non contingit in caſu noſtro; cùm damnum tibi, vel alteri ex obedientia graue, & certum, at ſuperiori ex obedientiæ omiſſione nullum obueniat.

SECTIO VI.

An, si præceptum superioris sit tibi molestum, & durum, dubitasque, an is possit tibi illud imponere; tenearis obedire?

SVMMARIVM.

1. *Quidam putant subditum non teneri obedire superiori, si eius præceptum sit eidem molestum, quia onus, & molestia illa non est distincta à præcepto.*
2. *Possessio certa non debet amitti ob seruandam superioris possessionem dubiam.*
3. *Probabile est subditum non teneri obedire superiori, si eius præceptum sit eidem onerosum, quia non videtur consonum, vt quis subeat onus graue, de quo dubitat an sibi poßit imponi.*
4. *Possessio in re dubia seruanda non est cum graui onere & molestia.*

1 Vidam putant, te teneri obedire, quia onus, & molestia illa non est distincta à præcepto, sed idem cum re præcepta, & ab illa indistinctum; ergo cum in casu dubio debeas obedire superiori ob possessionem, quam is habet præcipiendi, teneris in præsenti obedire, aliàs nulla esset certa regula obediendi in casu dubio; cùm quia ideò, cum tibi graue damnum, vel alteri obuenit ex obedientia, excusaris obedire in casu dubio, quia possides res illas, in
2 quibus damnum pati debebas, & possessio certa non debet amitti ob seruandam superioris possessionem dubiam; At in præsenti non fauet tibi possessio vlla (cum non sit alicuius distincti ab ipso præcepto, quod possidet) ergo. His tamen non obstantibus.

3 Respondetur, probabile etiam esse, te non teneri obedire; quia non videtur consonum, te certò onus graue subire, de quo dubitas, an tibi possit imponi; cùm iugum Christi sit leue, & suaue, quale non esset, si te dubitantem de potestate superioris præcipientis obligaret in angustias coniici, ob seruandam illius possessionem dubiam.

4 Hinc patet ad opposita: non enim possessio in re dubia seruanda est cum graui onere, & molestia; atque ità tenent Doctores, quos citat, & sequitur Salas. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 17. *num.* 154. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 23. & Villalob. *tract. de Conscient. diffic.* 26. *num.* 2.

SECTIO VII.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1. *Dubitans de potestate superioris, nimirum an sit reuera superior, non tenetur obedire.*
2. *Nemo obligatur lege, de qua dubitetur an sit lex.*
3. *Superior quis in dubio habendus est, si communis præsumptio illi fauet.*
4. *Subditus tenetur si potest consideratis omnibus circumstantijs, & principiis practicis, dubium deponere, & dubio deposito obedire iuxta communem.*
5. *Subditus tenetur considerare actum, vt actus hic, & nunc faciendus præcipitur, illumque expendere non solum secundum principia intrinseca, & propria actui, sed etiam secundum extrinseca, & communia.*
6. *Nemo in dubio est spoliandus iure suo.*
7. *Subditus non dicitur esse in possessione suæ libertatis, sicut superior est in possessione imperandi, quia genericè constat abdicaße suam libertatem in manum superioris.*
8. *Principia communia, ex quibus præceptum superioris est licitum iudicandum sunt hæc, quæ sequuntur.*
9. *Multum dandum auctoritati, & prudentiæ superioris.*
10. *Superiorem à Deo singulari modo gubernari in regendo subditos.*
11. *Prudentis esse non confidere suo iudicio in rebus proprijs, sed potius alieno, præsertim superioris, quem loco Dei habet.*
12. *Ex recusatione obedientiæ, cum causa manifesta assignari non potest, posse nasci scandala.*
13. *Ex duobus malis minus esse eligendum.*
14. *Superiori in dubio obediendum est nisi obediendo graue incommodum in persona, honore, vel rebus is qui obedit timeat sibi, vel alteri.*
15. *Subditus non tenetur obedire superiori si dubium sit de bonitate operis, vel de obligatione præcepti debet enim vt obligetur constare moraliter rem esse licitam, & præceptum hic & nunc obligatorium.*
16. *In dubio fauendum est Reo, & ei, de cuius damno agitur quod procedit etiam si Iudex examinet ipsum criminaliter, & testet, quia licet inferior non sit liber, habet tamen ius in rebus periculosis ad sui conseruationem.*
17. *Superioris auctoritas in dubio valere non præsumitur in alterius graue præiudicium, cum nihil incommodi notabilis ex non obediendo sequitur.*
18. *Subditus in dubio iustitiæ gabellarum non tenetur soluere vbi agitur de graui præiudicio, se-*

cus ſi par, vel grauius incommodum ſequeretur non obediendo.

19. *Subditus non tenetur obedire ſuperiori præcipienti aliquid ſub conditione, de qua dubium eſt an ſit adimpleta.*

20. *Præceptum non obligat ante conditionem adimpletam.*

21. *Subditus dubitans de honeſtate rei præceptæ, vel de exceſſu iuriſdictionis ſuperioris aliquid licet dubitet præcipientis, non tenetur obedire contra nonnullos.*

22. *Subditus non tenetur obedire ſi omnibus circumſtantijs præcepti ſpectatis probabile eſt opus præceptum eſſe illicitum.*

23. *In caſu dubio nec votum, nec iuramentum, nec ipſa lex diuina, aut naturalis obligat.*

24. *Subditus non tenetur ad vectigal quando ſunt probabiles rationes illud eſſe iniquum, vt habet communis ſententia.*

25. *Regula quod in dubio præſumendum eſt pro ſententia ſuperioris non intelligitur de dubio poſitiuo, ſed de negatiuo, & de hoc ſolum quando non agitur de intereſſe, ſeu damno inferioris.*

26. *Ratio de iuſtitia exigendi in principe non tollit ius ſubditi non exigendi in caſu dubio.*

27. *Bellum ſæpe euenit eſſe ex vtraque parte iniuſtum.*

28. *Subditus in caſibus, in quibus non tenetur in dubio obedire ſuperiori, neque etiam tenetur ſi præcipiat ſuperior ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.*

29. *Excommunicatio non poteſt imponi, niſi propter inobedientiam illamque mortalem, quæ non conſideratur in caſu dubio.*

1 EX dictis Colligitur primò, quod ſi quis dubius ſit de poteſtate ſuperioris, nimirum, an ſit reuera ſuperior, in tali dubio non tenetur obedire; partim, quia factum in dubio non præſumitur, niſi demonſtretur; partim, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ſubditus autem per ſe ab huius obedientia liber eſt, ergo non debet ei ſubijci, niſi moraliter conſtet, eſſe ſuperiorem.

2 Sic ſimiliter nemo obligatur lege, de qua dubitatur, an ſit lex.

3 Aduerte tamen, quod in dubio habendus eſt ſuperior, ſi communis præſumptio illi fauet. *arg. l. Barbar. ff. de off. prætoris.*

Colligitur ſecundò, quod, ſi conſtat de poteſtate ſuperioris, ſed dubitatur de materia, an ſcilicet ſit licitum facere, qnod præcipit ſuperior (quamuis perſeuerante hoc dubio, non poſſit obedire ſubditus, quia in nullo caſu licitũ eſt facere id, de quo dubitat quis, an ſit licitum, quia exponit ſe periculo peccati) tenetur
4 tamen ſubditus ſi poteſt, conſideratis omnibus circumſtantijs, & principijs practicis dubium deponere, & dubio depoſito, obedire; & in hoc ſenſu, ſubditum in dubio teneri ſuperiori ſuo obtemperare, docent communiter Doctores. S. Th. 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. *in corp. & ad* 2. Caiet. & Medin. *ibidem.* S. Bonauent. *in* 2. *d.* 39. *art.* 1. *q.* 3. in fine Angel. *verb. obedientia, num.* 6. Silu. *num,* 2. Fum. *num.* 4. Sot. *de ſecreto,* *num.* 3. *q.* 2. Lopez 1. *p. c.* 56. & alij, quos ſuprà citabam.

Teneri autem ſubditum deponere dubium, ſi poteſt, probatur; quia tenetur conſiderare 5
actum, vt actus hic, & nunc faciendus præcipitur, id eſt, cum omnibus circumſtantijs occurrentibus; illumque expendere non ſolum ſecundum principia intrinſeca, & propria actui, ſed etiam ſecundum extrinſeca, & communia, etſi ſecundùm hæc apparet, eſſe licitum, tenetur facere: nam dubium tunc non perſeuerat practicè, ſed ſolum ſpeculatiuè; nimirùm, an per ſe abſque iſtis circumſtantijs, & conſideratis principijs proprijs, ſit licitus; practicè autem conſtat eſſe licitum, & prudenti iudicio iudicatur talis.

Confirmatur, quia ſuperior eſt in poſſeſſio- 6
ne iuris imperandi, & in dubio nemo eſt ſpoliandus ſuo iure; ergo, &c.

Neque dicas; etiam ſubditum ſimiliter eſſe 7
in poſſeſſione ſuæ libertatis; quia generatim conſtat illum abdicaſſe ſuam libertatem in manum ſuperioris; vnde cùm in cæteris ſuperiori ſubſit, præſumendum eſt etiam, in hoc ſubeſſe, & ſic non eſſe ſui iuris. Principia autem 8
communia, vnde præceptum ſuperioris poteſt prudenter iudicari licitum, ſunt hæc: multum dandum authoritati, & prudentiæ ſuperioris: 9
ſuperiorem à Deo ſingulari modo gubernari in 10
regendos ſubditos: prudentis eſſe non confi- 11
dere ſuo iudicio in rebus proprijs, ſed potius alieno præſertim ſuperioris, quem loco Dei habet: ex recuſatione obedientiæ, cùm cau- 12
ſa manifeſta aſſignari non poteſt, poſſe naſci ſcandala, & ex duobus malis minus eſſe eli- 13
gendum, & ſimilia, quibus & iam viri docti ſe ſuperioris iudicio in dubio accommodare poſſunt.

Colligitur tertiò, quod, cùm dixi in dubio 14
obediendum eſſe ſuperiori, limitatur à multis Doctoribus, vt à Soto, Medina, Salas. Lopez *in loc. ſupra cit.* Aragon. *in* 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Henriq. *lib.* 14. *c.* 3. *num.* 3. *in Gl. littera* X. & alijs, quos ſuprà citabam, niſi obediendo graue incommodum in perſona, honore, vel rebus is, qui obedit, timeat ſibi, vel alteri; non obediendo autem nihil incommodi timet: in tali caſu enim, ſi dubium ſit de bonitate ope- 15
ris, vel de obligatione præcepti, non tenetur obedire; ſed vt obligatur, debet moraliter conſtare, rem eſſe licitam, & præceptum hic, & nunc eſſe obligatorium, vt cùm præceptum tendit ad punitionem, & Iudex reum, & teſtes examinat criminaliter: alioquin enim in dubio fauendum eſt reo, & ei, de cuius dam- 16
no agitur; quia etſi inferior non ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, eſt tamen in poſſeſſione ſui iuris, quo ſe poteſt in rebus periculoſis conſeruare.

Confirmatur, quia in dubio non debet præſumi valere auctoritas ſuperioris in alterius 17
graue præiudicium, cùm nihil incommodi notabilis ex non obediendo ſequitur, vt patet in exemplo de reo, & teſte, qui interrogati à ſuperiore in iudicio de proprio, vel alterius delicto, non tenetur obedire, & ad mentem eius reſpondere, ſi dubium ſit an ille iuridicè interrogct. Ratio, quia inobedientia eſt occulta,

& punitio ista non est necessaria.

18 Idem dicendum in causa vectigalium, & similibus, vbi agitur de graui subditorum præiudicio; quod in dubio iustitiæ istorum, non tenetur subditus obedire: si tamen par, vel grauius incommodum sequeretur, non obediendo, in dubio tenetur parere; vt si graue damnum publicè vel priuatim impendens, non possit aliter impediri; in quo casu vtrimque incommoda sunt expendenda, & illis paribus, etiam in dubio obediendum.

19 Colligitur quartò, quod si superior præcipiat aliquid sub conditione, de qua dubium est, an sit adimpleta, non tenetur subditus obedire; quia in dubio non præsumitur conditio adimpleta, cùm, & conditionem esse adimpletam, sit quid facti, quod non præsumitur, nisi demonstretur, iuxta regulam traditam; an-

20 te autem conditionem adimpletam præceptum non obligat, ergo, &c. Sanchez *lib. 6. moral. c. 3. num.* 26. contra Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 19. *num* 177.

21 Colligitur quintò, quod si superior dubius de honestate rei præceptæ, vel excessu suæ iurisdictionis, præcipiat aliquid subdito, & subditus etiam dubitet, neque tenetur obedire; Bannez. Salas. Rodriguez, & Sanchez, quos suprà citabam; etsi contrarium sentiant Henriq. *lib.* 12. *c. 6. num.* 5. *in Glos. lit. T.* Corduba, Ledesma, Lopez, & alij.

Colligitur sextò, quod si posito præcepto,

22 cæteris omnibus circumstantijs spectatis, probabile est, opus, quod præcipitur, esse illicitum, non tenetur subditus obedire; Vasq. & Salas. *in locis supra cit.* Et ratio est, quia potest ille se probabili sententiæ conformare: & probabiliter agendo, non temerè, atque adeò sine peccato operatur.

23 Confirmatur, quia in tali casu, nec votum, nec iuramentum, nec ipsa lex diuina, aut naturalis obligat: ergo nec præceptum positiuum superioris: potest tamen obedire, si contrarium etiam est probabile, vel si per extrinseca principia sibi iudicium prudens de opere formare potest; idque propter easdem rationes.


24 Confirmatur secundò, quia subditus non tenetur ad vectigal, quando sunt probabiles rationes, illud esse iniquum, vt habet communis sententia Doctorum S. Anthonini 2. *par. tit.* 1. *c.* 14. §. 8. Petri Nauarri *lib. 3. c.* 1. *num.* 263. & aliorum; quia potest se conformare opinioni probabili: tum quia in tali dubio melior est conditio possidentis.

25 Non obstat dictum: *in dubio præsumendum est pro sententia superioris.*; quia non intelligitur de dubio positiuo, sed de negatiuo; & de hoc solum, quando non agitur de interesse, seu damno inferioris.

26 Non obstat secundò, quod Princeps iustè possit exigere; quia vtraque pars suo iure vtitur, dum probabiles rationes sequitur; quo

27 modo fit sæpè, vt vtrimque bellum sit iustum: ignorantia enim veritatis facit, vt vterque propter rationes speciem veritatis habentes, bona fide iustitiam se habere putet: cauendum tamen est scandalum, & maior Reipublicæ perturbatio.

Colligitur septimò, quod in his casibus, in 28 quibus non tenetur in dubio subditus obedire superiori, neque etiam tenetur, si præcipiat superior sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, &c. Ratio, quia excommunicatio 29 non potest imponi, nisi propter inobedientiam, illamque mortalem; at in ijs casibus nulla inobedientia reperitur; quia subditus iustè non obedit; ergo, &c. Ita ex communi Sanchez vbi supra *num.* 27.



DVBITATIO XI.


An dubitans, vtrum homo, quem percussi, fuerit Clericus, quamuis temerè percusserim, non sine suspicione, quòd sit Clericus, debeam me excommunicatum iudicare?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans an percussus à se sit Clericus, licet temerè percusserit non sine suspicione aliqua quod sit Clericus. si tamen adhibita diligentia veritatem non deprehenderit, non debet se excommunicatum iudicare.*
2. *Dubitans vtrum legitimam ætatem habeat si adhibita diligentia id non nouerit. & temerè & mala fide sacrum ordinem susceperit, non incurrit suspensionis censuram: & ita dic de alijs censuris, &c.*
3. *Dubitans in casu prædicto si necessitas vt scandali, vel alterius notabilis incommodi non cogit, à sacrificando abstinere debet vsque dum reddatur certus de legitima ætate.*
4. *Delictum operè, & euentu consummatum esse in dubio præsumi non debet sed demonstrari, præsertim in odiosis.*
5. *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.*

Respondetur ex dictis ibidem; dubitans an homo ille quem percussi, 1 fuerit clericus, quamuis temere percusserim, non sine suspicione aliqua, quod sit clericus (si tamen postea adhibita diligentia veritatem deprehendere non possum) non debeo me excommunicatum iudicare: eademque ratio est de cæteris censuris, 2 puta si temerè, & mala fide sacrum ordinem susceperim, dubitans, vtrum legitimam ætatem habeam, veritatem tamen postea deprehendere non possim, censendus non sum, suspensionis censuram incurrisse (quamuis interim, si necessitas, vt scandali, vel alterius notabilis incommodi, non cogit, à sacrificando 3 abstinere debeam, vtque dum certus reddar de legitima ætate) Ratio est eadem, quæ supra afferebatur, quia scilicet delictum opere, & 4

euentu conſummatum eſſe, atque exinde conſequens pœna à iure impoſita, in dubio præſumi non debent, ſed demonſtrari; præſertim quia ſumus in odioſis: & homo exiſtit in poſſeſſione ſuæ immunitatis. Quare omnia iura clamant, reum dubium eſſe abſoluendum: vt *reg.* 167 *ff. Fauorabiliores rei potius, quàm actores habentur. reg.* 15. *num.* 6. odia reſtringi,
5 fauores conuenit ampliare Quod ſi Iudex in externo foro neminem punire debet, ſed àbſoluere, ſi delictum ob quod iuris pœna decreta eſt, cognitum non ſit: multò magis in conſcientiæ foro aliquis ſeipſum condemnare, & pœnam legis in ſe exequi non tenetur, abſtinendo ſcilicet à ſacris, tanquàm excommunicatus, aut ſuſpenſus, &c. donec delictum, & contracta cenſura in conſcientia perſpecta non fuerit: quidquid in contrarium dicant aliqui, vt Mol. *tract.* 3. *diſp.* 67. *num.* 7. & alij.



DVBITATIO XII.

An in dubio, ſiuè iuris, ſiuè facti, vtrum quis excommunicationem contraxerit, v. g. ob Clerici percuſſionem, teneat illum, tanquam excommunicatum vitare?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans ſiue dubio iuris, ſiue facti an aliquis ob Clerici percuſſionem excommunicationem contraxerit, non poteſt illum tanquam excommunicatum vitare.*
2. *Amplia id procedere etiam ſi viderit illum percuſſiſſe Clericum publicè, & notoriè.*
3. *Publicus Clerici percuſſor, vt quis dicatur, requiritur vt percuſſio nullà poſſit tergiuerſatione celari, & nullo iuris remedio defendi ad effectum vt quis ipſum euitare teneatur.*
4. *Clerici percuſſor notorius cum poſſit probare id feciſſe ad ſui defenſionem, vel in ebrietate &c. vel ignoraſſe excommunicationem percuſſioni eſſe à iure annexam, hinc fit non eſſe euitandum quamdiu non conſtat per cedullones.*
5. *Excommunicatus notorius abſolutus non præſumitur niſi id probet.*
6. *Qualitas ſemel poſita, quæ ex ſolo curſu temporis non tollitur, præſumitur exiſtere, donec probetur ſublata.*
7. *Semel malus ſemper præſumitur malus.*
8. *Vir timoratus ſi inciderit in excommunicationem non præſumitur ſe velle in illa inſordeſcere, & conſequenter poſt longum tempus præſumitur abſolutus niſi aliunde conſtet.*
9. *Amplia dicta de excommunicatione dubia habere locum in ſuſpenſione, & interdicto dubijs.*
10. *Excommunicatio vel quæcumque alia cenſura ſi eſt conditionalis, & dubium eſt an conditio fuerit impleta non ligat quamdiu non conſtat de conditionis impletione.*
11. *Titularis obligatus ad penſionem ſoluendam in certo termino ſub excommunicatione in forma Cameræ illam non incurrit adueniente termino, priuſquam penſionarius declaret, etiam authenticè, ſuam voluntatem eſſe vt ipſe incurrat.*
12. *Denunciatus publicè excommunicatus in vna Ciuitate, vel Diœceſi, ſi reperiatur in alia Ciuitate & Diœceſi ab id ſciente euitari non debet publicè, ſi ibi publicè id non innoteſcit, ſed occultè tantum.*
13. *A lege antiqua recedendum non eſt, niſi quatenus in lege noua exprimitur.*
14. *In extrauaganti conſtantienſi nihil decretum eſt circa modum vitandi excommunicatum publicè, an occultè, ſed ſolum circa qualitatem excommunicatorum vtrum denunciati ſint, nec ne?*
15. *Excommunicati denunciati publicè vitandi ſi publicè eorum excommunicatio nota ſit, occultè verò ſi publicè ignota dicitur eſſe de iure antiquo.*
16. *Crimen ſecundum ſententiam non paucorum DD. quod per iudicis ſententiam publicatum eſt, alijs etiam locis ſine iniuria euulgari poteſt, & ſic fortaſſe dici poteſt de alibi excommunicato.*
17. *Canones Eccleſiaſtici vetantes communicationem cum excommunicato benignius interpretandi ſunt, nempè vt non obligent cum noua excommunicati infamia.*
18. *Sententia iudicis denunciatoria, ſicut & ipſamet excommunicatio afficit perſonam, quæ proinde illam ſecum fert, quocumque vadat, accedente etiam iuris communis diſpoſitione.*
19. *Publica notitia facti, ſeu criminis commiſſi circumſcripta eſt loco.*
20. *Excommunicatus nominatim vt euitari debeat requiritur vt à iudice, ſiue à ſuperiore ſuo publicè denunciatus ſit.*
21. *Denunciaturus ſententiam ſibi traditam excõmunicationis in ſcripto denunciandam, non tenetur euitare ipſum excommunicatum niſi facta publicatione, & promulgatione.*
22. *Excommunicationis ſententiam abſolutè latam licet non poſſit ſuſpendere appellatio, cum ea executionem ſecum trahat, ſuſpendit nihilominus effectum denunciationis, ita vt appellans pendente appellatione vitandus non ſit.*
23. *Appellatio non datur in facto notorio, datur tamen à ſententia iudicis declarantis factum notorium eſſe.*
24. *Appellatio non datur à pœna iuris datur tamen à ſententia iudicis declarantis aliquem incidiſſe in pœnam iuris.*
25. *Sententia cenſuræ validè in aliquem lata, eius effectus per ſequentem appellationem non ſuſpenditur.*
26. *Excommunicatio, ſicut & quæuis alia cenſura, executionem ſecum trahit, vnde non obſtante appellatione quis denunciari poteſt.*
27. *Excipe ſi appellatum fuit à ſententia iudicis delegati, & ordinarius appellationem admiſit: tunc enim iuriſdictionem in tali caſu à delegato ſuo reuocaſſe cenſetur.*
28. *Cenſuræ effectus ſuſpenditur per legitimam*

appellationem, quæ ſcilicet interpoſita fuit ante ſententiam abſolutè à iudice latam.

29. *Appellatio legitima, quæ ſuſpendit effectum cenſuræ nihil refert an verbis expreſſis facta ſit, vel facto ſolum.*

30. *Sententia excommunicationis latâ poſt legitimam appellationem vel cum alio defectu ſubſtantiali puta defectu iuriſdictionis, & ſimilium ipſo iure irrita eſt, & ſententia non cenſetur.*

31. *Excommunicationis ſententia irrita ob defectus ſupradictos præciſo ſcandalo timenda non eſt, ſi, enim nullitas ipſius manifeſtè appareat non eſſet ſcandalum puſillorum, ſed Phariſæorum.*

1 Eſpondetur ex dictis ibidem: in dubio ſiue iuris, ſiuè facti, an quis excommunicationem contraxerit, v.g. ob clerici percuſſionem, &c. non teneor, imò non poſſum illum, tanquam excommunicatum vitare. Atque ita docet Nauar. *c.* 27. *num.* 27. Auila *p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 11. *dub.* 11. *ante* 6. *concl.* Sanchez *lib.* 1. *moral. c.* 10. *num.* 55.

2 Ratio, quia factum, præſertim delictum, non præſumitur, niſi demonſtretur, vt ſupra dicebatur.

Quinimò non teneor vitare, etiamſi viderim, illum percuſſiſſe clericum publicè, &
3 notoriè: nam vt quis dicatur publicus clerici percuſſor, quem vitare teneamur, requiritur, vt percuſſio nulla poſſit tergiuerſatione celari, & nullo iuris remedio defendi; cùm igitur in hoc caſu, & ferè in omnibus ſimilibus poſſit
4 percuſſor clerici notorius dicere, ſe ad ſui defenſionem, vel in ebrietate, &c. id feciſſe, vel ignoraſſe excommunicationem percuſſioni eſſe à iure annexem, vel quid ſimile: ſequitur, quod quandiu non conſtat per iudicis ſententiam, illum nullo iuris remedio poſſe excuſari, nunquam erit notorius clerici percuſſor, quem teneamur vitare.

Atque ita docent Couar. *in c. Alma mater p.* 1. §. 2. *num.* 7. Sayr. *de cens. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 18. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 4. *num.* 2. & Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 12. vbi ſic ait *vt quis dicatur publicus clerici percuſſor, quem vitare teneamur, requiritur, quod nulla tergiuerſatione celari poſſit*: vnde licet percuſſio notoria ſit, & patens multis; ſi tamen non ſit notorium ijs, qui illam viderunt, percuſſionem non habuiſſe legitimam excuſationem, qua in eo facto à peccato excuſaretur, non cenſetur vitandus: opus eſt ergo, vt conſtet, percuſſorem nullam habuiſſe cauſam percutiendi, vt euitari debeat: nam ſi poteſt probabiliter aliquam allegare cauſam, qua à peccato excuſaretur: quamdiu non conſtiterit, non ita eſſe, non erit vitandus: hoc autem conſtare non poteſt, niſi per iudicis ſententiam, vel per facti notorietatem. Quamobrem raro continget, percuſſionem clerici ita eſſe notoriam facto, vt non poſſit aliquo iuris remedio probabilitate aliqua excuſari, atque adeò debeat vitari.

5 Si autem certò conſtitit, quempiam excommunicatum fuiſſe, dubitatur verò, vtrum abſolutus ſit, id ipſum probari debet, non præſumi. Atque ita docet Sanchez *lib.* 1. *moral. c.* 10. *num.* 57. & Abb. *in c. propoſuit, num* 4. *de cleric. excomm.* vbi ait: quod ſemel excommunicatus, ſemper præſumitur excommunicatus: nam qualitas ſemel poſita, quæ ex ſolo 6
curſu temporis non tollitur, præſumitur exiſtere, donec probetur ſublata, *arg. reg.* 8. *in* 6. *Semel malus, ſemper præſumitur malus.* Quare 7
interim non licet communicare cum illo, præſertim in rebus ſacris; ſed neceſſe eſt, ſaltem probabilem exiſtimationem haberi de eius abſolutione; ſicuti notauit Auila *p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 11. *dub.* 11. *concl.* 6. Sylu. *verb. excommunicatio* 5. *num.* 26. *ex cit. reg.* 8. *in* 6. Et ratio eſt, quia mutatio eſt quid facti; factum autem ex dictis non præſumitur, ſed probationibus, vel coniecturis oſtendi debet; v. g. quia eſt vir ti- 8
moratus, & longum tempus ab excommunicatione contracta elapſum eſt, vt probabile ſit, illum interea abſolutionem obtinuiſſe.

His adde primò, quod dictum eſt de excom- 9
municatione dubia, idem dicendum eſſe de ſuſpenſione, & interdicto dubijs; idque propter eamdem rationem; quia ſcilicet factum (præſertim delictum) non præſumitur, niſi demonſtretur. Ita Sanchez *loco cit. num.* 62. Item, idem dicendum eſſe de denunciatione dubia; & ſic quod in tali caſu excommunicatus vitari non debeat. Ita Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 7. *num.* 129. Item, ſi excommunicatio, vel 10
quæcumque alia cenſura eſt conditionalis, & dubium eſt, an conditio fuerit impleta, eam propter eamdem rationem non ligare; quamdiu non conſtat de conditionis impletione. Ita Emanuel de Moura *opuſc.* 1. *de enſal. & incantat. ſect.* 1. *c.* 5. *num.* 8. qui etiam *num.* 9. cum Gartia, & Suario docet, titularem obligatum ad penſionem ſoluendam in certo 11
termino ſub excommunicatione in forma Cameræ, illam eum non incurrere, adueniente termino, priuſquam penſionarius declaret (etiam authenticè) ſuam] voluntatem eſſe, vt ipſe incurrat: proindéque quamdiu de ea dubitatur (dubitari autem iuſtè poteſt quamdiu eam authenticè non declarat) excommunicatio minimè contrahitur.

Adde ſecundò, ſi ſcias, Titium in vna Ciui- 12
tate, vel Diœceſi publicè denunciatum, vel notarium clerici percuſſorem fuiſſe, ac nondum abſolutum eſſe præſumere poſſis, non debere te eum in alia Ciuitate, vel Diœceſi, vbi eius excommunicatio, vel denunciatio publicè ignoratur, euitare publicè quamuis debeas euitare occultè. Ita Silu. *verb. Excommunicatio.* 5. *num.* 26. Armilla *eodem verb. num.* 61. Auila *c.* 6. *diſp.* 11. *dub.* 12. Sanch. *lib.* 2. *moral c.* 11. *num.* 20.

Ratio eſt, quia à lege antiqua recedendum 13
non eſt, niſi quatenus in lege noua exprimitur, vt habetur in *l. præterea* in fine *Cod. de apellat.* Cùm igitur in extrauagante Conſtantienſi ni- 14
hil decretum ſit circa modum vitandi excommunicatum, publicè, an occultè: ſed ſolùm circa qualitatem excommunicatorum, vtrum denunciati ſint, nec ne: ideo ſtandum eſt iuri antiquo *c. cùm non ab homine de ſent. excommun.* nempè, vt excommunicati (ſcilicet denun- 15

ciati) publicè vitentur, ſi eorum excommunicatio publicè nota ſit; occultè verò, ſi publicè ignota ſit: cui Doctrinæ addo, quod ſi vera eſt ſen-
16 tentia non paucorum Doctorum, nempè, crimen, quod per Iudicis ſententiam publicatum eſt, alijs etiam locis ſine iniuria euulgari poſſe, conſequens ſit, talem etiam in publico euitari poſſe ab ijs, qui illius denunciationem alibi factam eſſe norunt. Sed fortaſſe non tenen-
17 tur eum euitare: quia Canones Eccleſiaſtici vetantes communicationem cum excommunicato, benigniùs interpretandi ſunt: nempè vt non obligent cum noua excommunicati infamia: quamquā id *ex ſupra cit. c. cùm non ab homine*, parum probari poſſe videtur, cùm illud expreſsè loquatur de eo, qui per Iudicis ſententiam denunciatus non eſt. Alia verò ratio eſt de percuſſore clerici alicubi notorio: is enim alibi, vbi eius crimen incognitum eſt, publicè vitari non poteſt, occultè verò vitari non debet, ſecundùm probabilem ſententiam apud Auilam *loc. cit. §. vir. quidam doctus*. Ratio di-
18 uerſitatis eſt quia ſententia Iudicis denunciatoria, ſicut & ipſamet excommunicatio, afficit perſonam, quæ proinde illam ſecum fert, quocumque vadat, accedente etiam iuris com-
19 munis diſpoſitione. At verò publica notitia facti, ſeu criminis commiſſi, circumſcripta eſt loco: ſupponitur enim alibi crimen occultum eſſe.

20 Adde tertiò, non ſufficere, aliquem eſſe nominatim excommunicatum, vt euitari debeat, ſed inſuper requiri, vt à Iudice, ſiue ſuperiore ſuo publicè denunciatus ſit. Ita colligitur ex verbis extrauagantis & docent Nauar. *c. 27. nu.* 35. Couar. *p.* 1. *§.* 2. *num.* 7. *verb. quartò.* Gutierez *lib.* 1. *canon.* 99. *c.* 1. *num.* 29. Auila *p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 3. Ægid. *diſp.* 13. *dub.* 2. aliique ferè communiter.

21 Ex quo ſequitur primò, quod ſi alicui in ſcripto tradita ſit ſententia excommunicationis, vt eam contra aliquem denunciet, denunciaturus non teneatur hominem euitare, niſi poſteaquam ſententia contra illum denunciata, ſeu promulgata ſit.

Secundò ſequitur cum Nauar. *lib.* 5. *Conſil.* 6. *num.* 2. *& conſil.* 9. *num.* 5. *de ſentent. excommun. edit.* 2. & Gl. communiter recepta *in c. cupientes §. quod ſi per viginti, verb. priuatus*
22 *de elect. in* 6. quod, licet appellatio ipſam excommunicationis ſententiam abſolutè latam ſuſpendere non poſſit, cùm ea executionem ſecum trahat. *cap. Paſtoralis §. verum de appellat.* nihilominus ſuſpendit effectum denunciationis vt, ſcilicet appellans, pendente appellatio-
23 ne vitandus non ſit. Et ſimiliter, licet aliquis in facto notorio appellare non poſſit *cap. cum ſit Romana eod. tit.* tamen à ſententia Iudicis declarantis factum notorium eſſe appellare poteſt, cùm is iniuſtè iudicare potuerit: ſicuti
24 notauit Abbas *p.* 1. *conſil.* 100. Denique licet à pœna iuris non appelletur. *cap. quia nos de appellat.* appellari tamen poteſt à ſententia Iudicis declarantis, aliquem incidiſſe in pœnam iuris.

25 Itaque poſteaquam ſententia cenſuræ validè in aliquem lata eſt, eius effectus per ſequentem appellationem non ſuſpenditur, ſicuti ſupra dicebatur, & habetur *in c. is cui de ſent. excommun. in* 6. *c. ad hæc, & c. paſtoralis, §. verum*: cuius ratio ibidem affertur, quia excommunicatio, ſicut & quæuis alia cenſura, 26
executionem ſecum trahit: quare talis, non obſtante tali appellatione, denunciari poteſt, iuxta *cit. cap. Paſtoralis §. verum*, excipe ſi ap- 27
pellatum eſt à ſententia iudicis delegati, & ordinarius appellationem admiſit: tunc enim iuriſdictionem in tali caſu à delegato ſuo reuocaſſe cenſetur, iuxta *c. paſtoralis §. præterea, de offic. iud. delegat.* de qua re vide plura apud Sylu. *verb. excommunicatio*, 2. *num.* 16. Nauar. *c. cùm contingat, de reſcript. remed.* 6. *num.* 7. & Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 15. Suſpenditur tamen 28
cenſuræ effectus per legitimam appellationem, quæ ſcilicet interpoſita fuit ante ſententiam abſolutè à iudice Latam. *c.* 1. *c. præterea* 2. *de appellat. c. ſolet. de ſent. excomm. in* 6. Neque refert, vtrùm ea verbis expreſſis facta ſit, vel 29
facto ſolum; puta, quia reus ſuperioris protectioni ſe ſubiecit, vel ad ipſum iter arripuit, *c. ad audientiam, c. dilecti,* 2. *de appellat.* & docet, Sylu. *verb. Appellatio, q.* 15.

Aduerte tamen hic cùm Gabr. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. Nauar. *cit. c. cùm contingat, de reſcriptis remed.* 2. quum ſententia excommunicationis, 30
vel alia cenſura lata poſt legitimam appellationem, vel cum alio defectu ſubſtantiali (vt ſi qui illam tulit, iuriſdictionem ſimpliciter non habet, vel habeat impeditam per cenſuram excommunicationis, ſuſpenſionis, &c.) ipſo 31
iure irrita ſit, & ſententia irrita, ſententia non cenſeatur, timendam, & obſeruandam propterea non eſſe (per ſe loquendo) niſi ſcandali vitandi ratio aliud exigat. Quare (inquit Gabriel vbi ſupra) ſi aliquis publicè excommunicatur, & denunciatur nulliter, at ex aduerſo publicet ipſe ſufficienter cauſam, propter quam ſententia eſt irrita, eoque facto non pareat ſententiæ (quod intellige, dummodo nullitas ſententiæ manifeſtò demonſtretur) quamuis aliquis tunc ſcandalizetur, non eſt ſcandalum puſillorum, ſed Phariſæorum; neque tenetur eam reuocare occultè ante ſcandali ſedationem; ſed neque in occultò, neque in publico coram ſapientibus, quibus nota eſt.



DVBITATIO XIII.

An si quis ante latam sententiam appellauit, & iudex existimans appellationem illegitimam, ad sententiam excommunicationis procedit; excommunicatus verò in appellatione sua confisus, quamuis dubius, bona fide celebret, irregularitatem contraxisse censendus sit.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus in appellatione sua confisus si dubius bona fide celebret, irregularitatem contraxisse censendus non est, licet postea iudex ad quem pronunciet malè appellatum esse, & iudicis à quo iurisdictionem non suspendisse.*
2. *Irregularitas ex capite celebrantis in excommunicatione vt incurratur, requiritur temeritas, vel saltem mala fides, & culpa mortalis in violando censuram, secus si mala fide appellationem prosecutus post latam sententiam celebrauit.*

1 Respondetur ex dictis ibidem, si quis ante latam sententiam appellauit, & Iudex existimans appellationem illegitimam, ac nullam ad sententiam excommunicationis procedit; excommunicatus verò in appellatione sua confisus, quamuis dubius, bona fide celebret, irregularitatem contraxisse censendus non est; si postea superior, ad quem appellatum fuit, pronunciet appellationem nullam fuisse, & iudicis prioris iurisdictionem non suspendisse. Atque ita docet Gloss. recepta *in c. solet, verb. in officijs de sent. excommun. in 6.* Nauarr. *c. 23. num.* 104. *§. succedit tamen quæstio*, Auila, *cit. p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 12. ex c. ad præsentiam de appellat.*

2 Et ratio est, quia ad irregularitatem ex hoc capite incurrendam requiritur temeritas, aut saltem mala fides, & culpa mortalis in violando censuram; secus verò dicendum est, si mala fide appellationem prosecutus, post latam sententiam celebrauit; sicut rectè Auila *ibidem* notauit.

DVBITATIO XIV.

An in dubio contractæ irregularitatis, homo sit censendus irregularis?

SVMMARIVM.

1. *Irregularis quisque censendus non est in dubio contractæ irregularitatis.*
2. *In dubio positiuo quis non tenetur se tenere irregularem quamuis probabile sit etiam oppositum.*
3. *Homo potest etiam relicta opinione probabiliori, sequi opinionem probabilem excepta materia Sacramentorum quoad ea quæ sunt de necessitate salutis, & quoad id quod est iuris diuini, non autem iuris positiui.*
4. *Ecclesia licet non possit supplere in iis, quæ sunt iuris diuini, potest tamen supplere in ijs, quæ sunt iuris positiui maximè quando est error communis cum titulo colorato, & sine eo etiam.*
5. *Error communis, siue opinio probabilis Doctorum tam in foro externo, quam in foro conscientiæ tribuit iurisdictionem licet opinio illa forsan sit falsa.*
6. *In dubio negatiuo debet quis prius discutere dubium in materia de irregularitate præfata, & ante dubium siue iuris, siue facti discussum debet gerere se vt irregularem alioquin pecca-*
7. *ret mortaliter, secus si post factam moralem diligentiam perseuerat dubium.*
8. *In dubio iuris irregularitas, nec alia pœna, vel obligatio incurritur.*
9. *In dubio facti (homicidio excepto) homo non est irregularis neque in externo, neque in interno foro.*
10. *Dubitans vtrum legitimus natus sit, nec ne, potest legitimus censeri, & sacros ordines accipere.*
11. *Dubitans vtrum vxor vnica fuerit virgo, potest ita præsumere, & fieri Clericus, & sic de alijs, &c.*
12. *Irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis.*
13. *Irregularitas, quæ propter specialem decisionem in dubio homicidij præsumitur extendenda non videtur ad dubium mutilationis cum propriè non sit homicidium.*
14. *Amplia vt etiam extendenda non sit ad dubium homicidij iusti, v. g. in bello, vel in iudicio commissi.*
15. *Amplia vt etiam non sit extendenda ad casum homicidij iniusti quando non constat de existentia homicidij vide casus ibi recensitos de emissione sagittæ. & procuratione abortus.*
16. *Fœtus in dubio non præsumitur animatus, quia est quid facti.*
17. *Amplia etiam dicta procedere etiam in dubio*

commiſſi homicidij, in quo probabiliter adhuc
homo poteſt ſe non tenere irregularem contra
communem DD. opinionem.
18. *Limita cum Henrique id procedere in con-*
ſcientiæ foro licet aliter in foro externo præſu-
matur.
19. *Irregularis cenſendus non eſt dubitans an*
ſuo conſilio, iuſſu, mandato &c. influxerit nec
ne in homicidium ſecutum; præſertim ſi con-
ſultus, iuſſus, vel mandatarius id aſſerant.
20. *Contraria ſententia eſt pariter multorum DD.*
& præſertim Molinæ, & aliorum aptius do-
centium quod teneantur ſolùm ad partem pro
parte dubij.
21. *Irregularis non eſt, neque ad reſtitutionem*
tenetur qui alterum ad damnum inferendum
iam determinatum ſua iuſſione, hortatu, vel
mandato magis ad id confirmauit, vel citius,
& expeditius cauſa fuerit quod damnum illatum
fuerit.
22. *Homo ſi ſua iuſſione, hortatu, vel mandato*
ſuo fuit cauſa vt damnificato damnum maius
inferretur, quam alioquin illatum fuiſſet, te-
netur tunc tantum de tali exceſſu.
23. *Furi ſi quis aſcendenti ſcalam teneat, quam*
ſi nemo teneret adhuc fur aſcenderet: vel ſi alte-
ri obſequium præſtaret in aſportando res furti-
uas, quas is cuiuſque obſequio adhuc auferret
ad reſtitutionem minimè tenetur, ſecus in foro
externo.
24. *Metus iuſtus excuſat à delicto.*
25. *Ruſtici à peccato excuſantur cum à militibus,*
vel Prædonibus mortis metu adducuntur ad
prædas iniuſtas aſportandas.

1 RESpondetur ex dictis ibidem: in du-
bio contractæ irregularitatis homo
non eſt cenſendus irregularis.
2 Vbi aduerte, quod ſi ſumus in
dubio poſitiuo, id eſt, ſi eſt probabile, ſe non eſ-
ſe irregularem (quamuis probabile ſit etiam
oppoſitum) conueniunt Doctores, quod non te-
netur ſe tenere irregularem: quia poteſt ho-
3 mo, etiam relicta opinione probabiliori, ſequi
opinionem probabilem, excepta materia Sacra-
mentorum, quoad ea, quæ ſunt de neceſſitate
ſalutis, & quoad id, quod eſt iuris diuini, non au-
tem iuris poſitiui, in exercitio illorum, ſicuti
ſuo loco dicetur, & ex communi docet Lorca *in*
p. 2. tom. 1. diſp. 39. membr. 2. folio mihi 468.
Sanchez *in ſumm to. 1. lib. 1. c. 9. num.* 35. Et
4 ratio eſt quia licet Eccleſia non poſſit ſupplere
in ijs, quæ ſunt iuris diuini, poteſt tamen ſup-
plere in ijs, quæ ſunt iuris poſitiui: quaprop-
5 ter defacto, tanquam pia mater, in his ſupplet,
quando eſt error communis cum titulo colorato,
iuxta *l. Barbarius. ff. de offic. Prætor.* Quin & per
aliquos (vt pontium de matrim. *lib. 3. c. 22.*
num. 46. & Sancium *in ſelectis diſp. 44. num. 3.*)
etiam ſine titulo colorato: Item, quando eſt
opinio probabilis Doctorum: vnde ſiue Error
communis, ſiue opinio probabilis Doctorum,
tam in foro externo, quàm in foro conſ-
cientiæ tribuit iuriſdictionem (etſi opinio illa
forſan ſit falſa) Leſſius *lib. 2. c. 29. dub. 8. num.*
65. & 68. Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 22.*
num. 49. Suar. *in 3. p. to. 4. diſp. 26. ſect. 6.*
num. 7. Coninch. *de Sacram. diſp. 8. dub. 3.*
num. 22. & dub. 6. num 47. Io. valerum *in diff.*
vtriuſque fori, verb. Nullitas, diff. 7. num. 2. &
Fagundez præcept. 2. lib. 7. c. 2. num. 73.
Si autem ſumus in dubio negatiuo, id eſt, 6
homo eſt pendulus, quia ſcilicet motiuum non
habet aſſentiendi in alterutram partem conue-
niunt etiam Doctores, quod debet homo in ta-
li caſu prius diſcutere dubium, & ante du-
bium, ſiue iuris, ſiue facti; diſcuſſum, gere-
re ſe vt irregularem, alioquin peccaret mor-
taliter, quia exponeret ſe proximè periculo
peccandi. faciendi ſcilicet contra prohibitio-
nem irregularitatis, quod de omni dubio ne-
gatiuo in omni materia intelligendum eſt.
Si tandem poſt factam moralem diligentiam 7
perſeuerat dubium, dico, quod homo non tene-
tur ſe cenſere irregularem.
Et quidem, ſi eſt dubium iuris, nullam ha-
beo difficultatem, quod non ſit neque in foro
externo, neque in interno irregularis, tum ob
principium datum, tum quia ex *c. is. qui de ſent.*
excomm. in 6. ad irregularitatem ob aliquod cri-
men incurrendam requiritur, vt id in iure ex-
preſſum ſit; ſed cum ius dubium, & contro-
uerſum eſt, ſatis expreſſum non eſt; ergo in du- 8
bio iuris non incurritur irregularitas, nec alia
pœna, vel obligatio. Atque ita ſentiunt Suar.
de cens. diſp. 40. ſect. 5. & 6. Sanchez *lib. 1.*
moral. c. 10. num. 42. & ſeqq. Auila *p. 7. de*
cenſ. diſp. 2. dub. 6. Couar. *in clement. par. 1.*
num. 3. Molina *tract. 3. diſp. 33. mem. 7. &*
diſp. 67. num. 6. & 7. & alij contra Vaſq.
diſp. 65. c. 3. & diſp. 66. c. 1. Azorium *to. 1.*
lib. 2. c. 19. q. 10. & Pontium *lib. 10. de ma-*
trim. c. 15.
Si autem eſt dubium facti, & ſumus in alijs 9
dubijs facti, præter homicidium, adhuc cen-
ſeo, quod homo non ſit irregularis, neque in
externo, neque in interno foro, v. g. qui du-
bitat, vtrum legitimus natus ſit, nec ne, po- 10
teſt legitimus cenſeri, & ſacros ordines ac-
cipere. Qui dubitat, vtrum vxor vnica, fuerit 11
virgo, poteſt ita præſumere, & fieri clericus:
& ſic de alijs, &c.
Probatur, tum ex principio dato; tum quia 12
non eſt ſtatuenda irregularitas, præterquam
in caſibus à iure expreſſis, *cit. c. is qui de*
ſentent. excomm. in 6. Sed vt in dubio iuris ali-
quis irregularis cenſeatur, de ſolo caſu homi-
cidij voluntarij expreſſum videtur, *c. ad au-*
dientiam. c. ſignificaſti, & c. penult. de homic.
ob ſpecialem eius deformitatem in ordine ad
ſacrum altaris miniſterium: ergo non debet
extendi ad alios caſus iure non expreſſos: ſed
ſtandum eſt cum iure communi, tam canoni-
co, quàm ciuili: *in dubio* ſcilicet *neminem con-*
demnandum: in pœnis benigniorem interpretatio-
nem faciendam, &c.
Quapropter ſpecialis illa deciſio, vt in du- 13
bio homicidij irregularitas præſumatur, exten-
denda non videtur ad dubium mutilationis;
quia mutilatio propriè non eſt homicidium.
Atque ita docet Sanchez *lib. 1. moral. c. 10.*
num. 49.
Secundò, extendenda non videtur ad du- 14
bium homicidij iuſti, v. g in bello, vel in iu-
dicio commiſſi: quia Pontifices loquuntur de
caſu homicidij prohibiti: odia autem, & pœ-

næ restringendæ potius, quàm extendendæ sunt. Atque ita docet Henric, *lib.* 14. *c.* 3. *nu.* 4. *litt. X* Sanch. *loc. cit. num.* 50. Auila *par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 3. vbi citat, Nauar. Præpos. 3. *p. q.* 5. *de irregular. dub.* 12. *nu.* 97. & Merolla *to.* 1. *disp.* 3. *c.* 3. *num.* 252.

15 Tertiò, extendenda non videtur propter eamdem rationem, etiam ad casum homicidij iniusti, quando non constat de existentia homicidij: v. g. si dubitat quis, an emissione suæ sagittæ homicidium aliquod secuturum sit, vel si quis procurauit, & fecit abortum, sed dubitat de fœtus illius animatione per animam rationalem: Atque ita, etsi contra communem Doctorum opinionem, docet Moura *opusc. de Ensal. & in cantat. sect.* 3. *c.* 1. *num.* 27. *&* Præpos. *in* 3. *par. q.* 5. *de irregularit. dub.* 8. *num.* 58. vbi ait, irregularem esse eum, qui post animationem fœtus procurauit abortum: sed si adhibita diligentia verè remaneat dubius, non videri irregularem: quia nec est censendus irregularis ex eo, quod irregularitas homicidio sit apposita, cùm dubitetur, num hic, & nunc commissum sit homicidium, neque etiam ex eo, quod in dubio homicidij aliquis debeat se habere, tanquam irregularem quia si bene perpendantur iura id statuētia, aduertetur, ea non comprehendere præsentem casum, cùm omnia supponant subiectum capax mortis: nam agunt, quando constat de morte alicui illata, & dubium est à quo ex varijs concurrentibus sit illata quo casu decernitur, eos, de quibus dubitatur, habendos irregulares: in præsenti verò casu dubium versatur circa conditionem subiecti, an scilicet fœtus viueret, nec ne: vnde dispositio iuris non intelligitur de nostro dubio: & proinde non satis constat, an in præsenti casu irregularitas iure sit alligata, & per consequens non est dicenda incurri. Fauent etiam Gomez *de delict. c.* 3. *in rubr. de homicidio num.* 3. *in fin.* & Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. q.* 68. *num.*

16 9. quatenus docent, quod in dubio fœtus non præsumitur animatus; & probari potest ex nostro principio: quia id est quid facti, factum autem non præsumitur, nisi demonstretur.

17 Tandem addo, quod, etiamsi simus in dubio commissi homicidij, probabiliter adhuc homo potest se non tenere irregularem, idque ex principio dato: fateor tamen quod opinio communis Doctorum sit in oppositum, *ex c. ad audientiam, c. significasti, & c. penult. de homic.* vbi dicitur. *Si discerni non potest ex cuius ictu percussus interijt, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi: cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare.* At nobiscum sentit Henriq. *lib.* 14. *c.* 3. *num.* 3. *&* 4. *& c.* 14.

18 *num.* 3. vbi, vniuersim negat, aliquem in dubio æquali, siue iuris, siue facti, irregularem censendum esse in conscientiæ foro, etsi aliter in foro externo præsumatur: vnde patet responsio ad Canones supra adductos. Et hanc opinionem probabilem esse, fatetur Suar. *de cens. disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 10. & Rebellius *par.* 2. *lib.* 1. *c.* 2. *sect.* 2.

19 Quapropter multò minus irregularis censendus est ille qui dubius est, an suum consilium, iussio, vel mandatum, &c. influxerit nec ne, in homicidium secutum, præsertim si consultus iussus vel mandatarius, &c. id asserat, cuius dictis in tali casu standum esse, aduertit Petrus Corneio *in* 3. *p. tract.* 5. *de irregular. disp.* 1. *dub.* 2. *&* Henriquez *loco cit. c.* 16. *num.* 3.

Confirmatur, quia probabiliter in supradicto casu homo, nec ad restitutionem, tenetur. Atque ità docet Silu. *verb. Restitutio* 3. *q.* 6. *disp.* 2. Medina *Cod de restit q.* 7. Nauar. *lib.* 3. *c.* 4. *dub.* 4. *in* 2. *edit.* Sayr. *in claui Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 8. *num.* 1. Rebell. *part.* 1. *lib.* 2. *q.* 14. *sect.* 2. Villalob. *to.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 10. *num.* 9. Vultherus *de Iust. & Iur. q.* 62. *art.* 8. *disp.* 2. Filliuc. *to.* 2. *tract.* 21. *c.* 4. *num.* 167. & alij.

Quod tunc magis probabile est, quando (vt præter Henriq. & Petrum Corneio vbi supra ait Sayrus de *censur. lib.* 7. *c.* 3. *num.* 2. is qui damnum dedit, asserit, se consilio, iussu, vel mandato &c. motum non fuisse; saltem in casu, quod qui ita asserit fide dignus est, aut tales coniecturæ concurrunt, vt prudens vir arbitretur, fidem ei hic, & nunc habendam esse, vt admittunt etiam Sanchez *lib. moral. c.* 10. *num.* 44. *&* Palaus *to.* 1. *disp.* 3. *punct.* 4. *nu.* 3.

Contrarium tamen (non nego) sentiunt Couar. *in Clem. si furiosus, par.* 2. *§.* 2. *num.* 1. Salas. *in* 3. 2. *to.* 2. *tract.* 8. *disp.* 1. *sect.* 23. *num.* 249. Sanchez *de matrim. to.* 1. *lib.* 2. *disp.* 21. *num.* 17. Mascardus *de probat. to.* 1. *concl.* 419. *num.* 9. Naldus *in summa, verb. consilium. num.* 13. Merolla *to.* 1. *disp.* 3. *c.* 3. *coroll.* 6. *num.* 41. *&* Sancius *in select. disp.* 42. *num.* 14. qui docent, quod in tali dubio homo ad restitutionem in totum teneatur (quamuis melius Molina *to.* 3. *disp.* 736. *num.* 6. & alij doceant quod teneatur solum ad partem pro parte dubij: sicut ad partem pro parte dubij tenetur, qui rem furtiuam emit, dubitans an sit furtiua) vide, quæ dicentur infra dubit, 47. 20

At quidquid sit de hoc, illud saltem satis probabiliter dici potest cum Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *c.* 5. *num.* 5. & alijs, quos ipse adducit contra Caietanum 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. Medinam *de restit. q.* 7. *&* 8. & Sotum *de Iusti. lib.* 4. *q.* 7. *art.* 3. quod qui alterum ad damnum inferendum iam determinatum, sua iussione, hortatu, vel mandato, &c. magis ad id confirmauit, non sit irregularis, nec ad restitutionem teneatur; quod contra Molinam *tom:* 3. *disp.* 736. *nu.* 3. *&* Vasq. *opusc. de restit. c.* 9. *§.* 1. *dub.* 1. *in fine, & dub.* 2. *num.* 32. & alios, verum arbitror, etiamsi sua iussione, hortatu, vel mandato, &c. causa fuerit, vt citius, aut expeditius, damnum inferretur. 21

Ratio, quia iussio, suasio vel mandatum &c. hic, & hunc non influit reuerà in substantiam damni, cùm, ijs omnibus remotis, adhuc secutum esset damnum: quod si tamen iussione, hortatu, vel mandato suo &c. fuit causa homo, vt damnificato damnum maius inferretur, quàm alioquin illatum fuisset, tenetur tunc tantum de tali excessu; quia talis excessus reuera is causa fuit, & in hunc excessum reuera influxit. 22

Vnde à fortiori sequitur, quod si quis furi ascendenti scalam teneat, quam si nemo teneret, adhuc fur ascenderet: vel si alteri obsequium 23

præstet

præſtet in aſportando res furtiuas, quas is ſine cuiuſque obſequio adhuc auferret: in his, & ſimilibus caſibus ad reſtitutiônem minimè tenetur (quidquid in contrarium aſſerat Vaſq. *vbi ſupra cit. c.* 9. §. 2. *dub.* 2.) Ratio, quia talis cooperatiò materialiter ſe habet, & nullo pacto influit in effectum, cùm etiam, remota ipſa, ſecutus fuiſſet effectus ab eodem numero agente: In externo foro tamen meritò puniri ſolet ob delictum.

24 Excipe, ſi metus iuſtus excuſet; qua ratione
25 etiam à peccato excuſantur ruſtici, cùm à militibus, vel prædonibus mortis metu adducuntur, ad prædas iniuſtas aſportandas, vel auehendas. Vide S. Th. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *& in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *ar.* 5. ibidem Palud. *q.* 2. *art.* 3. S. Anton. *p.* 2. *to.* 1. *c.* 12. §. 12. Adrian. *in* 4. *de reſtit. dub.* 1. Sylu. *verb. reſtitutio.* 3. *q.* 6. *dicto* 3. *&* 4. Nauar. *c.* 17. *num.* 17. & Leſſ. *de Iuſtit. lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 2. *num.* 6. *& dub.* 4. *num.* 35.



DVBITATIO XV.

An, ſi quis certus eſt de voto, dubius autem de qualitate voti, ad ſtrictius votum teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans de qualitate voti cùm ſit certus de voto, ad ſtrictius votum non tenetur.*
2. *Stricta interpretatio fieri debet quando agitur de obligatione inducenda.*
3. *Vouens quotidie dicere roſarium, dubitans autem an vouerit integrum, an genuflexus, poteſt eligere tertiam partem, non genuflexus, & ſi omiſerit in aliquo die, non tenetur repetere in alio.*
4. *Vouens religionem, & dubitans an vouerit profeſſurum, poteſt non vouens profiteri.*
5. *Vouens ingredi & profiteri Religionem, ſi deprehendat in tempore nouitiatus eam ſibi ex aliqua cauſa non accommodam poteſt adhuc probabiliter non profiteri.*
6. *Profeſſio ante annũ nouitiatus completum emiſſa irrita eſt ex diſpoſitione Sac. Concilij Tridentini.*
7. *Renunciationes factæ in nouiciatu quoad effectum ſuſpenduntur in tempus profeſſionis.*
8. *Votum profitendi ad mentem Sac. Concilij Tridentini intelligitur conditionaliter ſi ſcilicet homo expertus fuerit religionem ſibi conuenire.*
9. *Amplia, id eſſe verum etiam ſi Nouitius culpa ſua poſtea expelleretur.*
10. *Vouens caſtitatem, dubitans autem an perpetuam, vel temporalem vouerit, tenetur tantum ad temporalem.*
11. *Vouens dare panem pauperibus, dubitans autem de qualitate ſatisfacit dando panem vſitatum, & non tenetur dare de puro tritico niſi conſtet de alia intentione vouentis.*
12. *Vouens dare Eccleſiæ certam tritici menſuram, dubitans autem an de maioribus, vel minoribus intellexerit, poteſt eligere minores ex conſuetis in illo loco.*
13. *Idemque dicendum de nummis.*
14. *Vouens dare calicem, dubitans autem ex qua materia, poteſt dare talem qui ſit aptus diuino cultui, & ſecundum vſum communem Eccleſiæ v. g. aureum, vel ſtanneum, dummodò cuppam auream, vel argenteam habeat.*
15. *Vouens ieiunare, dubitans autem an vouerit etiam abſtinentiam à lacticinijs, ad iſtam non tenetur.*
16. *Vouens dare vinum ad vſum ſacrificij Miſſæ, non tenetur ad optimum, ſed ad decens pro tali vſu, item dic de tritico.*
17. *Vouens religionem & dubitans an in communi, an vero in particulari, poteſt quamlibet ingredi.*
18. *Vouens ſe non acceſſurum ad fœminam, & dubitans an de acceſſu fornicario, vel vxorario intellexerit, poteſt nubere.*
19. *Dubitans ſi magis inclinet in eam partem, quæ eſt contra ſe ipſum, adhuc ad illam non tenetur; quinimo neque ad illius partem pro parte dubij.*
20. *Dubitans certus de voto an habuerit animum ſe obligandi, vel an aduerterit, &c. tenetur ad votum non tamen eſt illud reſeruatum Pontifici in caſu, quod ſit de votis reſeruatis Pontifici.*
21. *Reſeruatio cum ſit odioſa ad certos caſus ſolum eſt reſtringenda, & non extendenda etiam ad caſus dubios.*
22. *Votum emiſſum poſt ſeptennium à dubitante an tunc vſum rationis adeptus fuerit, licet votum teneat, non eſt tamen reſeruatum.*
23. *Limita niſi id faciendum erat cum defectus non præſumatur. Limita ſecundò niſi quia vt plurimum ſic fieri conſueuit.*

Reſpondetur, ex dictis ibidem; ſi quis certus eſt de voto, dubius autem de qualitate voti, ad ſtrictius votum non tenetur; idque ob principium datum; præſertim, quia quando agitur de obligatione inducenda, ſtricta interpretatio fieri debet, vt habetur *in c.* 1. *de iureiur. lib.* 6. *& in l. quidquid aſtringend. ff. de verb obligat.* 1 2

Vnde ſi quis vouit quotidie dicere roſarium, dubitat autem, an vouerit integrum item, an genuflexus, item, an ſi omiſerit in aliquo die (etiam ex cauſa illegitima) teneatur in ſequenti die bis dicere, poteſt eligere tertiam partem, non genuflexus, & ſine onere dicto. Vide Suar. *de relig. to.* 2. *lib.* 4. *c.* 8. *num.* 5. 3

Item ſi vouit Religionem, & dubitat, an vouerit profeſſurum, poteſt non profiteri. Ita Suar. *vbi ſupra*, & Bonacina *de voto q.* 2. *punct.* 5. *num.* 23. & alij paſſim. 4

Quinimò addo contra communem Doctorum opinionem, quod etiamſi vouit ingredi, & profiteri, poſtea autem in tempore Nouiciatus deprehendit Religionem ſibi ex aliqua 5

causa non accommodam, potest adhuc probabiliter non profiteri.

Ratio quia vtrumque votum ingrediendi, & profitendi intelligi debet secundum Canones annum Nouiciatus concedentes, vt si infra hoc tempus Religio minimè placuerit, integrum sit illi egredi; & sic in voto ipso perseuerantiæ inest ex dispositione iuris hæc tacita conditio. Quapropter Trident. *Sess. 25. c. 15.*
6 irritam reddit professionem ante annum Nouitiatus completum emissam; ne adimatur potestas egrediendi, si scilicet homo intra illud tempus experitur Religionem illam sibi non congruere; *& in c. 18.* propter eamdem
7 rationem, omnes renunciationes suspendit in tempus professionis; Vnde apparet mentem
8 Tridentini esse, vt votum etiam profitendi intelligatur conditionaliter; si scilicet homo expertus fuerit, Religionem sibi conuenire. Atque ita docent Sot. *de Iust. lib. 3. q. 2. ar. 1. ad 3.* Ledesma *to. 2. tract. 10. c. 3. dub. 7. cas. 4* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 5. num. 48.* Arag. *2. 2. q. 88. ar. 3.* Reginald. *to. 2. lib. 18. c. 25. num. 383.* & Nauar. *lib. 3. consil. tit. de voto, in 1. edit. cons. 19. & in 2. edit. cons. 25.*

9 Quinimò addit Azor. *p. 1. lib. 11. c. 22. q. 9.* id esse verum, etiamsi Nouitius culpa sua postea expelleretur. Ratio, quia prædictum votum ad solum ingressum bona fide obligauit, quod à vouente iam est impletum. & sic voto satisfecit: quamuis contrarium satis probabiliter sentiat Tol. *lib. 4. c. 17. num. 12. & c. 18. num. 2.*

10 Item si vouit castitatem, dubitat autem perpetuam, vel temporalem, tenetur tantum ad temporalem. Ita Sanch. *to. 1. moral. lib. 4. c. 13. num. 16. & seqq.*

11 Item, si vouit dare panem pauperibus, dubitat autem qualem, sufficit dare ijs panem vsitatum, & non tenetur dare de puro tritico; nisi constet de alia intentione vouentis. Et ita docet Suar. *de relig. to. 2. lib. 4. c. 8. num. 9.* & Merolla *vbi infra num. 110.*

12 Item, si vouit dare Ecclesiæ certas tritici mensuras, dubitat autem, an de maioribus, vel minoribus intellexerit, potest eligere minores ex consuetis in illo loco. Ita Nauarr. *comment. 1. de regular. num. 20.* Mol *to. 1. disp. 198* Valentia *to. 3. disp. 6. q. 8. punct. 4.* Sanch. *to. 1. mor. lib. 4. c. 13. num. 11.* Azor. *to. 1. lib. 11. c. 20. quæst. 2. & 10.* & Rebell *par. 1. lib. 2. quæst. 14. sect. 2. num. 10. ex c. ex parte, de*
13 *censur.* idemque dicendum de nummis, *l. nummis, ff de legatis. 3.*

14 Item, si vouit dare calicem, dubitat autem ex qua materia, potest dare talem, qui sit aptus diuino cultui, & secundùm vsum communem Ecclesiæ, v. g. æreum, vel stanneum, dummodo cuppam auream, vel argenteam habeat. Atque ita docent Azor. *to. 1. lib. 11. c. 20. q. 10.* Merolla *to. 1. disp. 3. num. 109.*

15 Item, si vouit ieiunare, dubitat autem, an vouerit etiam abstinentiam à lacticinijs, ad istam non tenetur. Atque ita contra Turrianum *to. 1. opusc. 10. disp. 1. dub. 2.* docent Anglés. *p. 1. de ieiun. quæst. 9. art. 1. dub. 2.* & Io. Solas *in 1. 2. to. 2. tract. 8. disp. vnic. sect. 25. num. 250.*

Item, si vouit dare vinum ad vsum sacrificij Missæ, non tenetur ad optimum, sed ad decens pro tali vsu. 16

Item, si vouit dare triticum, neque tenetur ad optimum, sed ad illud, quod fuerit conueniens pro fine, quem vouens intendit. Vide Doctores citatos, & Merollam *num. 110.*

Item, si vouit Religionem, & dubitat, an vouerit Religionem in communi, vel hanc in particulari, potest quamlibet ingredi: quia possessio stat pro libertate. 17


Item, si vouit, se non accessurum ad fœminam, & dubitat, an de accessu fornicario vel vxorario intellexerit, potest nubere; quia possessio stat etiam pro libertate. Atque in ambobus vltimis casibus docet Sanc. *in select. disp. 43. num. 3. & 4.* qui citat Sanch *de matrim. to. 1 lib. 2. disp. 41. num. 33* Ita etiam docet Petr. Corneio *in 1. 2. tract. 8. q. 19. disp. 4. dub. 2.* 18

Aduerte tamen hic, quod etiamsi qui dubitat, inclinet magis in eam partem, quæ est contra seipsum, adhuc ad illam non tenetur: quinimò neque ad illius partem pro parte dubij: idque ex eodem principio: quia, vt supra *dubit. 1.* dicebatur, qui non omnino dubitat, sed magis in eam partem inclinat, quod emiserit votum, promissionem, &c. non tenetur ad votum, promissionem, &c. neque etiam ad partem pro ratione huius maioris propensionis: atque ita contra Filliucium *to. 2. tract. 21. c. 4. num. 165.* Rebellum *par. 2. lib. 1. q. 2. sect. 2. num. 10. & 11.* & Sanchez *de matrim. lib 2. disp. 41. num. 34.* docent Sanchez *se retractans in summa to. 1. lib. 1. c. 10. num. 36.* Fernandez *p. 1. c. 2. §. 2. num. 4.* Garsias *de Benefic. to. 2. p. 7. c. 2. num. 23.* & alij. 19

Idem ibidem dixi de dubitante in materia iustitiæ: est enim eadem ratio: qua de re vide Vasq. *in p. 2. disp. 66. c. 7. num. 42.* & Salas *in p. 2. to. 2. tract. 8. disp. 1. sect. 23. num. 23.*

At, si quis certus est de voto, dubitat autem, an habuerit animum se obligandi, vel an aduerterit, &c. tenetur ad votum, vt *cit. dub. 1.* dicebatur: non tamen est illud reseruatum Pontifici, in casu quod sit de votis reseruatis Pontifici: quia cùm reseruatio sit odiosa, ad certos casus solum est restringenda, & non extendenda etiam ad casus dubios. Atque ita docet Suar. *de relig. to. 2. lib. 6. c. 26. num. 6.* Sanch. *mor. tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 26. & c. 44. num. 3.* 20 21

Quapropter similiter dicendum est, non esse reseruatum votum, si quis votum emiserit post septennium dubitat autem, an tunc vsum rationis adeptus fuerit (in quo casu votum tenet, vt ex principio dato colligitur) quia, quamuis vsum rationis hominem adeptum esse est quid facti, factum autem non præsumitur, nisi demonstretur: id tamen (vt ibidem dicebatur) limitationem habet. Primò, nisi id faciendum erat, cùm defectus non præsumatur. Secundò, nisi quia vt plurimum sic fieri consueuit, sicuti est in vsu nostro, quia septennio completo, vt plurimum vsus rationis aduenisse solet. 22 23



DVBITATIO XVI.

An in dubio, vtrum caſus indigeat diſpenſatione, poſſit homo ſine diſpenſatione operari?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans, an caſus indigeat diſpenſatione, poteſt ſine diſpenſatione operari, maximè ſi dubium ſit poſitiuum.*
2. *Diſpenſatio licet ſecundum Bonacinam, & alios, petenda ſit in dubio negatiuò, nihilominus ſi æquè dubium eſt, an caſus indigeat, vel non indigeat diſpenſatione, dici poteſt non indigere.*
3. *Dubitans, an indigeat diſpenſatione, ſi inclinet magis ſe diſpenſatione indigere, adhuc poteſt exiſtimari non indigere.*
4. *Nemo debet cenſeri aliquo præcepto, ſeu lege obligatus, ſi de lege moraliter certo non conſtet.*
5. *Diſpenſatio ſi in tali dubio negatiuo requiratur, ſufficit diſpenſatio Epiſcopalis, quia Pontifici non videtur reſeruatus caſus dubius.*
6. *Poteſtas diſpenſandi late eſt interpretanda.*
7. *Prælatus inferior non improbabiliter ſecundum aliquos DD. poteſt diſpenſare in legibus Superioris ſi ei interdictum non ſit.*
8. *Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt, quidquid poteſt Pontifex in tota Eccleſia niſi à Pontifice prohibeatur.*
9. *Limita primo, id procedere cum dependentia, & ſubordinatione ad Pontificem tanquam ad ſuperiorem.*
10. *Limita ſecundò, in communi, & ordinaria gubernatione excluſis cauſis maioribus, & ad primum gradum meri imperij pertinentibus, quæ ſummæ Sedi in ſignum ſpecialis priuilegij reſeruata ſunt.*
11. *Limita tertiò, dummodo Epiſcopus nihil contra vniuerſales Eccleſiæ leges, vel conſuetudines decernat.*
12. *Diſcrimen cur id nequeant Epiſcopi contra leges Papæ, & ſæcularibus Principibus permiſſum ſit contra leges Imperatoris ſtatuere tradit Butrius.*
13. *Limita quartò, dummodò Epiſcopi, & alij Papæ inferiores non ſtatuant, aut priuilegia dent cum præiudicio, vel diminutione iuris aliorum quod eſt ſolius Principis ſupremi.*
14. *Epiſcopus non poteſt condere ſtatutum in præiudicium iuris inferiorum Eccleſiarum, cauſa maxima non vrgente.*

Del Bene, p. Pars.

Reſpondetur ex dictis ibidem; in dubio, an caſus indigeat diſpenſatione poteſt homo ſine diſpenſatione operari. 1

Et quidem, ſi dubium ſit poſitiuum, non eſt difficultas, vt ſupra dicebatur; Et ratio breuiter eſt, quia in tali caſu homo ſequitur opinionem probabilem, qui autem ſequitur opinionem probabilem prudenter operatur, quia operatur cum fundamento, & non temerè; Atque adeo, ſine peccato; & ita in terminis docet Barb. *de poteſt. Epiſc p. 2. allegat.* 35. *n.* 18.

Si autem eſt dubium negatiuum (quamuis 2 Bonacina *de legibus diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 18. & alij communiter putent diſpenſationem petendam eſſe) tamen cum Caſtro Palao *to.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 5. *num* 10. & Sancio *in ſelectis diſp.* 43. *num.* 44. exiſtimo, quod ſi æquè dubium eſt, an caſus indigeat, vel non indigeat diſpenſatione, dici poſſit non indigere: quia factum (quale eſt adeſſe impedimentum) non præſumitur, niſi probetur; & in tali caſu poſſeſſio ſtat pro libertate ad contrahendum; & abſque certo iure nemo ſpoliandus eſt, ſua poſſeſſione.

Imò etiamſi inclinet magis homo, ſe diſpen- 3 ſatione indigere, adhuc exiſtimò. illum reputare poſſe ſe non indigere illa; idque ex principio dato ſuprà *dub.* 1. præſertim quia non debet cenſeri homo aliquo præcepto, ſeu lege 4 obligatus, ſi de lege moraliter certò non conſtet, vt ſupra etiam dicebatur.

Sed eſto, quod ad rectè operandum in tali 5 dubio requiratur diſpenſatio, ſufficit tamen diſpenſatio Epiſcopalis; quia Pontifici non videtur reſeruatus caſus dubius, vt cum Suar. & Sanch. de voto ſupra dicebatur, & poteſtas diſ- 6 penſandi late eſt interpretanda; Et ita docent in terminis Sà *verb. Diſpenſatio. num.* 1. & Barboſa, *vbi ſupra, num.* 19. quam ſententiam eſſe probabilem, tradit etiam Salaſ. *de legibus diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 28. Præſertim, quia multi Doctores non improbabiliter docent, Præla- 7 tum inferiorem poſſe diſpenſare in legibus Superioris, ſi ei interdictum non ſit: ſicuti tradunt S. Antonin. *p.* 1. *tit.* 17. §. 20. Sot. *in* 4. *d.* 37. *q.* 1. *ar.* 4. §. *At quo tandem.* Couar. *in c. Alma mater p.* 1. §. 7. *num.* 8. idque probabile eſſe, tradit etiam Bonacina *de* legibus *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 27. & fauent Sanchez *de matrim. to.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 61. *num.* 3. & alij Doctores, quos citat Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.* 2. *allegat.* 33. *num* 17. aientes, Epiſcopum in ſua 8 Diœceſi poſſe, quidquid Pontifex poteſt in tota Eccleſia, niſi à Pontifice prohibeatur.

Quod dictum intellgas, primò, cum depen- 9 dentia, & ſubordinatione ad pontificem, tanquam ad ſuperiorem, iuxta *c. qui ſe ſcit. & ſeqq.* 2. *q.* 6.


Secundò, de communi, & ordinaria guber- 10 natione, excluſis cauſis maioribus, & ad primum gradum meri imperij pertinentibus, quæ ſummæ Sedi in ſignum ſpecialis priuilegij reſeruata ſunt, iuxta *c.* 1. *&* 2. *de tranſlat. Epiſcopi, c. tranſlationem de offic. legati c. maiores de baptiſmo, c. quamuis* 3. *q.* 6. & teſtantur Damaſus Papa *in epiſt.* 4. Zoſimus *in epiſt.* 5. *ad Epiſc.*

Galliæ: huc pertinent v.g. depositio, vel translatio Episcopi, Diœcesium diuisio, & mutatio.

11 Tertio, vt nihil contra vniuersales Ecclesiæ leges, vel consuetudines Episcopus decernat;
12 quamuis secularibus Principibus sæpè concessum sit, contra legem Imperatoris statuere, cuius discriminis rationem videre potes apud Abb. *c. vlt. de consuet. num.* 9. & Butrium *in c.* 1. *num.* 3. *de translatione Episcopi.*

13 Quartò, vt Epicopi, & alij Papa inferiores non possint statuere, aut priuilegia dare cum præiudicio, vel diminutione iuris aliorum; quia solius Principis supremi est per plenitudinem potestatis, postulante causa publica, vni auferre, & alteri dare, vt rectè dixit Gl. *in c. constitutus, verb. à quocunque, de relig. domibus.*

14 Vnde Abb. *in c. vestra, not.* 1. *de locato*, ait, quod Episcopus non potest facere statutum in præiudicum iuris iuferiorum Ecclesiarum, causa maxima non vrgente: in tali enim casu, cùm consentire, boni publici gratia, illæ teneantur, etiam ipsis nolentibus, procedi poterit. Sed de potestate Episcopi plura vide apud Silu. *verb. Episcopus* §. 7. & 10. Henriq. *lib.* 10. *c. vult.* & Barbosam *in loco supra cit.*



DVBITATIO XVII.

An, si qui bona fide poßidet rem aliquam, incipit dubitare, vtrum illa aliena sit, nec ne, restituere teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Possidens bona fide rem aliquam si incipiat dubitare, an illa aliena sit, & restitutioni obnoxia nec ne, restituere non tenetur.*
2. *Possessio est sufficiens titulus deponendi dubiam conscientiam, & honestandi retentionem.*
3. *Cum sunt partium iura obscura, reo potius fauendum est quam Actori.*
4. *Possessor bonæ fidei sine plena, & euidenti probatione in contrarium remoueri non debet.*
5. *Forum internum semper foro externo confirmari debet, quando externum falsa præsumptione non innititur.*
6. *Duplex ius superare debet vnum.*
7. *Dubitatio impedit bonam fidem in incipiente possidere, at in continuatione possessionis solum requiritur, vt ignoret rem esse alienam.*
8. *Possessor bonæ fidei in casu præfato in foro conscientiæ non tenetur restituere licet aliqui DD.*
9. *sentiant oppositum, asserentes teneri eum, qui bona fide possidet diuidere rem cum persona, cuius dubitatur an res illa sit, vel ea ignorata, eum pauperibus pro proportione dubij.*
10. *Possidens bona fide tenetur in casu præfato dubium discutere, & veritatem inquirere, & interea non vti re illa, si vsu consumitur, & si non consumitur vsu, vti, animo soluendi pretium debitum pro seruitio, deductis expensis.*
11. *Possessor bonæ fidei dubius de re possessa si factis diligentijs non potuit inuenire veritatem, & dubium speculatiuum deponere, potest practicè illam retinere tutus in conscientia, quin etiam alienare, & absumere, & cur.*
12. *Possessor bonæ fidei cui superuenit dubium de re poßeßa, si factis diligentijs non inuenerit Dominum, & ideo rem vendiderit & c. non tenetur illo comparente nisi instar bonæ fidei possessor.*
13. *In pari causa Possessor potior haberi debet, & in pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.*
14. *Possessor bonæ fidei, cui superuenit dubium de re possessa, secundum aliquos semper tenetur restituere pretium rei venditæ, quod tamen tunc verum est, quando ex toto pretio factus est ditior.*
15. *Possessor bonæ fidei, cui superuenit dubium de re possessa, si occurrente dubio non instituit inquisitionem, & postea certo cognouit rem fuiße alienam, tenetur Domino restituere non solum rem, sed etiam fructus consumptos ex eo tempore, quo dubitare capit.*
16. *Possessor prædictus si omittat inuestigare Dominum cum ipse posset forsan comparere, & ea de causa forsan non compareat, possesorem malæ fidei se constituit, & ideo rem, & fructus pro qualitate dubij restituere tenetur.*
17. *Rebuffus & alij DD. tenent oppositum etiam vt probabile.*
18. *Auferens rem in tali dubio à bonæ fidei possessore sine iudicis auctoritate, iniustum ei damnum infert, & ad integram rei restitutionem obligatur, contra Medinam tenentem teneri eum pro parte dubij, qui possidet.*
19. *Restituere tenetur quis rem aliquam ab eo acceptam qui bona fide possidebat, si moraliter certus non sit, suam eße.*
20. *In pari dubio potest is retinere dimidium, si magis inclinet esse alienam, alteri maior pars est reddenda, idque procedit secundum varios gradus.*
21. *Possessio, cum neutri parti suffragetur res ex coniectura, & opinione iuris vtriusque partis statuenda est, secus autem si suffragetur alteri ex eo quod bona fide possidet.*
22. *Possessor bonæ fidei si speculatiuè probabilius iudicet rem ad alterum pertinere, dum tamen moraliter de hoc certus non est, ad nullam restitutionem obligatur.*
23. *Possesio præponderat omnibus rationibus non conuincentibus.*
24. *Possidens debet secundum aliquos iudicare rem esse suam vt possit retinere, alias retinens operaretur contra conscientiam.*
25. *Bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, cum vero sciuerit, nec à possessione receßerit, tunc malæ posseßor perhibetur.*
26. *Possessor si post veritatis inquisitionem ipsi certo non constet rem ad alterum pertinere, si alius eam sibi restitui petat, solet iudicium experiri, & ante non restituere, quam à iudice cognita causa condemnetur.*

27. *Doctrina prædicta non procedit in debitis certo contractis, & ſolutione dubia, nam ſi quis certo ſibi conſtat, debitum ſe contraxiſſe, dubitet tamen an ſoluerit, tenetur ſoluere, & cur.*
28. *Venditor non tenetur monere de dubio emptorem ſi coniectura moralis non eſt, vt verus Dominus compareat.*
29. *Poſſeſſor ab initio malæ fidei, quia ſcilicet rem à perſona de furtis ſuſpecta emit, vel dono accepit, animo ſibi retinendi, peccatum committit, non tamen tenetur eam ſtatim reſtituere, ſed mutato animo diligenter debet an aliena ſit nec ne inquirere, & cognita veritate vel rem & fructus conſumptos reſtituere, etiamſi pretium dediſſet, vel ſibi retinere.*
30. *Dubitans tenetur rem ſupradictam diuidere cum altero, de quo dubitat plus vel minus pro ratione dubij.*
31. *Dubitans vtrum accipiendi ius habeat is non bonæ, ſed malæ fidei poſſeſſor eſt.*
32. *Reſtitutio ſecundum proportionem dubij debet fieri à dubitante, etiamſi pretium dediſſet, & cur.*
33. *Emptor, ſiue acceptor quis dicitur bonæ fidei, ſi quando accipit, vel emit, non adſunt rationes efficaces, ſeu moraliter conuincentes venditorem vendere, & donatorem donare rem furtiuam.*
34. *Excipe niſi euidens vel rumor ſit, vel vehemens ſuſpicio, illum multa vendere furto ſublata, quia tunc non licet ab eo quidquam emere, niſi præmiſſo examine ſufficienti conſtet ementi emptorem iuſtè vendere.*
35. *Palam limitatio affertur & requiritur intelligentis prædicta procedere, quando rationes efficaces ſeu moraliter conuincentes adeſſent venditorem vendere rem furtiuam non quando dubiæ ſint, & probabiles.*
36. *Dubitans an venditor rei venditæ Dominus ſit, itavt dubium deponere nequeat, poteſt iuſte illius poſſeſſionem capere, & retinere & re illa vti, ſi intelligat bona fide rem alienatam eſſe, vel accipiat cum propoſito reſtituendi Domino.*
37. *Emens quis dubius mancipia ab aſportantibus, ſi facta ſufficienti diligentia Dominus non fuerit inuentus, poteſt in conſcientiâ illa ſibi retinere.*
38. *Emptor dubitans rem eſſe alienam ſecundum nonnullos, ſi poſt factam diligentiam Dominus non compareat, tenetur illam in pios vſus conuertere, deducto tamen pretio.*
39. *Negotiorum geſtor cum vtiliter negotium Domini geſſerit æquum non eſt vt in amiſſione pretij condemnetur.*

1 Reſpondetur ex dictis ibidem: Si qui bona fide poſſidet rem aliquam, incipit dubitare, an illa aliena ſit, & reſtitutioni obnoxia, nec ne, reſtituere non tenetur; tùm ob principium
2 datum; tùm quia poſſeſſio eſt ſufficiens titulus deponendi dubiam conſcientiam, & honeſtandi retentionem, tum quia *ex reg. iur. in 6. 65. & reg. 170. ff.* eodem, in pari cauſa, & delicto melior eſt conditio poſſidentis.

Confirmatur, quia in foro externo in tali caſu poſſeſſor dubius non ſpoliatur, ergo neque in foro interno debet ſpoliari; Antecedens probatur; quia cum ſunt partium iura obſcura, reo potius fauendum eſt, quam actori, *ex reg. 11. de reg. iur in 6.* Et quia poſſeſſor bonæ fi- 3
dei ſine plena, & euidenti probatione in contrarium remoueri non debet *l. 1. in fin. C. de condition. inſert.* conſequentia probatur, quia forum internum ſemper foro externo confirmari 5
debet, quando externum in falſa præſumptione non innititur, vt rectè notarunt Bald. *authent. ingreſſi. num. 49. C. de ſacros. Eccleſ.* Sot. *lib. 4. de iuſt. quæſt. 5. art. 3.* Couar. *in c. cum eſſes. num. 7. de Teſtam.* Vaſq. 1. 2. *tom. 1. diſp. 66. cap. 1. num. 3.* Sanch. *de matrim. lib. 1. diſp. 5. num. 20. & lib. 2. diſput. 41. num. 12. & lib. 1. moral. cap. 10. num. 9. & 11. lib. 2. cap. 23. num. 40.* Garſias *de benefic. tom. 2. par. 9. cap. 1. num. 10.* Salaſ. 1. 2. *tract. 8. diſp. vnic. ſect. 18. num. 171. 176. & 226.* Suar. *de cenſib. diſp. 40. ſect. 5. num. 16.* Sancius *in ſelect. diſp. 48. num. 55.* & Meroll. *tom. 1. diſp. 3. cap. 3. coroll. 3 num. 11.*

Confirmatur 2. quia eſto, æquale ſit dubium, an tua, vel alterius ſit res, tamen non eſt dubium, te illius eſſe poſſeſſorem; ergo nulli facis iniuriam in poſſidendo.

Confirmatur 3. quia duplex ius ſuperare debet vnum, at ex parte tua eſt duplex ius in re, 6
quam poſſides, vnum dubium proprietatis, alterum certum poſſeſſionis; ex parte alterius autem eſt ſolum ius dubium proprietatis; ergo ius tuum ſuperare debet ius alterius; ergo non eſt, cur rem, neque aliquid illius debeas reſtituere.

Dices, ex tali dubitatione interrumpi poſſeſſionem: ceſſat enim bona fides in poſſidente, quæ conſiſtit in eo, quod æſtimet rem, quam poſſidet, eſſe ſuam (quod non poteſt æſtimare qui dubitat) ceſſante autem poſſeſſione, iam æquale eſt ius vtriuſque partis; ergo res retineri non poteſt ab vno, ſed vel relinqui debet à dubitante, vel diuidi inter vtrumque.

Sed contra; quia dubitatio impedit bonam 7
fidem in incipiente poſſidere (cùm iniuſtè rem ſibi arroget, quam non magis æſtimat ad ſe, quàm ad alium pertinere) at in continuatione poſſeſſionis ſolum requiritur, vt ignoret, rem eſſe alienam, quia dum non probatur eſſe alienam, pro poſſidente, præſumitur, *c. ſi virgo 34. quæſt. 1.* ibi. in iure prædiorum tamdiù vnus quiſque poſſeſſor bonæ fidei dicitur, quamdiù poſſidere ſe ignorat alienum, & tradit Couar. *ad reg. poſſeſſor. 2. par. §. 7. nu. 3. & ſeqq.* Io. Med. *Cod. de reſtit. quæſt. 17.* & Leſſ. *lib. 2. de iuſtit. cap. 6. dub. 3.* quare dum de veritate non conſtat, ſemper poſſidenti fauendum eſt, neque obligandus eſt ille, aliquid reſtituere, iuxta *l. is qui deſtinauit ff. de rei vendicat. & §. retinendæ. Inſtitut. de Interdictis*; & conſonat *lex 27. tit. 2. par. 5.*

Vnde, in tali caſu bona fide poſſidentem in 8
foro conſcientiæ non teneri reſtituere, docent communiter Doctores, Valentia *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 14. punct. 4.* Bannez. 2. 2. *quæſt. 62 art. 6. dub. 5. concl. 4.* Salonius *quæſt. 81. art. 6. controu. 4. concluſ. 2.* Salas 1. 2. *tract. 8. diſp. vnic. ſect. 23. num. 233.* Mol. *tom. 1. tract. 2.*

disp. 36. conclus. 1 *& tom.* 3. *disp.* 721. *num.* 4. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 9. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. *num.* 36. *& seqq.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 5. Coninch. *de Sacram. disp.* 34. *dub.* 10. *num.* 93. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 1. *num.* 1. Sanc. *in select. disp.* 43. *num.* 11. & Merolla *vbi supra*, *num.* 11.

Contrarium docet Adrianus 4. *de restit. quæst. de præscript.* §. *hoc supposito*, *& quod lib.* 2. *nu.* 2. (quatenus, ait, facto examine sufficienti, si adhuc permanes dubius, debere te rem illam restituere; quia in dubijs pars tutior est eligenda *c. inuenis. de sponsalib. & c. ad audientiam. de homicid.*) quem ex parte sequuti sunt Sot. *de Iust. lib.* 4. *quæst.* 5. *art. vlt* Martinus de Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 18. *art.* 1. *dub.* 14. & Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. *tract. de dominio*, *ante* §. *his constitutis*, quatenus inquiunt
9 teneri eum, qui bona fide possidet diuidere in tali casu rem cum persona, cuius dubitatur, an res illa sit: vel si ignoratur, diuidere cum pauperibus pro proportione dubij; idque ex eo, quia extante æquali dubio (inquiunt ipsi) æquali est ius vtriusque partis.

Sed ad hoc istorum Auctorum fundamentum patet facilè responsio ex supradictis.

10 Tenetur tamen in tali casu, qui bona fide possidet, dubium quod superuenit, diligenter discutere, & veritatem inquirere (hæc enim inquisitio requiritur, vt vnicuique quod suum est, reddatur, Doctores suprà citati) & intereà rem conseruare, v. g. illa non vti, si vsu consumitur: (aliter enim frustra Dominus inquireretur) vel si vsu non consumitur, vt est equus, mancipium, &c. vti quidem illâ, sed cum animo soluendi Domino pretium illius vsus, deductis alimentorum expensis, vt rectè præter alios docuit Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *quæst.* 2. *num.* 21. Salas *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 228. & Villalob. *loc. supra cit. diffic.* 20. *num.* 4.

11 Sin verò diligenter inquirendo, veritatem depræhendere, & speculatiuum dubium deponere non potest, qui possidet, tunc practicè certus est, quod liceat sibi rem illam retinere quin etiam alienare, aut absumere; itaût possessio legitima non solum sit titulus sufficiens quòd dubitans, an res sit sua, vel aliena, eam possit retinere, sed etiam quòd eam possit alienare, aut absumere; quia inutilis illi esset possessio, si re possessâ vti non liceret, imò potius esset onerosa, si illam intactam deberet conseruare, Vasq. *num.* 38. Salas *num.* 227. Couar. *reg. peccatum* 3. *par. in princ. num.* 4. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *quæst.* 2. *num.* 22. & Villalob. *tract.* 1. *diff.* 20. *num.* 4.

12 Hinc sequitur, si rem illam, Domino post diligentem inquisitionem non inuento, is vendat, aut absumat &c. non teneri eum, illo comparente, nisi instar bonæ fidei possessorem. Ratio est, quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis, cùm bona fide illam habuerit, & vendiderit, aut absumpserit &c. neque ratione rei acceptæ, cùm nec per ipsam, nec per aliquid sui (quod vicem eius suppleat) apud ipsum extet.

Quod addo, quia si ex ea factus est ditior, eatenus tenetur: res enim ratione talis accessionis, quæ ex ea rebus illius facta est, censetur adhuc extare.

Atque ita ex communi docet Couar. *reg. possessor par.* 2. §. 7. *num.* 7. *& reg. peccatum, par* 3. *princ. num* 4. Silu. *verb. restitutio*, 3. *quæst.* 7. *dicto* 3. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. Medin. *Cod. de restitut. quæst.* 17. §. *corollariè sequitur non esse indistinctè verum.* Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 35. *&* 36. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 12 *& lib.* 2. *moral. cap.* 23. *num.* 186. Suar. *tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 5. *num.* 14. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 4. *num.* 23. Rebell. *par.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 5. *num.* 11. vnde dici consueuit *in pari causa* 13
possessor potior haberi debet. reg. 170. & in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis, *reg.* 65. *in* 6.

Quapropter non placet, quod docet Aragon. 14
2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *dub.* 1. & ibi Bannez *dub.* 2. *conclus* 3. Salon. *controu.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 227. & alij, asserentes, hunc teneri semper restituere pretium rei venditæ.

Quod tamen tunc verum est quando ex toto pretiò factus est ditior; vt si v. g. rem illam ipse dono acceperat, & posteà vendidit; tunc enim totum pretium restituere tenetur, quia in toto factus est ditior: aliàs tenetur ad partem pretij, si in parte factus est ditior, & ad nihil si in nihilo. Vide Merollam *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *corollar.* 2. *num.* 18.

Dices, quid si, ocurrente dubiò, non insti- 15
tuit inquisitionem, & posteà certò depræhendit, rem fuisse alienam, an in tali casu ad restitutionem teneatur.

Respondetur, quòd tunc tenetur Domino restituere, non solum rem, sed etiam fructus consumptos ex eo tempore, quo dubitare cæpit. Ratio est, quia ex quo tempore exorta dubitatione, an res esset aliena, nec ne, cœpit negligere inquisitionem, non fuit amplius bonæ fidei possessor, sed malæ fidei, & contrà conscientiam rem illam cum ea animi dispositione possedit: tùm quia ex iustitia tenebatur veritatem inquirere: vndè omissio, seu negligentia illa fuit contra iustitiam: quare in tali casu tenetur ad damnum, quod ex ea omissione Domino obuenit.

Dices 2. quid si omittis inuestigare Domi- 16
num, cùm ipse posset forsan comparere; & ea de causa postea forsan non comparet?

Communis sententia tenet, te ea de causa possessorem malæ fidei etiam constitui: quia forsan ex omissione contrà iustitiam sequitur, Dominum non comparere: teneris ergo tanquam possessor malæ fidei rem, & fructus pro qualitate dubij restituere. Mol. *tom.* 1. *de Iust. tract.* 2. *disp.* 36. *conclus.* 1. Sanch. *disp.* 41. *num.* 13. Villalob. *num.* 2. & Salas *num.* 238.

Alij tamen (vt Rebell. *de obligat. iustit.* 1. 17
par. lib. 2. *quæst.* 5. *de restit. num.* 12. tenent oppositum, etiam vt probabile, nempè si Dominus non comparet, te non esse obligatum ad aliquam restitutionem: nam esto peccaueris contra iustitiam in omittenda inuestigatione veri Domini, cùm comparere is probabiliter poterat, at non obindè te malæ fidei possessorem constituisti: quia nunquam certus fuisti,

rem alienam possidere: quod videtur necessarium ad omittendam possessionem antea aquisitam, qua de re vide *infrà dubit.* 28.

18 Sequitur 2. si quis in tali dubio à bonæ fidei possessore rem sine iudicis auctoritate auferat, iniustum ei damnum inferre, & ad integram rei restitutionem obligari, quia iniustè illum spoliauit, neque habet titulum, ratione cuius possit rem, aut partem illius retinere. Atque sic notauit Nauar. *cap.* 17. *num.* 217. Sanch. *cit. disp.* 41. *num.* 26. Mol. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 35. §. *verum* Cordub. *in summ. quæst.* 3. *art.* 2. *concl.* 3. Petr. Nauar. *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 350. Salas. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 234. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 20. *num.* 6. Io. Sanchez. *in select. disp.* 43. *num.* 13. & si contrarium doceat Medin. *C. de restit. quæst.* 20. motus forsan ex eo, quia in dubio de obligatione, voto, vel promissione &c. tenetur pro parte dubij, qui possidet; & sic ab illo licitè poterit alter accipere pro parte. At quod dixi, est multò probabilius.

19 Itaque si accipias rem aliquam ab eo, qui bona fide possidebat, neque moraliter certus sis, tuam esse, non potes retinere, sed totam debes restituere; quia in dubio possessio illi fauet; ita vt nisi moraliter certum sit, rem eius non esse, non possit is ea spoliari. Et ita in omnibus Tribunalibus apud omnes gentes iudicatur.

Si verò neuter possidebat, vel alter non bona fide, non potes in dubio totam tibi vindicare, sed prout animus magis in hanc, vel illam partem inclinat, restitutio ex ea est facienda. Quare in pari dubio poteris retinere dimi- 20
dium; si magis inclines esse alienam, alteri maior pars est reddenda: si inclines, magis esse tuam, tu maiorem partem poteris retinere; idque secundùm varios gradus, qui in hoc dubio contingunt: cùm enim neutri possessio suf-
21 fragetur, res ex coniectura, & opinione iuris, vtriusque partis statuenda est.

Secus autem dicendum, si possessio suffragetur alteri, ex eo, quod bona fide possidet, vti suprà dicebam.

22 Quin-imò addo, quod tametsi bonæ fidei possessor speculatiuè probabilius iudicet, rem ad alterum pertinere, dum tamen moraliter de hoc certus non est, ad nullam restitutionem obligatur, vt colligitur ex dictis; & ratio vlterius est, quia possessio præponderat omnibus rationibus non conuincentibus.

23 Atque ita contra Bannez, Ledesmam, Solonium, Valentiam *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 2. Coninch. *de Sacram. disp.* 34. *dub.* 10. *num.* 93. (qui docent, in tali casu teneri hominem restituere pro parte dubij, nempè pro parte dubij diuidere, si res diuisibilis est, sin minus recompensationem facere tantùmdem in æstimatione præbendo: ex eo quia tunc non est par causa ipsius, & aliena, vt possessio ipsi suffragetur; imò illa maior propensio videtur æquiualere possessioni) tenet Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 163. Veracrux *par.* 3. *speculi, art.* 13. *in fin.* Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. *num.* 42. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 9. Salas. *sect.* 23. *num.* 231. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 158. Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 11. & Meroll. *loco cit. num.* 24. (qui rectè aduertunt, possidentem debere etiam pro- 24
babiliter iudicare, rem esse suam, vt possit retinere; aliàs retinens operatur contra conscientiam.) Non enim tenetur quis iure possessionis suæ seipsum ante omnem iudicis sententiam priuare, nisi constet rem ad alterum pertinere: sicuti sentit etiam S. Augustin. *in lib. de fide, & operibus cap.* 7. Relatus *in c. si* 25
virgo. 34. *q.* 1. Bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienũ: cùm verò sciuerit, nec à possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur. Vndè dum res incerta est, seu partiũ iura obscura sunt, interim ordinariè loquendo, est præsumptio pro possessore; sicuti constat ex §. *retinendæ, instit. de interdict.* Quæ etiam doctrina ex communi bonorum virorum praxi confirmatur: si enim quis 26
rem bona fide hactenus vt suam possedit, & alius eam restitui petat, tanquam ad se pertinentem; solet possessor, si post veritatis inquisitionem, ipsi certò non constat, ad alterum pertinere iudicium experiri, & ante non restituere, quàm à iudice cognita causa, condemnetur: si tamen partes in hoc casu iudicem non habent, compositione est res exigenda, vt infrà dicetur.

Hæc autem doctrina non procedit in debi- 27
tis certò contractis, & solutione dubia; si enim certò tibi constat, debitum contraxisse, dubius tamen es, an solueris, teneris soluere; quia possidet alius actionem debiti contra te, qua illum in dubio priuare non potes; nam dubia exceptio non potest excusare excipientem, *ex l. Titia textores ff. de legat.* 1. & ex iis, quæ notat Bald. *in l. non solum* §. *sed vt. probari ff. de nou. oper. nunciat.* tùm quia iustitia petit æqualitatem; at debito certo non est æqualis solutio dubia, Vasq. *disput.* 66. *cap.* 7. *num.* 43. Salas. *num.* 231. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 12. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de iuram. cap.* 33. *num.* 7. & Io. Sanchez *disp.* 42. *num.* 9. Vide quæ dicentur *infra dubit.* 48. *sect.* 3.

Aduerte tamen hic, quod si coniectura mo- 28
ralis non est, vt verus Dominus compareat, non tenetur venditor monere de dubio emptorem. Ratio, quia tunc emptor non exponitur morali periculo, quod solum in moralibus est in consideratione; secus autem propter oppositam rationem dicendum est, si probabilis coniectura sit, Dominum aliquando esse compariturum.

Atque ita docent Bannez. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *quæst.* 2. *num.* 22. Fachin. *lib.* 1. *controuers. cap.* 65. Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *nu.* 13. & Sanc. *in select. disp.* 43. *num.* 12. quia sicuti dicebam, in tali casu vendit rem vitiosam, expositamque periculo, vt comparente vero Domino, ab emptore extrahatur: hoc enim vitio, & periculo detecto, vel emptor non emeret, vel emeret viliori pretio.

Sequitur 3. si quis ab initio mala fide rem 29
possedit (quia scilicet eam à persona de furtis suspecta emit, vel dono accepit, animo sibi retinendi) peccatum eum committere: non tamen tenetur eam statim restituere, sed mu-

nato animo, diligenter debet, an aliena sit, nec ne, inquirere, & quando moraliter certus fuerit, alienam esse, integrè tenetur restituere, etiam cum fructibus consumptis; & etiamsi pretium dedisset, quia mala fide dedit: si autem aliquid dubij remanserit, tenetur tunc, (quia pro nullo stat possessio, ac proinde omnes ius æquale habent) eam cum altero, de quo dubitat, diuidere, plus, vel minus, pro ratione dubij, ei assignando; qui si sit persona nota, ei sua pars est tribuenda; si verò sit ignota, tribuenda est pauperibus. Atque ita docet Cajet. *quæst.* 62. *art.* 5. Sot. *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. Io. Medin. *quæst.* 17. Mol. *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 723. *num.* 3. Salonius 2. 2. *quæst.* 61. *tract. de Dominio* Rebell. *part.* 1. *de obligat. iust. lib.* 2. *quæst.* 5. *num.* 7. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. disput.* 41. *num.* 24. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *num.* 5. Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 2.

31 Ratio est, quia qui rem aliquam accipit, dubitans vtrum accipiendi ius habeat, is non bonæ, sed malæ fidei possessor est; ergo perseuerante hoc dubio, possessio illi suffragari non debet; quia tamen certus non est, rem ad alterum pertinere, & consequenter dubium in ea ius habet, ex titulo videlicet emptionis, vel donationis acquisitum, ideò non obligatur ad restituendum, nisi secundùm proportionem dubij.

32 Ad restitutionem autem secundùm proportionem dubij obligatur, etiamsi pretium dedisset, quia pretium ab ipso datum in causa esse non potest, quominus debeat alijs (qui non acceperunt, & de quibus dubitat, an eorum sit res) satisfacere; sicut, si comparet verus Dominus, tenetur illi integram rem restituere, etiamsi pretium dedisset, quia illud mala fide dedit, vti dicebam, & tenet Salas. *cit. disp. vnic. sect.* 23. *num.* 232. Mol. *cit. disp.* 35. *& disp.* 36. in fine, Sanchez, & Villalob. *in locis suprà citatis.*

33 Aduerte tamen hic, quod quis non malæ, sed bonæ fidei acceptor, vel emptor dicitur, si quando accipit, vel emit, non adsunt rationes efficaces, seù moraliter conuincentes, venditorem v. g. vendere rem furtiuam. Ratio, quia si adsint dubiæ, vel probabiles, deponi quidem potest dubium, & iudicari, venditorem ritè vendere: cùm in dubio nemo præsumatur malus, & delictum commisisse, nisi probetur, ex *l. meritò ff. pro Socio*, vt supra dicebatur.

34 Excipe, nisi euidens, vel rumor sit, vel vehemens suspicio, illum multa vendere furto sublata; quia tunc non licet ab eo quidquam emere, nisi, præmisso examine sufficienti, constet ementi, eum iustè vendere. Vide Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 35. *in fin.* 2. *concl.* Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 27. Meroll. *vbi supra corollar.* 5. *num.* 32. Mercad. *de contractib. lib.* 2. *cap.* 20. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 20. *num.* 7. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnic. sect.* 23. *num.* 235. & Palaum *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. qui tamen id ipsum intelligere vi-

35 detur, quando rationes efficaces, seù moraliter conuincentes adessent, venditorem vendere rem furtiuam, non quando dubiæ sunt, & probabiles: tunc enim, inquit ipse, deponi etiam potest dubium, & intelligi, illum ritè vendere, sed quod dixi prius, est multò probabilius.

Cæterum fieri potest, vt tametsi aliquis dubitet, ita vt dubium deponere non possit, num venditor (idemque dico de donatore) rei venditæ Dominus sit, iustè tamen illius possessionem capere, ac retinere possit, & re illa vti. 36

Primò, si intelligat, venditorem bona fide rem alienasse, quia post diligentem inquisitionem non poterat is deprehendere esse alienam: sicuti docet Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 36. *conclus.* 1. & 3. Merolla *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *dub.* 1. *corollar.* 5. *num.* 36. Villalob. *tom.* 1. *diffic.* 20. *num.* 8. Sanch. *citat. disp.* 41. *num.* 28. Et ratio est, quia in tali casu emptor (idemque dico de donatario) succedit in iure prioris bona fide possessoris,

Vnde emens quis dubius mancipia ab asportantibus, si facta sufficienti diligentia, Dominus non fuerit inuentus, potest in conscientia illa sibi retinere. Ratio, quia tunc ex dictis non est possessio pro libertate mancipij, sed potius pro bonæ fidei possessore, qui illud vendidit, & cuius loco emptor successit. Vide præter Molinam, & Sanchez *in locis supra citatis* Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 5. & ibi Salonium *quæst.* 61. *tract. de dominio*, Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 232. *&* 236. Rebellium *par.* 1. *lib.* 2. *de restit. quæst.* 5. *num.* 7. & Sancium *in select. disp.* 43. *num.* 14. 37

Secundò, si quis rem, quam suspicatur furtiuam esse, emit, vel dono accepit, cum proposito eam Domino reddendi; sicuti contrà nonnullos, (qui aiunt, quod in tali casu, si Dominus non comparet, emptor teneatur illam in pios vsus conuertere, deducto tamen pretio) docet Couarr. *regul. peccatum*, *par.* 3. *princ. num.* 4. Medin. *C. de restit. quæst.* 10. §. *aliter tamen videtur*, Sanchez *in loc. cit. num.* 29. Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 1. Salon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *controu.* 4. *conclus.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 137. Villalob. *diff.* 20. *num.* 8. Et ratio est, quia in hoc casu nullam facit Domino iniuriam, sed beneficium, vtiliter scilicet gerens negotium illius; nam alioquin forsan nunquam fuisset illa ei restituta. Quare si postea rei Dominus compareret, meritò non debet possessor plus restituere quàm possidet, aut ditior factus est; nam cùm vtiliter negotium Domini gesserit, vti dicebam, non est æquum, se in amissione pretij condemnare. Atque sic docet Molin. *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 723. *num.* 4. Vide etiam Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2. Salon. *ibidem controu.* 4. *conclus.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 237. Villalob. *supra*, & Palaum *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. 38 39



DVBITATIO XVIII.

Quid dicendum in dubio de valore matrimonij?

SECTIO I.

Dubitationis reſolutio.

SVMMARIVM.

1. *Dubium ſi antecedat matrimonij contractionem ob latentis v. g. impedimenti ſuſpicionem, ab eo contrahendo abſtinendum eſt.*
2. *Contractus, & poſſeßio malæ fidei inchoatur ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi; poſſeßionemque capiendi ius habeat.*
3. *Contrahens matrimonium mala fide, dum perſeuerat dubium, debitum coniugij petere non poteſt, licet alteri bona fide petenti reddere teneatur.*
4. *Dubium de valore matrimonij ſi adueniat poſt contractum matrimonium licitum eſt coniugi ſi facta diligentia dubium vincere non potuit; coniugij debitum petere.*
5. *Accuſatus de matrimonij defectu ante probatam accuſationem iure, quod habet in altero, priuari non poteſt.*
6. *Coniugi bonæ fidei debitum petenti ſtante dubio theoricò traſato coniux alter reddere tenetur, etiamſi adhuc diligentiam non adhibuit ad dubium ſuum ſuperandum.*
7. *Nemo auctoritate priuata poteſt alterum ſui iuris poſſeſſione priuare ob dubias, non tamen certas rationes.*
8. *Ignorantia probabilis ſicut excuſat à peccato; ita etiam excuſat à periculo fornicationis formalis; ſeu peccaminoſa licet matrimonium re ipſa irritum ſit; in caſu de quo agitur.*
9. *Defectus matrimonij ſi manifeſto alicui apparent excommunicationis ſententiam potius is ſuſtinere deberet, quam fornicationis peccatum committere ſiue petendo, ſiue reddendo putatiuæ coniugi.*
10. *Actus fornicationis qui eſt ab intrinſeco malus rectificari nullo modo poteſt.*
11. *Credulitas probabilis, & diſcreta; quamuis non manifeſta ſi animum pulſet, debitum quidem reddi poteſt, ſed non poſtulari, quomodo ad id reſpondeant DD.*
12. *Dubitans an adhibuerit diligentiam inquirendæ veritatis non poteſt vti iure poſſeſſionis ſuæ, excepto vnico caſu ſi vſus matrimonij dubij ad experimentum capeſſendum neceſſarius ſit.*
13. *Secundò ſi quis dubitet de valore matrimonij ob dubium de morte prioris coniugis, cum abſens ſit.*
14. *Dubium de valore matrimonij ſtante dubio mortis prioris coniugis, quæ eſt quid facti valdè differt ab alijs impedimentis, in quibus in dubio diſpenſatio Papalis non requiritur.*
15. *Coniux dubitans quando poſt matrimonium bona fide contractum ſuperuenit dubium de ipſius valore, licet ante diligentiam adhibitam ad aſſequendam veritatem non poſſit petere debitum ab altero coniuge non dubitante, tenetur tamen ei petenti reddere.*
16. *Coniux ipſe dubitans adhibita ſufficienti diligentia poteſt etiam alteri reddere, & petere.*
17. *Amplia, etiam ſi moraliter ſit impoßibile adhibita diligentia poſſe dubium ſuperare, tunc poteſt dubitans nulla adhibita diligentia reddere, & petere contra aſſerentes dubitantem teneri reddere, non tamen poſſe petere.*

Eſpondetur ex dictis ibidem; in 1
dubio de valore matrimonij ob latentis v. g. impedimenti ſuſpicionem, ex eo ſcilicet, quod prior coniux abſens non obierit (quamuis, ſi dubium antecedat matrimonij contractionem, ab eo contrahendo abſtinendum ſit; ſicuti docent San- 2
chez *lib. de matrim. diſp.* 41. & Henriq. *lib.* 11. *c.* 15. *nu.* 13. idque partim ob fauorem Sacramenti, ne inualidè adminiſtretur, partim ob principium illud, quia mala fide initur contractus poſſeſſioque inchoatur ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, poſſeſſionemque capiendi ius habeat; Quare qui ita mala ac dubia 3
fide contraxit, dum dubium perſeuerat, debitum coniugij petere non poteſt, licet alteri bona fide petenti redderere teneatur; ſicuti habetur *in c. Dominus, de ſecundis nuptijs*, & docet Sanchez *loc. ſupra cit.* Silu. *verb. matrimonium*, 4. *q.* 9. Veracrux 3, *p. ſpeculi*, *art.* 18. *concl.* 6.) ſi tamen poſt contractum matrimo- 4
nium adueniat dubium, licitum eſt coniugi, ſi facta diligentia dubium vincere non potuit, coniugi debitum petere; idque ob principium datum; quia ſcilicet in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ita vt ei, ſi dubium ſuperuenit, obeſſe il'ud non debeat.

Atque ita in terminis ex communiore Doctorum ſententia docet Sanchez *loc. cit. diſp.* 41. *q.* 4. *num.* 45. & colligitur ex S. Auguſtino *lib. de fide, & operibus c.* 7. quod refertur, *cauſa* 34. *q.* 1. *c. ſi virgo, & c.* 2. *vt lite pendente*, vbi habetur, quod *accuſatus de matrimonij* 5
defectu, ante probatam accuſationem, iure quod habet in altero; priuari non poteſt.

Imò, ſtante tali dubio theorico, coniugi bo- 6
næ fidei debitum petenti coniux alter reddere tenetur, etiamſi adhuc diligentiam non adhibuit ad dubium ſuum ſuperandum; quia ne- 7
mo auctoritate priuata poteſt alterum ſui iuris poſſeſſione priuare, ob dubias, non tamen certas rationes, ſicuti habetur *in c. inquiſitioni de ſent excomm.* & apud S. Th. *in* 4. *d.* 41. *q. vn. art.* 5. *quæſtiun.* 1. *ad* 3. & notat Sanchez *vbi ſupra diſp.* 44, *num.* 3.

Nec in tali caſu eſt periculum fornicationis 8
formalis, ſeu peccaminoſæ: nam eſto, matrimonium reipſa irritum ſit, probabilis ignorantia excuſat à peccato.

9 Quod si autem matrimonij defectus mani-
festò alicui appareat, excommunicationis sen-
tentiam potius sustinere deberet quàm forni-
cationis peccatum committere, siue petendo,
siue reddendo putatiuæ coniugi, sicuti constat
ex cit. c. inquisitioni. Ita Sanchez *lib. 2. de ma-*
10 *rim.disp.* 39. Et ratio est, quia cùm actus for-
nicationis sit ab intrinseco malus, rectificari
nullo pacto potest.

11 Dices, *in cit. c. inquisitioni* habetur quod si
credulitas probabilis, & discreta, quamuis
non manifesta, animum pulset, debitum qui-
dem reddi possit, sed non postulari, ergo.

Respondet S. Th. *loc. cit.* S. Anthonin. *part.*
3. tit. 1. cap. 3. §. 2. Silu. *verb. matrimnium.*
8. q. 3. dicto 5. Petr. Ledesma *de matrm. q. 45.*
art. 1. dub. 2. ad 3. arg. 1. sent. id nasci ex eo,
quia dubitans de iure suo, si post diligentem
inquisitionem, magis propendeat in eam par-
tem, sibi ius non assistere, desinit esse bonæ
fidei possessor. Quam sententiam, vt pote pro-
babilem (saltem ab extrinseco, propter aucto-
ritatem S. Thomæ solius) cum multis à se ci-
tatis tenuit etiam Sanchez *lib. 2. de matrim.*
disp. 41. *num.* 10. vt supra *dubit.* 1. dicebatur.

Respondetur secundò in opinione eiusdem
Sanchez *lib. 1. moral. c. 10. num. 9.* priorem
istam sentententiam suam retractantis, Vera-
crux *p. 3. spec. art.* 13. & aliorum, qui censent
bonæ fidei possessorem iure suo nequaquam ex-
cidere, priusquam certò, vel quasi certò de-
prehendat, sibi ius non competere iuxta quo-
rum sententiam, quam supra ipse secutus sum,
duobus modis Respondeo *ad c. inquisitioni*,
primò, dubitantem in casu eius capitis non
12 adhibuisse diligentiam inquirendæ veritatis;
constat autem, dum dubitans veritatem inqui-
rit, iure possessionis suæ eum vti non posse,
excepto vnico casu, si vsus matrimonij dubij
ad experimentum capessendum necessarius sit,
iuxta *c. laudabilem, de frigid. & malefic.* vbi di-
citur, si suspicio exoriatur inter coniuges de
naturali perpetua impotentia, & ea probari
non possit, per triennium cohabitandum ip-
13 sis esse, experiendi causa. Secundò, eum, cui
Papa in illo cap. respondit, ab initio mala fi-
de contraxisse matrimonium, quia scilicet du-
bitabat de eius valore, cùm dubitaret de mor-
te prioris coniugis, qui absens fuerat, vt pro-
inde casus similis sit *c. Dominus, de secundis nu-*
ptijs, vbi respondetur, dubitantem de valore
matrimonij, quod contraxerat, nondum habi-
ta certitudine coniugis prioris præmortuæ, de-
bitum interim à coniuge sua (quamuis possit
ei reddere, si illa in bona fide sit) exigere
non posse; & meritò propter nostrum princi-
pium datum, quia mors hominis est quid facti
factum autem non præsumitur, nisi demon-
14 stretur. Vnde paret disparitas ad dubium de
valore matrimonij ex capite impedimenti in
alio genere, quando in dubio dispensationem,
saltem Papalem non requiri, cum Palao,
tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 5. num. 10. su-
pra dicebatur.

15 Itaque breuiter dico, quod quando post
matrimonium bona fide contractum superue-
nit dubium de ipsius valore, coniux dubitans,
etsi ante diligentiam adhibitam ad assequen-
dam veritatem, non possit petere debitum ab
altero coniuge non dubitante, tenetur, tamen
ei petenti reddere; & adhibita sufficienti dili- 16
gentia, potest etiam ipsemet coniux, qui du-
bitat, alteri reddere, & petere. Ratio, quia si
possessor bonæ fidei post bonæ fidei possessio-
nem incipit dubitare, rem esse alienam, &
facto sufficienti examine nequit dubium supe-
rare, potest non tantum rem detinere; sed
etiam illa vti; quia in dubio melior est con-
ditio possidentis; ergo similiter, si coniux du-
bitans præmiserit sufficiens examen, & adhuc
dubius manet, poterit vti matrimonio, non
solum reddendo, sed etiam petendo: quod
etiam verum est, quando moraliter est impos-
sibile, adhibita diligentia, posse dubium su- 17
perari: tunc enim (vt rectè dixit Sanchez,
de matrim. lib. 2. disp. 41 *num.* 47.) potest
coniux dubitans nulla adhibita diligentia red-
dere, & petere. Et ratio est, quia nemo ad in-
utilem actum obligatur. Atque ita præter San-
chez *in loco citat.* docent Suar. *de relig. to. 2.*
lib. 4. c 5 num. 16. Henriq. *lib. 12. cap. 6. nu.*
5. & 7. Sà *verb. debitum coniugale, num.* 7. Sot.
de Iust. lib 4. q. 5. art. vlt. Bannez *in 2. 2. q.*
62. art. 6. dubit. 5. concl. 4. Lorca *in 1. 2. disp.*
38. Coninch. *de Sacram. disp. 34. dub.* 10. &
Io. Wiggeis 1. 2. *q.* 19. *art. 6. dubit. 6. num*
59. & 60.

Quamuis contrarium sentiant Vasq. 1. 2.
disp. 66. c. 4. Rebell *lib. 2. q. 16. sect.* 2. Tur-
rian. *opusc. 10. disp. 4 dub. 1. & disp. 5. dub.* 1.
Pesantius 1. 2. *q.* 19. *art. 6. disp. 4. sent.* 6.
Pontius *de matrim. lib.* 10. *c.* 15. Montesin. 1.
2. *disq.* 39. *q.* 4. Hurtad *de matrim. disp.* 10.
diffic. 9. num. 39. docentes, quod in tali ca-
su coniux dubitans, etsi teneatur reddere,
non possit tamen petere.

Sed quod dixi, est probabilius propter ra-
tionem dictam.



SECTIO II.

An, si coniux dubitans de valore matri-
monij, petat debitum ante adhibitam
diligentiam, teneatur alter ei
reddere?

SVMMARIVM.

1. *Coniux dubitans de valore matrimonij si pe-*
tat debitum ante adhibitam diligentiam non
tenetur alter ei reddere?

Respondetur negatiuè; moueor, quia 1
in tali casu coniux dubitans non
habet ius petendi, donec adhibeat
debitam diligentiam ad veritatem
assequendam. Atque ita docet Sanchez *lib. 2.*
de matrim. disp. 41. num. 45. contra Cordubam

q. 45. *punct.* 3. Henriq *lib.* 12. *c.* 6. *num.* 5. *in Gl. lit. T.* contra vtrumque Ledeſmam, Bartholomæum ſcilicet *dub.* 20. *de matrim. concl.* 1. & Petrum *de matrim. q.* 45. *art.* 1.



SECTIO III.

An, ſi coniux dubitans de valore matrimonij contrahendi; illud contrahat, poſſit adhuc reddere, & petere debitum alteri, qui bona fide contraxit?

SVMMARIVM.

1. *Vterque coniux ſi mala fide contraxit, neuter poteſt petere nec reddere.*
2. *Contra aliquos tenentes non poſſe talem petere, ſed reddere tantum.*

1 Reſpondetur coniugem qui in tali dubio contraxit, nullomodo poſſe debitum petere, teneri tamen reddere coniugi alteri, qui bona fide contraxit. Atque ita docet Ancharanus, *in c. Dominus, de ſecundis nuptijs*, Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 42. *num.* 2. Henriq. *lib.* 12. *c.* 6. *num.* 5. & 7. *in Gl. lit. S.* & alij contra Sotum *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. Bartholomæum Ledeſmam, *de matrim. dub.* 20. tenentes, ita dubitantem non poſſe nec petere, nec reddere. Sed ratio reſponſionis noſtræ contra iſtos Au-
2 ctores patet ex principijs datis; ex quibus etiam ſequitur, quod ſi vterque coniux mala fide contraxit, neuter poſſit petere, nec reddere, quia in tali caſu neutri ſuffragatur poſſeſſio cùm ex parte vtriuſque poſſeſſio mala fide fuerit inchoata. Atque ita in terminis docet Coninch. *de Sacram. diſp.* 34. *dub.* 10. *num.* 102.



SECTIO IV.


An ſi coniux habeat rationes probabiles, matrimonium valere, etſi probabiliores habeat in oppoſitum, poſſit in tali caſu debitum reddere, & petere?

SVMMARIVM.

1. *Homo ſi teneretur ſequi opinionem probabiliorem in examinando quænam ſit probabilior, ſcrupulis impleretur.*

Reſpondetur affirmatiuè, quia qui opinionem probabilem ſequitur, & relicta etiam probabiliori, adhuc probabiliter operatur, atque adeò prudenter, & ſic ſine peccato.

Confirmatur, quia ſi teneretur homo ſequi opinionem probabiliorem, in examinando, quænam ſit probabilior, ſcrupulis impleretur. Atque ita docent Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 42. *num.* 8. Io. Salas 1. 2. *tract. diſp. vn. ſect.* 22. *num.* 218. quidquid in contrarium ſentiat Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *corollar.* 12. *diffic.* 2. *num.* 168.



SECTIO V.

An coniux dubitans de valore matrimonij à ſe bona fide prius contracti, quia dubitat v. g. de ſeruitute alterius coniugis, poſſit, & teneatur reddere debitum, cùm inde præiudicium ſibi inferre videatur?

SVMMARIVM.

1. *Coniux in dicto caſu non reddendo exponeret ſe periculo iniuſtitiæ ex vna parte, & ex alia parte nullum patitur detrimentum reddendo.*

Reſpondetur, teneri reddere debitum: quia ex vna parte non reddendo, exponit ſe periculo iniuſtitiæ contra coniugem petentem: ex altera autem parte reddendo nullum patitur detrimentum, quo excuſari poſſit à reddendo; quia ex eo, quod accedat ad mancipium affectu maritali, vt tenetur accedere, non reualidat matrimonium præcedens, ſi fortè illud fuerit nullum: quia non accedit intendendo de nouo contrahere, ſi illud fuit irritum, quod erat neceſſarium ad eius reualidationem, ſed tantum accedit, vt ſoluat debitum, ſi fortè debeat, ne ſe exponat periculo iniuſtitiæ. Atque ita docet Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 43. *num.* 8. & Hurtad. *de matrim. diſp.* 10. *diffic.* 9. *num.* 42. 1





SECTIO VI.

Quam certus esse debeat coniugis absentis obitus, vt alteri ad alias nuptias accedere permissum sit?

SVMMARIVM.

1. *Coniugis absentis obitus debet saltem esse certus moraliter vt alteri ad alias nuptias accedere permissum sit.*
2. *Mulieres non permittantur contrahere donec certum nuncium recipiant de morte virorum.*
3. *Moralis certitudo quandiu non habetur, sed dubium aliquod manet de morte alicuius coniugis, periculum est ne secundum matrimonium inualidè contrahatur, & sic fornicariè consummetur.*
4. *Testis vnus qui iuratus deponat de morte coniugis sufficit secundum tradita per Abbatem contra Bartolum.*
5. *Communis, & constans fama de morte coniugis sufficit secundum Clarum, in oppositum tamen sentit Abbas.*
6. *Certitudo moralis qualis requiritur in casu, de quo agitur, ordinariè non habetur per vnius testimonium, & multo minus per famam si sola sit, secus si adsint aliæ coniecturæ, vel adminicula credendi, quæ fusius recensentur.*
7. *Præsumptio verisimilis de morte est validitissima coniectura & adminiculum moralis certitudinis.*
8. *Coniux secundum aliquos, quæ de morte viri habet certitudinem moralem opus non est vt pro contrahendis alijs nuptijs petat licentiam ab ordinario: sed Parochus absque tali licentia matrimonio assistere potest.*
9. *Ordinario tamen tutius est rem deferre, imo necessarium quoties rationabiliter dubitatur an certitudo, vel præsumptio de obitu coniugis sufficiens sit nec ne.*

1 Respondetur, debere illum esse certum, saltem moraliter: Ita sumitur *ex c. in præsentia; de sponsl.* vbi
2 præcipitur, ne permittantur mulieres contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. & *ex c. Dominus, de secundis nuptijs:* vbi respondet Pontifex, vt nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit coniux eius. Et ratio est, quia quamdiù non
3 habetur moralis certitudo, sed dubium aliquod manet de morte coniugis, periculum est, ne secundum matrimonium inualidè contractu, & sic fornicariè consummetur.

Quærunt autem hic Doctores primò, an ad
4 hoc sufficiat vnus testis, qui iuratus deponat de morte coniugis.

Affirmat Abb. *in cit. c. in præsentia num. 6.*

Negat Bart. *in l. 2. §. si dubitetur. ff. Quemadmodum testamenta aperiantur.*

Quærunt secundò, an sufficiat communis, & 5
constans fama de morte coniugis.

Affirmat Clarus *lib. 5. sentent. §. fornicatio, num. 31.*

Negat Abb. *cit. num. 6.* Veracrux *p. 1. spec. art. 42. concl. 2.*

Sed facilè ad ambo hæc quæsita respondetur ex dictis, requiri certitudinem moralem, 6
qualis ordinarie non habetur per vnius testimonium, & multò minus per famam, si sola sit: secus, si quæ singula non sufficiunt, simul concurrant, vel aliæ coniecturæ, seu adminicula credendi adsint, v. g. si vir senex fuit, vel in acie conflixit, & diu expectatus non redijt, insuper oculatus testis adest, vel publica famma de eius morte testificans: tunc enim si exactior certitudo haberi non potest, sufficit hæc valde probabilis præsumptio cùm hæc moralem dubitationem excludere soleat; sicuti colligitur *ex c. quoniam §. porrò*; vbi dicitur: 7
Si autem de carnali coniugio sit, agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.

Atque ita docet Gl. *ibi, vers præsumatur.* S. Anthonin. *p. 3. tit. 1. c. 9. prope finem* Nauar. *c. 22. num. 53. & lib. 4. consil. 1. de secundis nuptijs, edit. 2.* Silu. *verb. matrimonium, 8. q. 13. dict. 4.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 46. q. 2.* Guterez *lib. 2. pract. 99. q. 8. in fine.* & Rodrig. *p. 1. summæ cap. 233. concl. 2.* vbi monet, si coniux de morte coniugis iudicio viri 8
prudentis censeatur habere moralem certitudinem, vel valde probabilem præsumptionem, qualem iura requirunt, opus non esse, vt ab Ordinario licentia petatur contrahendi alias nuptias; ideoque Parrohum absque tali licentia matrimonio assistere posse: tutius tamen est; rem ad Ordinarium deferre, imò id necessarium esse puto, quoties rationabiliter du- 9
bitatur, an certitudo, vel præsumptio de obitu coniugis, sufficiens sit, nec nè? Quare Abb. *in cit. nu. 6.* ait in summa hanc materiam relinquere arbitrio iudicantis, vt diligenter omnibus ponderatis consideret, vtrum de morte sit facta certificatiô.



possit) sufficere debet ad actiones humanas instituendas, probabilis, licet non omnino certa, præsumptio, aut opinio.

SECTIO VII.

Quid dicendum si adsint indicia, quæ sint sufficientia tantùm ad gignendam verisimilem præsumptionem?

SVMMARIVM.

1. *Mulier non peccat transeũdo ad secundas nuptias si adsint indicia, quæ sufficiant ad gignendam verisimilem præsumptionem de morte sui viri, præsertim si nemo illi se opponeret.*
2. *Mulier in casu, de quo agitur, si redeat prior maritus, non est punibilis, neque à secundo viro separanda, donec manifestò appareat viuere adhuc priorem maritum.*
3. *Præsumptio, aut opinio probabilis, licet non omnino certa, sufficere debet ad actiones morales instituendas, cum in moralibus plerumque certitudo haberi non possit.*

1 VErbi Gratia si neque testis, neque fama adsit affirmans de morte coniugis, adsint tamen alia indicia: exẽpli causa, quidam in amentiam, ac furorem actus, aliquoties sibi ipsi necem inferre attentauit, postea vinculis constrictus fuit, ex quibus erupit, quò autem peruenerit, licet diu diligenter quæsitus, nulla relatione sciri potest: an in tali casu, cùm indicia non sint sufficientia ad gignendam certitudinem, etiam moralem (cùm fieri possit hominem insanum, & a vinculis quibus antea tenebatur, in longissimas partes fugisse, atque ibi manere incognitum, vel nouis vinculis constrictum) sufficientia tamen sunt tantùm ad gignendam verisimilem præsumptionem, persuasionem, seu probabilem causam credendi, intercessisse mortem mariti, mulieri concessum sit ad secundas nuptias transire?

Respondetur probabiliter quod mulier in tali casu non peccaret, si cum eiusmodi probabili persuasione, præsumptione, seu iusta causa credendi quod maritus mortuus sit; ideoque bona fide, præsertim si nemo illi se opponeret, ad secundas nuptias transiret; quamobrem Confessarius deberet ei in conscientiæ foro id permittere; & iudex in foro externo (si post celebra-
2 tas nuptias causam intelligeret) deberet neque mulierem punire, neque à secundo viro separare, donec manifestò appararet, viuere adhuc priorem maritum. Atque ita tradunt Rosella *verb. Impedimentum, impedim.* 12. S. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 9. Silu. *verb. Matrimonium* 8. *quæst.* 13. *dicto* 2. *&* 4. Philiar. *de officio Sacerd. to.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. & apertè sumitur *ex cap. cùm per bellicam.* 33. *quæst.* 1. & ratio est, quia in moralibus
3 (cùm in illis plerumque certitudo haberi non

SECTIO VIII.

An Iudex Ecclesiasticus etiam in dicto casu verisimilis, seu probabilis præsumptionis de morte coniugis, dare debeat licentiam transeundi ad secundas nuptias?

SVMMARIVM.

1. *Iudex Ecclesiasticus in casu verisimilis, seu probabilis præsumptionis de morte coniugis dare non debet licentiam transeundi ad secundas nuptias.*
2. *Iudex præsertim Ecclesiasticus bonum publicum Ecclesiæ, & reuerentiam Sacramentorum præferre debet priuato commodo.*
3. *Textus in cap. quoniam §. porrò, vt lite non contestata interpretatio est diuersa à casu, de quo agitur.*
4. *Prius matrimonium tantum est matrimonium, & verum, indissolubile Sacramentum, & ideo post secundas nuptias si prior coniux reuertatur dissoluto putatiuo matrimonio restituenda huic est coniux ipsius.*

REspondetur, quòd Iudex Ecclesiasticus tamen in dicto casu probabilis præsumptionis. non autem indubitatæ certitudinis de morte coniugis, dare non debet licentiam transeundi ad secundas nuptias. Ratio, quia hæc est sententia communis Doctor. vt videre est apud Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 46. *quæst.* 1. Quapropter hæc debet esse omniũ tribunalium praxis, cùm à sententia receptissima (præsertim in causa tam ardua, qualis est matrimonialis) in iudicando recedi non debeat; tum quia canones sic tradunt, videlicet *Dominus, de secundis nuptiis*; *& cap. in præsentia, de sponsalibus*: vbi præcipitur ordinario, vt ad secundas nuptias transire mulieres non permittat, nisi constet de morte virorum; quando autem nec testimonium, nec indicia indubitata de morte proferri possunt, non adest de morte viri certitudo: ergo, &c. tum quia si permissum esset in Ecclesiis, solùm ob probabilem præsumptionem de morte coniugis, alteri licentiam dare secundarum nuptiarum, facilè foret, eiusmodi licentiam extendere, vt Iudici videatur præsumptio iusta, ac probabilis, vbi non est; quod in magnam Sacramenti irreuerentiam, matrimoniorum confusionem, & Ecclesiæ scandalum cederet: tum quia Iudex, præsertim Ecclesiasticus, bonum publicum Ecclesiæ, & reuerentiam Sacramentorum præferre debet 2

priuato commodo; A tsi in tali casu licentia secundi matrimonij denegetur, solū timeri potest periculum incontinentiæ (quod tamen coniux cum Dei gratia vitare potest) si autem licentia concedatur, imminet periculum publici scandali, Sacramenti irreuerentiæ, &c. (si fortè prior coniux adhuc viuat) ergo, &c.

3 Non obstat *cap. quoniam § porrò, vt lite non contestata*, vbi dicitur: *si de carnali coniugio sit agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur*; Ergo vt Iudex alterum matrimonium permittere possit, sufficit verisimilis præsumptio.

Nam ad id respondet Abb. *in cit. §. porrò, num.* 12. illius capituli casum esse longe diuersum à nostro: quod enim ibi respondet Pontifex, illud est, si causa, siue lis in iudicium deueniat, an matrimonium verum sit; quia allegatur v.g. impedimentum dirimens: testes priùs recipiendos non esse, neque vlterius procedendum, quàm lis contestata sit, excepto si reus malitiosè lateat, vel legitimè citatus comparere nolit: sin verò legitimè absens sit, & facilè venire, aut citari non possit, tunc expectandum esse, donec verisimilis præsumptio habeatur de morte illius dubij coniugis. Quare mirum non est, quod in hoc casu non requiratur certitudo omnimoda mortis; cùm non agatur de maximo præiudicio, sicuti *in cit. cap. in præsentia*; sed tantum de hoc præiudicio, vt testes recipiantur, & iuxta allegata, & probata ad definitiuam sententiam procedatur in absentia partis.

Cæterum id certum & definitum est *in cap.* 1. *& seqq.* 34. *quæst.* 1. & ab Innoc. 1. *epist* 9. *ad Probum*; quod si post secundas nuptias (quamuis bona fide, & sine dolo contractas) prior coniux reuertatur, dissoluto posteriori putatiuo matri-
4 monio, restituenda huic sit coniux ipsius. Ratio, quia prius matrimonium tantùm est matrimonium, & verum, indissolubileque Sacramentum.



DVBITATIO XIX.

An in dubio de iure seu proprietate Regni, Prouinciæ, vel Ciuitatis, qui bona fide possidet, restituere teneatur? Vbi multa de aduocato?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Possidens bona fide in dubio de iure, seu proprietate Regni, Prouinciæ, vel Ciuitatis, &c. restituere non tenetur.*
2. *Controuersia exorta inter Principes, vel Respublicas, quæ superiorem non agnoscunt de iure Regni, Prouinciæ, vel Ciuitatis oportet rationes rectè, & diligenter vtrinque expendere instituto conuentu in confinijs Regnorum.*
3. *Bellare necessitatis non voluntatis esse debet, & ideo si aliter res componi potest bellum indicere æquum non est.*
3. *Pars, quæ bona fide possidet discussione facta de iure Regni, si dubium manet de iure, & proprietate ipsius, ad nihil tenetur.*
5. *Dubium superueniens non nocet bonæ fidei possessori, neque cogi potest ad rem restituendam, priusquam manifestum fiat, alienam illam esse.*
6. *Possessor dubitans rem à se possessam alieni iuris esse, ita vt potius inclinet ad partis fauorem, quam ad proprium, obligatus est in conscientia consentire in transactionem, vel in arbitrium boni viri, si id sine graui incommodo fieri possit.*
7. *Actor cum sit iudex & nequeat proprium ius sibi vendicare, quia etiam pars æquè iudex est, potest bellum indicere.*
8. *Possessor dubius de iure proprietatis si superiorem iudicem habeat, tunc restituere nihil tenetur [illegible]quam à iudice suo condemnetur, dummodo actor impeditus non sit, quominus si velit iudicio contendere possit.*
9. *Possessor dubius de iure proprietatis si superiorem iudicem habeat secundum alios sentientes oppositum, restituere tenetur pro parte dubij antequam à iudice suo condemnetur.*
10. *Dubius de voto, vel promissione &c. tenetur pro parte dubij.*
11. *Dubitans de iure suo, si post diligentem inquisitionem, propendeat in eam partem, sibi ius non assistere, desinit esse bonæ fidei possessor.*
12. *Dominus dubitans qui non possidet potest licitè contra possidentem litem intentare, quin & pro ipso potest Aduocatus aduocare.*
13. *Aduocatus nec sententiam profert, nec iudicem cogit illam proferre: sed solum proponit quæ clientis sui ius confirmare possunt, quod facere in causa dubia non est iniustum.*
14. *Aduocatus si sint opiniones hinc inde probabiles, relicta probabiliori potest consulere, & patrocinari pro minus probabili etiam in causa criminali sanguinis, aut honoris, nedum in causa ciuili.*
15. *Quod potest quis per alium, potest facere per se ipsum.*
16. *Aduocatus casu quo defendat opinionem minus probabilem, tenetur manifestare Parti pro qua patrocinatur, causam eius minus probabilitatis habere, alias teneretur ad damna, & expensas tum parti pro qua, tum parti contra quam.*
17. *Aduocatus causam dubiam suscipiens nullo modo, si comperiat causam esse iniustam, debet suscipere eius patrocinium, nec partem ad litigandum inducere.*
18. *Confessarius non potest absoluere Aduocatum paratum patrocinari pro causa iniusta, sicut nec militem paratum militare pro bello iniusto.*
19. *Aduocatus re perspecta tenetur aperire clienti totam causæ probabilitatem, quod si falsa promissione ipsum impellat ad litigan-*

dum, & ad sumptus frustra faciendos, tenebitur ad compensationem damni etiam parti contra quam litigatur.

20. *Aduocatus, qui causæ dubiæ patrocinium suscepit, debet esse paratus quamprimum desistere, & clienti significare, si in progressu litis iniquam eam deprehendat.*

21. *Aduocatus si bona fide, & probabili ignorantia ductus causæ patrocinium à principio suscepit, licet ex noua causa, causæ iniquitatem deprehendat, salarium nihilominus petere potest.*

22. *Aduocatus deprehendens iniquitatem causæ quam defendendam suscepit, licet possit, non tamen debet ratione scandali alteri parti suum patrocinium præstare.*

23. *Aduocatus, sicut iudex, & Conciliarius intelligentes quod pars vna litigantium causam iniquam habeat, peccant si auctores sint transactionis.*

24. *Dominus alter dubius, qui non possidet, potest licitè occulte (præsertim si alio modo commode non possit) pro parte dubij contra possidentem sibi compensare, si eo animo compenset, vt paratus sit certo Domino aduenienti restituere.*

25. *Neuter si contendentium rem bona fide possideat, tunc vnus alterum cogere potest, vt vel arbitri constituantur, vel res per transactionem diuidatur pro parte dubij iuris, quod cuique competere videtur.*

26. *Bellum potest esse ex vtraque parte iustum formaliter, per accidens propter ignorantiam, & quomodo id eueniat vide diffusius.*

27. *Bellum ordinariè esse non potest inter agnoscentes superiorem, cum lis iudicio definiri commode possit.*

RESpondetur: ex dictis ibidem: In du-
1 bio de iure seù proprietate Regni,
prouinciæ, vel ciuitatis &c. qui bo-
na fide possidet restituere non tene-
tur. Vide victor *relect. de iure bell. à num.* 27.
Molinam *to.* 1. *tract.* 2. *disp.* 103. Vasq. *disp.* 64. *c.* 3.
Becanum 2. 2. *cap.* 25. *quæst.* 8.
2 Vbi aduerte, quod exorta controuersia inter
Principes, vel Respublicas (quæ superiorem
non agnoscunt) de iure Regni, prouinciæ, vel
ciuitatis, &c oportet ante omnia rationes dili-
genter ac prudenter vtrimque audiri, & discu-
ti, instituto conuentu v. g. in confiniis Regno-
rum, ad quem mittantur viri rerum periti: non
enim fas est, bellum instituere, si res aliter discu-
3 ti, ac iuste componi potest: nam bellare necessi-
tatis non voluntatis esse debet, ait S. Augustin.
epist. 207 Relatus *in cap. noli,* 23. *quæst.* 1. ob in-
gentia damna, & incommoda quæ coniuncta,
vel inde prouenientia esse solent; discussione au-
tem rationum facta, si dubium manet de iure,
seu proprietate regni, &c. pars quæ bona fidè
4 possidet, ad nihil tenetur: nam superueniens du-
5 bium non nocet bonæ fidei possessori; neque
cogi potest ad rem restituendam, priusquam
manifestum fiat, alienam illam esse, vt patet ex
dictis. Quare in tali casu bellò locus non est: &
si illud instituitur possessor tanquam vim passus
iniustam, se defendere, imò etiam illatam iniu-
riam bello vindicare poterit. Atque id docet
victoria *relect. de Indis, num.* 27.
Aduerte secundò, quod si vna pars absque 6
prauo affectu iudicet, rem ad se pertinere, &
possessor de hoc dubitet etiam, & ita vt propen-
deat, quod res alieni iuris sit, tunc in conscien-
tia obligatus est (si id sine graui incommodò
fieri possit) vt in transactionem, vel bonorum
virorum arbitrium consentiat, adeo vt si id fa-
cere recuset, possit contra ipsum bellum moueri: 7
nam cùm neuter litigantiu in tali casu superio-
rem agnoscat ideoque vterque in propria causa
iudex sit, si actor existimet rem ad se pertinere,
idque ius suum alia via consequi non possit,
restat, vt bello exigendi potestatem habeat, si
aliter alter satisfacere nolit. Atque ita docent
Mol. & Becan *in locis suprà citatis.*
Alia veri ratio est, si possessor dubius de iure 8
proprietatis superiorem iudicem habeat: tunc
enim restituere nihil tenetur antequam à Iudi-
ce suo condemnetur, dummodo actor impedi-
tus non sit, quo minus si velit, iudicio conten-
dere possit; & possessor iustæ sententiæ superio-
ris sui stare paratus sit.
Contrarium tamen, etiam in isto casu, sen- 9
tiunt alij; nempe, quod si possessor dubius de
iure proprietatis, superiorem iudicem habeat,
restituere teneatur in conscientia pro parte du-
bij antequam à Iudice suo condemnetur. Atque
ita sentiunt Medina *Cod. de restit. quæst.* 20. &
alij: idque probant à pari ex eo quia qui dubius
est de voto, vel promissione &c. (inquiunt ipsi) 10
tenetur pro parte dubij; ergo hic, &c. Quod &
tenent etiam Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41.
num. 10. & alij multi, quos ipse ibi adducit: &
fauent S. Th. *in* 4. *d.* 41. *qu.* 1 *art.* 5. *quæst. vnc.* 1.
S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 3. §. 2 Silu. verb.
matrimonium, 8. *quæst.* 3. *dicto* 5. Petr Ledesma
de matrimon. quæst. 45. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 3. *arg.* 1.
sent. quatenus aiunt, quod dubitans de iure suo, 11
si post diligentem inquisitionem propendeat in
eam partem, sibi ius non assistere, desinit esse
bonæ fidei possessor.
Ex quorum sententia, quæ non est improba- 12
bilis, sequitur primò, quod alter dubius domi-
nus, qui non possidet, possit licitè contra possi-
dentem litem intentare; quin & pro ipso possit
Aduocatus aduocare, sicuti docent Malder. *in*
part. 2. *quæst.* 19. *artic.* 5. *disp.* 86. *assert.* 8. & Lorca
in p. 2. *to. disp.* 39. *membr.* 2.
Et ratio vlterius est, quia Aduocatus nec sen- 13
tentiam profert, nec iudicem cogit illam pro-
ferre; sed solum proponit, quæ clientis sui ius
confirmare possunt; hæc autem proponere iudi-
ci in causa dubia non est iniustum, sed iuuat, vt
à iudice causa melius expendatur ergo, &c.
Vide etiam pro hac sententia S Anton. *p.* 2.
tit. 1. *c.* 19. §. 8. Angelum *verb. Aduocatus*
num. 17. Armill. *num.* 20. Sylu. *q.* 10. Nauar.
in sum. c. 25. *num.* 28. & Sanch. *lib* 1. *moral.*
c. 9. *num.* 53. cum alijs (quos ibi citat) Tur-
rianum 2. 2. *to.* 2. *q.* 71. *art.* 3. Lorcam *in p.*
2. *to.* 1. *disp.* 39. *membr.* 2. Villalob. *to.* 1. *tract.*
1. *diffic.* 14. *num.* 5. qui subdunt, quod possit
etiam Aduocatus, si sint opiniones hinc, in- 14
déque probabiles, relictâ probabiliori, con-
sulere. & patrocinari pro minus probabili,
etiam in causa criminali sanguinis, aut ho-

noris, nedum in causa ciuili, cuiuscumque momenti illa sit.

Ratio, quia cliens in tali casu potest iustè litigare; ergo etiam poterit Aduocatus iustè patrocinari. Antecedens probatur, quia in causa dubia permittitur parti litem cum aduersario contestari, ac propositis iuribus, & rationibus suis, Iudicis dirimentis sententiam postulare. Consequentia probatur, quia quod licet tibi facere, licet mihi ad id te adiuuare.

15 Vnde est *regul. 68. in 6.* quod potest quis per alium, potest facere per seipsum.

Confirmatur, quia iura ideo Aduocatum permittunt, vt sit veluti Vicarius partis litigantis, ergo si iustè potest pars, iustè poterit & Aduocatus.

Confirmatur secundò, quia hoc ipso, quod ratione probabili mouetur, non temerè agit, sed prudenter, & cum fundamento, atque adeò sine peccato.

16 Tenetur tamen Aduocatus in tali casu manifestare parti, pro qua patrocinatur, causam eius minus probabilitatis habere: aliàs teneretur ad damna, & expensas, tùm parti, pro qua, tùm parti, contra quam patrocinatur, si, ea re cognita, pars, pro qua patrocinatur, litigare non voluisset.

17 Itaque Aduocatus causam dubiam suscipiens est obligatus.

Primò, vt ante omnia diligenter inspiciat causæ sibi propositæ probabilitatem; & si iniustam esse illam comperiat, nullo modo eius patrocinium suscipiat, multò minus partem ad litigandum inducat; alioquin, saltem secundariò, tanquam concausa, ad compensationem damni parti læsæ obligatus erit; sicuti docet S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *& q.* 71. *art.* 3. *in corpor.*

18 Quamobrem à confessario absolui non possunt Aduocati, qui parati sunt patrocinari cuiuis, siue iustam, siue iniustam causam is afferat litigandi: sicuti nec possunt absolui milites, qui parati sunt pro Rege pugnare, siue iustum, siue iniustum is bellum indicat: sunt enim tales homines in statu peccati mortalis propter prauam intentionem.

19 Secundò, vt post diligentem totius causæ considrationem aperiat clienti, quantam probabilitatem, vel spem victoriæ obtinendæ habeat: alioquin si falsa promissione, aut spe inani victoriæ clientem detineat, & sumptibus frustra faciendis inuoluat, ad compensationem damni ei obligatur: quia ipse reuera est ei causa talis damni: quin & parti, contra quam litigatur. Atque ita ex communi docet Less. *lib.* 2. *c.* 31. *dub.* 8.

20 Tertiò, vt Aduocatus, qui causæ dubiæ patrocinium suscepit, paratus sit quamprimum desistere, & clienti significare, si in progressu litis iniquam eam deprehendat: sicuti tradit S. Th. 2. 2. *q.* 71. *ar.* 3. *ad* 2.

Quod si hoc graue ipsi videtur, culpam det sibi ipsi qui à principio causam dubiam suscipere voluerit, præsertim si Iudices in eo loco in contrariam partem hactenus iudicare consueuerint. Vide Io. Maiorem *in* 4. *d.* 15. *q.* 28. §. 5. infertur, & Gabr. *q.* 6. *art.* 2.

21 His tamen adde primò, quod si Aduocatus bona fide, & probabili ignorantia ductus, causæ patrocinium à principio suscepit, & postea ex noua causa, v. g. propter instrumentum inuentum, vel propter clientis confessionem: causæ iniquitatem deprehendit, salarium nihilominus petere possit; secus si ob imperitiam, iniquitatem causæ à principio non cognouit. Ratio, quia Aduocatus in priori casu non est in culpa; est autem in posteriori. Atque ita docet Sylu. *verb. Aduocatus q.* 22. Armilla *num.* 18. *arg. l. Prætor. ff. de vacat. & excusat. munerum.*

Adde secundò, quod, quamuis absolutè loquendo Aduocatus deprehendens iniquitatem causæ, quam defendendam à principio suscepit, possit, eâ derelictâ, parti aduersariæ suam operam præstare (dummodo secreta quæ cum expresso, vel tacito reticendi pacto accepit, non aperiat) tamen plerumque id scandalo non caret; ideoque dissuadendum, nec à magistratu permittendum: sicuti notauit Farinac. *lib.* 1. *tit.* 1. *praxis criminalis*, *q.* 4. *num.* 16. & videri potest Gutierez *lib.* 1. *pract.* 99. *quæst.* 30. 22

Adde tertiò, quod peccet Aduocatus, sicut & Iudex, & Consiliarius, si intelligentes, quod pars vna litigantium causam iniquam habeat, auctores sint transactionis in tali casu cum damno alterius partis litigantis. Ratio, quia transactio solum est de causa dubia. Atque ita docet S. Thom. *cit. q.* 71. *ad* 2. & Less. *cit. dub.* 8. *num* 49. 23

Sequitur secundò, quod alter dubius Dominus, qui non possidet, possit licitè occultim (præsertim si alio modo commodè non potest) pro parte dubij contra possidentem sibi compensare: nam si qui possidet in ista opinione tenetur restituere pro parte dubij; sequitur necessariò, quod alter dubius Dominus, qui non possidet, possit pro parte dubij sibi compensare, sequela patet: nam duo hæc sunt correlatiua, seu necessariò connexa inter se: tum quia qui possidet, tenetur pro parte dubij restituere: ergo tenetur restituere ei, qui dubius etiam Dominus est, etsi non possidet. 24


Quod tamen intellige, si, quamuis dubium sit, an ad eum, qui possidet, vel ad alium, qui non possidet, res pertineat, tamen certum est, quod ad alterutrum illa pertineat: vel saltem quod qui compensat non possidens, eo animo compenset, vt paratus sit in totum, vel pro parte restituere, si postea certus, vel dubius alter Dominus eiusdem numero rei comparuerit.

Porrò, si neuter contendentium rem bona fide possideat, tunc vnus alterum cogere potest, vt vel arbitri constituantur, vel res per transactionem diuidatur pro parte dubij iuris, quod cuique competere videtur; adeò vt si iustæ huic petitioni alter satisfacere non velit, iniustus esse incipiet; ideòque bello vexari iustè poterit. 25

Quod, si facta discussione causæ, partes adhuc iudicio discrepant, & vna quidem arbitratur, certò, & liquidò rem sibi deberi: altera verò, vel contrarium sibi persuadet, videlicet nihil omninò iuris aduersario competere, vel saltem ius dubium esse, vt non in- 26

tegra res aduerſario debeatur, quam tamen ſibi deberi exiſtimat (quamuis in tali caſu alteram partem decipi neceſſe eſt: ſi tamen error inuincibilis eſt, & non ex prauo affectu ortus) bellum erit ex vtraque parte iuſtum, formaliter, nimirum per accidens, propter ignorantiam.

27 At, ſi contendentes de re aliqua ſuperiorem agnoſcunt, ordinariè bello locus non erit, cùm lis iudicio definiri commodè poſſit: vt communiter dicitur in materia de bello.



SECTIO II.

Quid dicendum, ſi mortuo Rege, plures ex eodem Regno, vel Republica, de iure Regni contendant.

SVMMARIVM.


1. *Reſpublica habet facultatem dirimendi litem inter contendentes de iure Regni, de eodem Regno, vel Republica, mortuo Rege.*
2. *Eccleſia, ſeu Epiſcopi Eccleſiarum Prælati ius habent iudicare an & quis contendentium legitimus Pontifex ſit tempore ſchiſmatis.*
3. *Amplia, prædicta habere locum ſiue perſonaliter aliquis Regni ſubditus ſit, ſiue ratione territorij, quod in Regno iam poſſidet, niſi rationem afferat ab initio cur iudices ipſi ſuſpecti ſint.*
4. *Rex vel Proceres Regni non ſunt iudices in caſu quod Princeps externus, & nullo modo ſubditus Regno putet ſibi deberi poſſeſſionem alicuius Territorij, illudque iniuſtè à Rege, vel Regno negari.*

1 Reſpondetur: Si mortuo Rege, plures ex eodem Regno, vel Republica, de iure Regni contendant, ad ipſam Rempublicam ſpectabit litem dirimere, cùm ipſa ſit ſingulis ſuis membris ſuperior. Atque ita docet Vaſq. Mol. & Becanus *in locis ſupra cit.*

2 Confirmatur à pari, quia tempore ſchiſmatis ad Eccleſiam, ſeu ad Epiſcopos Eccleſiarum Prælatos pertinet iudicare, an, & quis contendentium legitimus Pontifex ſit.

3 Quæ autem modò dixi, locum habent, ſiue perſonaliter aliquis Regni ſubditus ſit, ſiue ratione territorij, quod in Regno iam poſſidet: ortâ enim controuerſiâ de iure talis territorij, debet poſſeſſor ſtare iudicio Regis, aut Regni: niſi, vel lata ſententia manifeſtò iniqua ſit, vel ab initio rationem iuſtam afferat, cur iudices ipſi ſuſpecti ſint; ideóque arbitros

4 dari poſtulet. In caſu autem (quod Princeps externus, & nullo modo ſubditus Regno putet ſibi deberi poſſeſſionem alicuius territorij, illudque iniuſtè à Rege, vel Regno negari) arbitror, quod Rex, vel Proceres Regni non ſint iudices in tali controuerſia ita vt alter, qui nullo modo adhuc ſubditus eſt, eorum iudicio ſtare teneatur; licet contarium teneat Vaſq. *loco citato.*



SECTIO III.


An, ſi Reſpublica eſt ita perturbata, vt nemo ius ſuum obtinere valeat, liceat tibi vim inferre tuo debitori, ſi aliter nequeas rem tuam ab illo obtinere.

SVMMARIVM.

1. *Creditori licet vim inferre ſuo debitori modò tamen id fiat ſine armis, & moderate, & aliter nequeat rem ſuam obtinere, ſi Reſpublica ſit ita perturbata, vt nemo ius ſuum obtinere valeat.*
2. *Diſtinctio pulchra affertur qua auctor vult creditorem poſſe vim inferre debitori in caſu de quo agitur, modo res ſit penes debitorem, ſecus ſi res non extat, & ille tantum ſit debitor.*

Reſpondetur, ſi Reſpublica eſt ita perturbata, vt nemo ius ſuum obtinere valeat, exiſtimat probabiliter Sotus, licere tibi vim inferre tuo debitori, ſi aliter nequeas rem tuam ab illo obtinere; modò tamen ſine armis, & moderatè illud fiat. 1

Sed ego vterer potius diſtinctione, nempè, quod ſi res tua extat apud alterum in ſua ſpecie, (v. g. equus, veſtis, torquis, &c.) & non potes eam aliter ab illo recuperare, ob Reipublicæ perturbationem, poſſis tu domum ingredi, & eam auferre, & ſi ille attentat impedire, poſſis tu etiam armis tueri. Ratio, quia habes ius recuperandi rem tuam, neque hic videtur propriè eſſe aggreſſio, ſed defenſio. Si tamen res non extat, ſed ille tantum eſt, debitor tuus, non poſſis hoc modo illam vindicare. Ratio, quia tu non es Dominus rei illius, ſed ille: vnde habet ille ius tibi reſiſtendi, ſi illam vi auferre nitaris: & conſequenter in tali facto tu eris aggreſſor, non ille: quia ipſe non detinet rem tuam, ſed tu rem ipſius inuadis, 2



DVBITATIO XX.

An, in dubio, vtrum beneficium sit simplex, vel curatum, censeri debetur simplex?

SVMMARIVM.

1. *Beneficium in dubio an sit simplex, vel curatum, censeri debet simplex.*
2. *Onus imponendum non est vbi non apparet.*
3. *Qualitates requisitæ ad beneficium curatum tot sunt, vt merito præsumi non debeant.*

1 RESpondetur ex dictis ibidem: in dubio, an beneficium sit simplex, vel Curatum, censeri debet simplex: quia ly *Curatum*, est quid facti, factum autem non præsumitur, nisi demonstretur: tum quia non est imponendum onus, vbi non apparet: tum quia tot sunt
2 qualitates requisitæ ad beneficium Curatum,
3 vt meritò præsumi non debeant, nisi probentur. Atque ita docent Gutierez *alleg.* 8. *num.* 6. Hoieda *p.* 1. *q.* 13. *num.* 2. Gonzalez *reg.* 8. *Cancell. gl.* 6. *num.* 91. & alij.



DVBITATIO XXI.

An, in dubio, vtrum casus sit reseruatus, censeri possit non reseruatus?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Casus in dubio an sit reseruatus, censeri potest non reseruatus.*
2. *Reseruatio vtpotè odiosa strictè est interpretanda.*
3. *Limita secundum aliquos DD. nisi esset præsumptio fori externi pro illius delicti commissi veritate, prout v. g. in delicto hæresis.*
4. *Nullus præsumitur dicere quod in mente non habet, nec aliter quam in mente habet.*
5. *Limitatio allata auctori non probatur, & cur.*
6. *Casus reseruatus à Prælato intelligi debet de peccato certo, non autem de peccato præsumpto.*
7. *Votum castitatis, vel religionis non est reseruatum Papæ si aliquis dubitet an habuerit animum se obligandi.*


RESpondetur ex dictis ibidem; in dubio, an casus sit reseruatus, censeri potest non reseruatus, & sic absolui, vt non reseruatus; tum propter regulam traditam, quod factum, qualis est reseruatio, in dubio non præsumitur, 1
nisi demonstretur; tum quia reseruatio, vt pote odiosa, strictè est interpretanda. Atque ita 2
contra nonnullos Doctores docent Sà *verb. Casus reseruati, num.* 5. Suar. *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 5. *num.* 15. Ochagauia *de Sacram. pœnit. tract.* 2. *q.* 13. *num.* 8. Hurtad. *de Sacram. to.* 1. *diffic.* 11. *de pœnit. dub.* 6. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *c.* 4. *num.* 172. Portell *verb. Casus reseruati, num.* 7. Sanch. *lib.* 1. *moral. c.* 10. *num.* 74. & Alphonsus de Leone, *Confess. p.* 1. *recollect.* 15. *num.* 25.

Qui duo tamen vltimi Doctores limitant, 3
nisi esset præsumptio fori externi pro illius delicti commissi veritate: quia tunc, stante hac præsumptione, possessio esset pro certitudine delicti commissi reseruati; & sic tali præsumptioni standum esset in vtroque foro, donec de contraria veritate constaret, v. g. si quis in casu hæresis (quæ reseruata est, si externa, & interna simul sit) dubius est, an dum illam protulit, mente ita senserit; vel, mente ita sentiente dubius est, an eam protulerit, animo eius asserendæ, vel solius ioci causa, censebitur hæresis in tali dubio reseruata.

Ratio, quia cùm verba sint naturaliter signa 4
intentionis, & nullus præsumatur dicere quod in mente non habet, nec aliter, quàm in mente habet, præsumptio, & sic possessio in tali dubio est quod hæresis illa processerit exterius ex vero consensu interiori in ipsam.

Sed his non obstantibus limitatio ista mihi 5
non probatur: existimo enim propter rationes supra dictas nullum casum censeri reseruatum, nisi certò constet de illius reseruatione, nec 6
satis est (vt casus sit reseruatus) quod solum præsumatur reseruatus; Quapropter quando Prælatus reseruat sibi casum, intelligendus est de peccato certo, non autem de peccato præsumpto.

Confirmatur: quia etsi: quando quis certus 7
est, se emisisse votum castitatis, vel religionis, dubitat autem, an habuerit animum se obligandi, teneatur votum seruare, quia in tali casu possessio stat pro voto, vt supra iuxta probabiliorem, & communiorem opinionem dicebatur, tamen ex communi sententia tale votum non censetur Papæ reseruatum, vt admittit etiam Sanchez *lib.* 4. *c.* 40. *num.* 26. & *c.* 44. *num.* 3. idque non ex alia ratio de nisi quia, cùm reseruatio sit odiosa, strictè interpretanda est, atque adeò ad certos casus restringenda; Ergo idem dicendum in nostro casu: atque ita docet præter alios Merolla *to.* 1. *disp.* 3. *c.* 3. *dub.* 2. *coroll.* 23. *num.* 376.





SECTIO II.

An, poſſint Regulares ex vi ſuorum priuilegiorum abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ dubijs.

SVMMARIVM.

1. *Regulares poſſunt ex vi ſuorum priuilegiorum abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ dubijs, ſiue iuris, ſiue facti.*

1 Eſpondetur Ex hoc, quod reſeruatio ſtrictam habeat interpretationem, ſequitur primò, quod poſſint Regulares ex vi ſuorum priuilegiorum abſoluere a caſibus Bullæ Cœnæ dubijs, ſiue iuris, ſiue facti. Et confirmatur, quia Congregatio de mandato Clementis VIII. volens priuilegiatis prohibere caſus dubios Bullæ Cœnæ tam iuris, quam facti, expreſſit hos in priori decreto, cùm tamen eoſdem non expreſſerit in ſecundo moderatorio.



SECTIO III.

An, Epiſcopus poſsit diſpenſare in homicidio, quod quis fecit cauſa defenſionis, quamuis excedendo moderamen inculpatæ tutelæ?

SVMMARIVM.

1. *Epiſcopus licet non valeat diſpenſare in homicidio voluntario quamuis occulto, poteſt tamen diſpenſare in homicidio, quod quis fecit cauſa defenſionis quamuis excedendo moderamen inculpatæ tutelæ.*
2. *Homicidium ad ſui defenſionem non cenſetur ſimpliciter voluntarium.*
3. *Epiſcopus poteſt diſpenſare in homicidio, occulto, quod quis commiſit, hominis necem directè non intendendo: ſed ſolum indirectè; & in cauſa v. g. in muliere grauida incautè percuſſa cum fecerit abortum, & in mandato exceſſo, & in procurato ad rixam, qui ne occideretur, occidit.*
4. *Homicidium quodcumque (quamuis directè volitum non ſit, imo etiam nolitum) ſi tamen proueniat ex opere, cum quo ſæpè coniuncta eſt hominis occiſio inter homicidia voluntaria numerandum eſt.*
5. *Homicidium prædictum non eſt ſimpliciter, & perfectè voluntarium, ſed ſecundum quid indirectè, & in ſua cauſa.*
6. *Parochi, & ſi non valeant abſoluere ſecundum conſuetudinem Diœceſium ab homicidio voluntario tanquam Epiſcopis reſeruato, poſſunt tamen abſoluere ſi aſſerat Pœnitens ſe non habuiſſe propoſitum occidendi, ſed ſolum rixandi, ſed demum cauſa defenſionis id feciſſe licet exceſſo moderamine inculpatæ tutelæ.*
7. *Limita, caſu quo non ſit notorium, ſed occultum.*

1 Eſpondetur, ſequitur ſecundò, quod Epiſcopus (& ſi non valeat diſpenſare in homicidio voluntario, quamuis occulto, vt habet communis Doctorũ opinio apud Nauar. *cap.* 17. *num.* 194. ex Trident. *ſeſſ.* 24 *cap.* 6. *de reformat.*) poſſit tamen diſpenſare in homicidio, quod quis fecit cauſa defenſionis, quamuis excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. Ratio quia tale homicidium non cenſetur ſimpliciter voluntarium: & ex alio capite reſeruatio ſtrictam habet interpretationem, vt ſupra dicebatur. Atque ita docet Nauar. *c.* 27. *num.* 240. *& conſ.* 36. *de homicid. edit.* 2. Henriq. *lib.* 14. *c.* 19. *num.* 3. Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 2. 2

Item quod poſſit diſpenſare in homicidio occulto quod quis commiſit, hominis necem directe non intendendo, ſed ſolum indirectè, & in cauſa, v. g. ſi quis mulierem grauidam incautè percuſſit, & ſic abortum cauſauit. Si quis tegulam improuidè è tecto deijciés hominem occidit. Si quis alterum iniquè verberari mandauit, prohibens, ne occideretur; mandatarius verò fines mandati egreſſus, occidit, iuxta *cap. vlt. de homicid. in* 6. qua de re vide Nauar. *cit. num.* 240. *& lib.* 5. *conſ.* 27. *de homicid. edit.* 2. Si quis ad rixam prouocatus, percutiendi tantum animo acceſſit, poſtea verò, ne ab auctore rixæ occideretur, occidit. Ratio eſt, quia huiuſmodi homicidia, cùm non ſint ex propoſito directo, ac formali, non ſunt ſimpliciter, ac perfectè voluntaria, ſed veluti mixta ex voluntario, & caſuali iuxta doctrinam S. Th. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. Nauar. *cit. cap.* 27. *num.* 219. & ex alio capite reſeruatio ſtrictam habet interpretationem: vt ſupra dicebatur; Ergo &c. 3

Quapropter huiuſmodi homicidia occulta indiſpenſabilia non eſſe, docet etiam Nauar. *cit. num.* 240. Henriq. *lib.* 14. *c.* 19. *num.* 2. Auilla *par.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 1. *num.* 4. contra Molinam *tom.* 3. *diſp.* 3. qui putat, omne homicidium, quamuis directè volitum non ſit, imò etiam nolitum) ſi tamen proueniat ex opere, cum quo ſæpe coniuncta eſt hominis occiſio, inter homicidia voluntaria numerandum eſſe: quod etiam ſentire videtur Caiet. 2. 2. *q.* 63. *art.* 8. Couar. *par.* 2. *clem. initio num.* 1. Azor. *to.* 3. *lib.* 2. *c.* 14. & rectè quidem docent hi Doctores, huiuſmodi homicidium non eſſe caſuale; fateri tamen 4

5 etiam debent, non esse simpliciter, ac perfectè voluntarium, sed secundùm quid, indirectè, & in sua causa, vt proinde probabile saltem sit, sub exceptione homicidij voluntarij à Tridentino non esse comprehensum.

6 Eadem hæc doctrina deseruire potest Parrochis, quod scilicet (etsi non valeant absoluere secundùm consuetudinem Diœcesium ab homicidio voluntario, tanquã Episcopis reseruato) possint tamen absoluere, si afferat pœnitens, se non habuisse propositum occidendi sed solum rixandi v g posteaverò necessitate compulsum, ne ipse occideretur occidisse, aut occidisse causa defensionis, quamuis excesso moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio, quia (vt supra dicebam huiusmodi homicidiũ non debet cen-
7 seri reseruatum, præsertim si occultum sit: si enim notorium est, conuenit plerumque, vt examini Episcopi relinquatur.

SECTIO IV.


An, peccata merè interna reseruatione Prælati censeantur comprehensa.

SVMMARIVM.

1. *Peccata merè interna, si grauia, seu mortalia sint, licet reseruari possint, non tamen reseruatione Prælati censentur comprehensa, nisi exierint in actum externum, quin nisi fuerint opere consummata.*
2. *Crimen propriè, & rigorosè non intelligitur, nisi sit consummatum.*
3. *Attentatio homicidij non est homicidium: & conatus ad incestum, non est incestus.*
4. *Criminis attentatio si expressis verbis reseruetur, validè reseruatur.*

1 Espondetur, sequitur tertiò, quòd (quamuis peccata merè interna, si grauia, seu mortalia sint, reseruari possint, vt docent Mai. *in* 4. *d.* 17. *q.* 5. *prop.* 2. Barthol. Med. *lib.* 1. *instruct. c.* 10. Graffis *p.* 1. *decis. lib.* 1. *c.* 13. *num.* 71. Elamas. *p.* 1. Meth. *c.* 7. §. 14. Henriq. *lib.* 6. *c.* 14. §. 5. Sanch *lib.* 2. *moral. c.* 8. *num.* 4. Suarez *de pœnit. disp.* 29. *sect.* 3. Coninch. *disp.* 8. *dub.* 11. & Finell. *de casib. reseruatis c.* 5. *num.* 6. Et ratio est, quia iurisdictio non minus ad absoluendum à peccatis internis, quam ab externis, conueniente ordine, à superioribus ad inferiores confessarios descendit, ideoque vtraque potestas limitatè, seu in restrictione conferri potest) tamen reseruatione Prælati non censeantur comprehensa, nisi exierint in actum externum, quin nisi fuerint opere consummata. Atque ita docet Syluest. *verb. casus*, *q.* 5. Henriq *lib.* 6. *c.* 14. *num.* 5. Graffis *cit. num.* 71. Finellius *cit. c.* 5. *num.* 4. vbi afferunt exemplum de incestu impuberum & puberum, qui extra vas semen emiserunt. Et ratio est, quia ex vno capite crimen pro- 2
priè, & rigorosè non intelligitur, nisi sit consummatum, *c. hæc autem*, *iunct. Gl. d.* 1. *de pœnit.* (Attentatio enim homicidij v. g. non 3
est homicidium: & conatus ad incestum, non est incestus) ex alio autem capite, reseruatio strictam habet interpretationem, vt supra dicebatur, ergo &c.

Cæterum, si ipsa quoque criminis attenta- 4
tio expressis verbis reseruetur, validè reseruabitur, vt supra dicebatur: quia & ipsa tunc in genere suo est consummata.



SECTIO V.

An, casus reseruatio extendatur ad pueros?

SVMMARIVM.

1. *Casus reseruatio non extenditur ad pueros ante annos pubertatis completos ita vt reseruata Sodomia, non intelligantur comprehensi pueri, qui non dum annum 14. ætatis compleuerunt.*
2. *Minor ætas excusat à pœna ordinaria in foro exteriori, ergo & excusare debet in foro interiori.*
3. *Reseruatio censuræ Papalis circa percussionem Clerici grauem non extenditur ad impuberes, si nimirum hi talem excommunicationem incurrunt, sed possunt absolui ab Episcopo.*

Espondetur: Sequitur quartò, quod casus reseruatio non extendatur ad pueros ante annos pubertatis completos: v. g. si reseruatus est casus Sodomiæ, non comprehendantur sub tali casu reseruato pueri, qui nondum annum 14. ætatis compleuerunt: idque propter rationem eamdem supradictam. 1

Confirmatur, quia minor ætas excusat à 2
pœna ordinaria in foro exteriori: ergo & excusare debet in foro interiori.

Atque ita contra Lazarium *tract. de blasphemia*, *q.* 7. *num.* 42. Homobonum *de casib. reseruatis p.* 1. *c.* 3. *fol.* 60. & Floronium *p.* 1. *c.* 3. *num.* 3. sentiunt Paludan. *in* 4. *d.* 34. *q.* 2. *art.* 1. Graffis *to.* 1. *consil. lib.* 5. *de adul. conf.* 3. *num.* 13. *& seqq.* & Bellochius *de cas. reseruat. p.* 2. *q.* 1. *num.* 203. *& q.* 17. *num.* 66.

Quapropter & reseruatio censuræ Papalis, 3
circa percussionem Clerici grauem, de qua *in c. de cætero*, *c. ea noscitur*, *de sent. excomm.* non

extenditur ad impuberes, ſi nimirum hi talem excommunicationem incurrant: ſed poſſunt (etiamſi poſt pubertatem abſolutionem petant) abſolui ab Epiſcopo, ſicuti habetur *in c. Pueris, de ſent. excomm.*



SECTIO VI.

An, ſi Pontifex, vel eius Pœnitentiarius aliquem abſoluit à ſola cenſura Bullæ, vel alia Papæ reſeruata, inferior Confeſſarius deinde in conſcientiæ foro eum abſoluere poßit à peccato illo, cui talis cenſura coniuncta fuerat?

SVMMARIVM.

1. *Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum ſibi reſeruat, niſi propter annexam excommunicationem ſibi itidem reſeruatam.*
2. *Pontifex, vel eius Pœnitentiarius ſi aliquem abſoluat à ſola cenſura Bullæ, vel alia Papæ reſeruata, inferior Confeßarius deinde in conſcientiæ foro eum abſoluere poteſt à peccato illo cui talis cenſura coniuncta fuerat.*
3. *Abſolutus ſemel à reſeruatis, quamuis inefficaciter quoad ſalutem animæ (puta quia non contritè) poteſt iterum confitendo abſolui à ſimplici Confeſſario ab illis reſeruatis.*
4. *Dictum eſt notatu dignum pro illis. qui nulliter abſoluuntur à peccatis reſeruatis tempore iubilæi, vel per Bullam Cruciatæ.*
5. *Amplia, id etiam procedere in reſeruatis oblitis.*
6. *Amplia, id etiam procedere in ignorantia ſiue iuris, ſiue facti, non Craſſa (vel etiam Craſſa, quin & affectata, ſi cenſura eſt contra præſumentes.*
7. *Peccatum hæreſis, cui excommunicatio Papalis annexa eſt per ſe, & immediatè Papæ reſeruatum eſt propter enormitatem ſuam.*
8. *Sacerdos inferior tali poteſtate carens bona fide inuincibili reſeruationis ignorantia laborans ſi directè abſoluere attentet nihil efficit ob iuriſdictionis defectum.*
9. *Epiſcopus poteſt caſus quoſdam ſub cenſura ſpecialiter ſibi reſeruare contra Regulares.*
10. *Regulares probabiliter virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt abſoluere à cenſuris Epiſcopo reſeruatis non obſtante decreto Clementis. VIII.*
11. *Prælatus Religionis poteſt per ſe, & immediatè ſibi caſus reſeruare, quamuis in decreto Clementis, exceptis nonnullis, alij non reſeruentur ſine generalis capituli diſcuſſione in toto ordine, & Prouincialis in Prouincia.*
12. *Caſus qui ſibi Prælatus Religionis reſeruare poteſt ex diſpoſitione decreti Clementis enumerantur per extenſum.*
13. *Prælatus Religionis non poteſt ſecundum aliquos ſibi reſeruare furtum de rebus alterius Religioſi, vel ſæcularis commiſſum, neque obſtat declaraſſe oppoſitum Clem. VIII. quia de hac declaratione non conſtat authenticè.*
14. *Proprietatis nomine in dicto decreto Clementis venit tantum largitio alicuius rei magni valoris.*
15. *Prælatus Religionis non poteſt ſibi ſecundum aliquos reſeruare lapſum carnis voluntarium opere conſummatum, dummodo non proueniat ex delectationibus moroſis internis, ſed ex libidinoſo aliquo opere externo, vt oſculo, aut tactu.*
16. *Ad reſeruationem requiritur non ſolum externa veneris actio in ſua ſpecie conſummata, ſed etiam externa actio mediorum.*
17. *In caſum reſeruatum non incidit, quamuis peccet is, qui quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitiæ actus, perſonam tangit, dummodo ſeminis preſuſionem, aut copulam non exerceat.*
18. *Neque incidit in caſum reſeruatum, quamuis peccet is, qui ſine tactu, oſculo & c. ſed ſolum ob veneream turpitudinem mentalem pollutionem patitur.*
19. *Aſpectus quamuis aliqua libidine, quaſi inaduertenter informatus, ſi à pulchritudine perſonæ viſæ proueniat, non eſt neque mortalis, neque fieri poteſt caſus reſeruatus, neque poteſt fieri*
20. *caſus reſeruatus probabiliter, etiamſi inde in pollutionem prolabatur quamuis ex praua intentione & affectione ad libidinem ob affectum corporis externi viſi.*
21. *Secus eſt, ſi aſpectus eſt corporis fœminæ denudati, aut potioris partis ad libidinem prouocantis.*
22. *Sequitur enumeratio caſuum, quæ reſeruari poſſunt per Prælatum Religionis.*
28. *Prælatus Religionis præter caſus recenſitos non poteſt alios ſibi reſeruare ſub pœna excommunicationis in ordine ad ſubditos ſuos.*



Eſpondetur, ſequitur quintò, quod (cùm ſummus Pontifex ordinariè nullum peccatum ſibi reſeruet, niſi propter annexam excommunicationem ſibi itidem reſeruatam, ſicuti ex communi tradunt Caiet. *verb. caſus* Nauart. *c. 27. num.* 261. Tol. *lib. 3. c.* 14. Henriq. *lib. 6. c. 14. num. 1.*) ſi Pontifex, vel eius Pœnitentiarius aliquem abſoluit à ſola cenſura Bullæ, vel alia Papæ reſeruata, inferior confeſſarius deinde in conſcientiæ foro eum abſoluere poſſit à peccato illo, cui talis cenſura coniuncta fuerat. 1 2

Confirmatur, quia reſeruatio (vt ſupra dicebatur) ſtrictam habet interpretationem. Atque ita notauit Henriq. *loc. cit.* & Suar. *diſp.* 29. *ſect.* 2. *num.* 7.

Item, propter eamdem rationem, ſi quis ſemel abſolutus eſt à reſeruatis, quamuis inefficaciter, quoad ſalutem animæ (puta quia non contritè) poſſit poſtea iterum confitendo abſolui à ſimplici confeſſore ab illis reſeruatis. Et confirmatur, quia ex quo ſemel beneficium abſolutionis conceſſum, & executioni mandatum eſt legitimè in foro Eccleſiæ, rationabi- 3

le est, vt peccatum non habeatur amplius pro reseruato, vtpote semel cognitum, & indicatum ante tribunal, cui erat reseruatum.

4 Quod nota pro iis, qui nulliter absoluuntur à peccatis reseruatis tempore Iubilæi vel per Bullam cruciatæ. Qua de re Caiet. *verb. casus reseruatus*. Armilla *eodem verb. num* 4. Silu. *verb. confessio. 2. quæst.* 19. *num.* 21, Molfes. *in sum. to.* 1. *tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 25. Nugnus *in addit. ad* 3. *p. to.* 2. *quæst.* 9. *art.* 2. *part.* 2. *dub.* 4. Reginal. *to.* 1. *l.* 8. *cap.* 7. *num.* 99. & Coninch *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 12. *num.* 98.

5 Qui id extendunt etiam ad reseruata oblita, ex eo quia & confitens, & absoluens, semper intendunt in quantum fieri potest, omnem tolli reseruationem.

6 Item si quis commisit peccatum v. g in Bulla cœnæ contentum, sed ob ignorantiam, siue iuris, siue facti, non crassam (vel etiam crassam, quin & affectatam si censura est contra præsumentes: tunc enim requiritur scientia, & dolus, vt præter alios docent Sanch. *lib* 2. *moral. c.* 10. *num.* 38.) à censura Papali excusatus fuit, ab inferiori absolui possit; idque propter eamdem rationem; & sic præter alios notauit Henriq. *loco cit.* & Coninch *disp.* 8. *dub.* 11. *num.* 82.

7 Verùm ex his non inferas peccatum hæresis, cui excommunicatio Papalis annexa est, per se, & immediatè Papæ reseruatum non esse: nam propter enormitatem suam, per se, & immediatè Papæ huiusmodi peccatum reseruatum est; adeò

8 vt si Sacerdos inferior tali potestate carens, bona fide, inuincibili reseruationis ignorantia laborans, directè absoluere attentet nihil efficiat ob iurisdictionis defectum: sicuti notauit Suar *num.* 8. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *num.* 5. Coninch. *num.* 83.

9 Non inferas secundò casus, quos specialiter sibi sub censura reseruat Episcopus, per se, & immediatè Episcopo reseruatos non esse: nam ex decreto Clementis VIII. potest sibi contra Regulares Episcopus casus reseruare: ita vt probabiliter possit is tantum sibi reseruare casus, ratione casus, non autem ratione censuræ, sicuti contra Merollam *to.* 1. *disp.* 1. *c.* 2. *dist.* 4. *num.* 575. docet Megalus 1. *p. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10.

10 Vnde probabiliter in tali opinione, non obstante decreto dicto Clementis VIII. possunt Regulares virtute suorum priuilegiorum absoluere à censuris Episcopo reseruatis. Et ratio est, quia cùm prædictum decretum loquatur tantum de casibus, non videtur habere etiam locum in censuris: tum ob rationem dictam, tum quia *ex l. Papinianus ff. de minor. & C. ad audientiam de decimis*, à diuersis non fit illatio: censura autem non est casus, sed pœna casus, vt rectè notauit Nauarr. *c.* 27. *num.* 262. ergo, &c.

11 Non inferas tertiò, casus quos similiter sibi reseruat Prælatus Religionis, per se, & immediatè ei reseruatos non esse: nam ex alio Clementis VIII. decreto potest is sibi casus reseruare: quamuis in illo decreto præcipiatur, vt præter casus sequentes, qui reseruari possunt (etsi non debeant omnes) alij non reseruentur, sine generalis capituli in toto Ordine, vel prouincialis in prouincia discussione.

Primò, veneficia, incantationes, sortilegia. 12
Secundò, Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa monasterij, seu conuentus fiat.

Tertiò, nocturna, ac furtiua monasterio, seu conuentu egressio, etiam non animo apostandi facta.

Quartò, proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

Quintò, iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

Sextò, procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, post animationem fœtus, etiam effectu non secuto.

Septimò, falsificatio manus, vel sigilli officialium monasterij, aut conuentus.

Octauò, furtum de rebus monasterij, seu conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Ex quibus verbis colligunt aliqui, non posse 13 Prælatum Religionis sibi reseruare furtum de rebus alterius Religiosi, vel secularis commissum. Atque ita contra Coriolanum *tract. de cas. reser. part.* 2. *cas.* 8. *dub.* 5. *num.* 13. docent Petrus Ledesma *in addit. ad sum. to.* 2. *cap.* 4. *dub.* 12. & Ceued. *tract. de paupert. Relig. dub.* 19. *num.* 21.

Non obstat, si dicas, oppositum declarasse Clementem VIII. nam responderi potest, de tali declaratione non constare authenticè.

Neque obstat, si dicas, Prælatum Religionis posse sibi tale furtum reseruare, quatenus est peccatum proprietatis: nam ex Ledesma *in loc. suprà cit.* responderi potest, quod in tali decreto Clementis VIII. sub nomine proprieta- 14 tis veniat tantum largitio alicuius rei magni valoris, quam faceret Religiosus, tanquam Dominus, sine licentia Superioris.

Nonò. lapsus carnis voluntarius, opere con- 15 summatus; qui (*intellige*) proueniat non ex delectationibus morosis internis, sed ex libidinoso aliquo opere externo, vt osculo, aut tactu, &c. nam non improbabiliter (vt videre est apud Molfess. *in sum. to.* 1. *tract.* 7. *cap.* 20. *num.* 104. Coriolan. *de casib. reseru. part.* 2. *cas.* 9. §. 10. *num.* 15. & Homobon. *part.* 3. *c.* 5. *except.* 6.) ad reserua- 16 tionem requiritur non solum externa veneris actio in sua specie consummata, sed etiam externa actio mediorum; ita vt illa veneris actio procuretur, non tantum per interiorem delectationem tanquam causam adæquatam, sed potissimum per opus externum, v g libidinosum osculum, vel tactum, &c. sicut enim non incidit, quamuis peccet, in casum reseruatum is, qui 17 quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitiæ actus personam tangit, dummodo seminis profusionem, aut copulam non exerceat: ita nec incidit, quamuis peccet, in casum 18 reseruatum is, qui sine tactu, osculo, &c. sed solum ob veneream turpitudinem mentalem, pollutionem patitur.

An autem aspectus libidinosus in fæminam, aut marem directus, possit à Religionis Prælato fieri casus reseruatus? Respondeo: si aspectus, quamuis aliqua libidine, quasi inad- 19 uertenter informatus, à pulcritudine personæ visæ proueniat, non est neque mortalis, neque fieri potest casus reseruatus. Ratio, quia huiusmodi aspectus de se leuiter tantum in li-

bidinem prouocat; ſi autem ex tali aſpectu is, qui aſpicit, in grauem tentationem, & inde in pollutionem prolabatur, adhuc probabiliter in caſum reſeruatum non incidit, quamuis ex praua affectione, & intentione ad libidinem prouocaretur, ob affectum corporis externi viſi. Ratio, quia per ſe oculus impudicus non poteſt cenſeri propinquè lapſus carnis opere conſum-
21 matus. At ſi aſpectus eſt corporis fœminæ denudati aut potioris partis ad libidinem prouocantis, & cum pollutione præterea iungitur, videtur eſſe poſſe (etiam ſine præuio oſculo, vel tactu) caſus reſeruatus.

22 Decimò, occiſio, vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.


Vndecimò, malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à ſuperioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad ſuperiores.

Exinde dicendum eſt contra Suarium 3. *par. to.* 4. *diſp.* 27. *ſect.* 3. *num.* 13. Fagundez *præc.* 2. *lib.* 8. *c.* 4. *num.* 5. Coriolan. *de caſ. reſeru. p.* 1. *ſect.* 1 *art.* 6 *num.* 1. Villalob *to.* 1. *tract.* 9. *diſc.* 58. *num.* 5. & Tanburin. *de iure Abbat. to.* 2. *diſp.* 15. *quæſt.* 3. *num.* 1. non poſſe
23 Religionis Prælatum præter dictos caſus alios ſub pœna excommunicationis in ordine ad ſubditos ſuos ſibi reſeruare.

Ratio, quia ex vi prædicti decreti, omnis alterius caſus reſeruatio eſt illi interdicta: ratione autem cenſuræ appoſitæ, alius & alius caſus ſibi fieret reſeruatus; quod eſſet in manifeſtam fraudem dicti decreti; Ergo, &c.

Atque ita docent Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 1. *num.* 15. Molfes. *to.* 1. *tract.* 7. *c.* 10. *num.* 17. Megalius 1. *p. lib.* 1 *c.* 12. *num.* 8. Peirinus *to.* 2. *conſtit.* 10. §. 61. *num.* 10. Sigiſmundus *in tract. de elect. par.* 3. *c.* 4. *dub.* 123. *num.* 9. & ita determinaſſe Sacram Cardinalium Congregationem *die* 7. *Iulij* 1617. teſtatur Alphonſus de Leone *in tract. de offic. & poteſt. Confeſſ. tom.* 2. *recollect.* 11. *num.* 5.

Non obſtat fundamentum Suarij, & aliorum oppoſitum tenentium, ex eo, quia id non ſit reſeruare caſum, ſeu peccatum, ſed tantum cenſuram: nam ad illud reſponſio clarè patet ex dictis.




SECTIO VII.

Si reſeruatur peccatum Sodomiæ, quæ Sodomia intelligatur?

SVMMARIVM.

1. *Reſeruata Sodomia intelligitur de Sodomia ſtrictè ſumpta, & etiam quoad pœnas id locum habet.*
2. *Habens rem cum muliere in vaſe præpoſtero probabiliter non incidit in caſum reſeruatum.*
3. *Confitens peccatum Sodomiæ in opinione aliquorum, ſufficit quod explicet ſe peccatum Sodomiæ commiſiſſe ſiue cum fœmina, ſiue cum mare.*
4. *Clericus propter eamdem rationem ſi cum muliere eodem modo rem habet, probabiliter non incidit in pœnas extrauagantis Pij V.*
5. *Sodomia propriè ſumpta eſt peccatum contra ſexum, & debitum vas, at quando quis præpoſterè cognoſcit mulierem quamuis non ſeruet debitum vas, ſeruat tamen debitum ſexum.*
6. *Bulla recenſita Pij V. non eſt vſu recepta in foro interno, ſed ſolum locum habet in foro externo contra Nauarrum.*
7. *Clericus ſi occultè exercet Sodomiam non contrahit irregularitatem contra nonnullos DD.*
8. *Sodomia licet ratione infamiæ facti, & vt crimen enormiſſimum eſt inducat irregularitatem, cum tamen occultè exerceiur infamiam non inducit, atque adeo nec irregularitatem.*
9. *Amplia, id procedere in omni alio crimine, cui à iure infamia annexa eſt: vt eſt periurium in iudicio, ſimonia, vſura vſurarum, ſacrilegium, duellum, hæreſis, eiuſque fauor, crimen læſæ maieſtatis, hoſtilis perſecutio Cardinalium, & ſimilia.*
10. *Clericus occultè exercens Sodomiam non eſt ipſo iure ſuſpenſus ab executione ordinis, atque adeo ſi poſtea miniſtret, non efficitur irregularis.*
11. *Suſpenſio, vel irregularitas ex nullo crimine quantumuis graui, etiam degradatione digno inducitur in ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus, excepto homicidio, quod etiam occultiſſimum inducit irregularitatem (idemque eſt de violatione cenſuræ.)*
12. *Criminitas enormitas non attenditur quoad incurrendam ſuſpenſionem, vel irregularitatem, quæ nequeunt induci niſi expreſſa in iure.*
13. *Non emittens ſemen intra vas, ſed extrahendo membrum extra vas ſemen effundit, non incidit in caſum Sodomiæ reſeruatum.*
14. *Clericus pariter ſi idem faciat, non incurrit pœnas prædictæ extrauagantis Pij V.*
15. *Lex quando prohibet aliquod delictum intelligitur de delicto conſummato.*
16. *Sodomia non dicitur conſummata ſi ſemen intra vas non emittitur.*
17. *Patiens actum Sodomiticum probabiliter non incidit in caſum Sodomiæ reſeruatum.*
18. *Clericus patiens actum Sodomiticum non incurrit in pœnas prædictæ extrauagantis, non enim patiens videtur eſſe Sodomita, ſed mollis.*
19. *In foro externo maior pœna imponitur agenti quam patienti.*
20. *Opinio contraria dicitur probabilior, & communior.*
21. *Delinquens qui confitetur Sacramentaliter ſatis eſt in foro interno, quod explicet ſe peccatum Sodomiæ commiſiſſe ſiue patiendo, ſiue agendo, illud commiſerit.*



Eſpondetur. Sequitur ſextò, quod ſi reſeruatur peccatum Sodomiæ, non intelligatur niſi Sodomia ſtrictè ſumpta, ſicut ſi pœnæ imponuntur Sodomiæ, non intelligitur, niſi Sodomia ſtrictè ſumpta: ex eo ſcilicet quia pœnæ, vt- 1

pote odiosæ (qualis est etiam ex dictis reseruatio) strictè interpretandæ.

2 Hinc primò, si quis rem habet cum muliere in vase præpostero, probabiliter non incidit in casum reseruatum. Atque ita contra Riccium *in praxi p. 3. resol. 60. num.* 4. Gambaruptam *de cas. reseru. cas.* 2. *num.* 3. Homobonum *p.* 2. *cas.* 2. *sect.* 5. & alios (in quorum opinione,
3 qui confitetur, sufficit, quod explicet, se peccatum Sodomiæ commisisse, siue cum femina, siue cum mare illud commiserit) docent Iac. de Graff. *to.* 2. *lib.* 5. *cons.* 3. Summa corona *p.* 2. *c.* 2. *num.* 16. Floronus *de cas. reseru. p.* 2. *cas.* 7. *num.* 6. Syluius 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. & Bonnacina *tract. de matrim. q.* 4. *punct.* 11 *prop.* 1. *num.* 5.

4 Similiter si clericus propter eamdem rationem cum muliere eodem modo rem habet, probabiliter etiam non incidit in pœnas Extrauag. Pij V (Pontifex contra clericum Sodomiam exercentem, imponit priuationem priuilegij clericalis officij, & beneficij, &c.') Atque ita docent Azor *p.* 3. *lib.* 3. *c.* 19. *q.* 3. Floron. *loc. cit.* §. 1. *num.* 9. Belloch. *p.* 2. *q.* 1 *num.* 219. & Barbosa *in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 31. *c.* 4. *num.* 10. contra Sayrum *de censur. lib.* 7. *c.* 12. *num.* 23. Garsiam *de benefic. to.* 2. *p.* 11. *c.* 10. §. 2. *num.* 207. Quaranta *verb. Sodomia*, Riccium, *vbi supra*, & alios Et ratio
5 est horum vna, & eadem, quia scilicet Sodomia propriè sumpta est peccatum contra sexum, & debitum vas, at quando quis præpostere cognoscit mulierem, quamuis non seruet debitum sexum; Ergo non committit propriè Sodomiam; itaque adeò ex dictis tunc locum non habent reseruatio, & pœnæ Sodomiæ. Et ita docet S. Th 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. Caiet. *ibidem*. Valent. *to.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. Ledesma *p.* 2. *tract.* 27. *c.* 15. *concl.* 1. Henriq. *lib.* 11. *c.* 17. *num.* 6. *in gl. lit. A. & B.* Filliuc. *to.* 1. *tract.* 30. *c.* 8. *num.* 158. Tanner. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 6. *num.* 149. Bonac. *vbi supra & alij.*

6 Aduerte tamen hic primò, contra Nauarrum *c.* 27. *num.* 249. Gambaruptam *de cas. reseru. cas.* 2. *num.* 4. quod hæc Bulla Pij V. non est vsu recepta in foro interno, sed solum locum habet in foro externo. Ita Iac. de Graff. *in decis. p.* 1. *lib.* 2. *c.* 90. *num.* 4. & 5. Auila *de cens. p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Henriq. *lib.* 14. *c.* 5. *num.* 2. Prosper. de August. *in addit. ad summ.* Quaranta *verb. Sodomia* Filliuc. *de cas. reseru. p.* 2. *c.* 7. §. 1. *num.* 8. Greg. Sayr. *lib.* 7. *c.* 12. *num.* 23. & alij.

7 Aduerte secundò, contra S. Antoninum *p.* 3. *tit.* 28. *c.* 6. §. 7. Silu. *verb. irregularitas q.* 14. & Suar. *disp.* 48. *sect.* 1. *num.* 17. quod si clericus occultè exercet Sodomiam, non contra-
8 hit irregularitatem: nam licet Sodomia ratione infamiæ facti irregularitatem inducat, *c. infames* 6. *q.* 1. (est enim crimen enormissimum, vt habetur *in c. adulterij*, 32. *q.* 7. tamen cum occultè exercetur, infamiam non inducit, atque adeò nec irregularitatem, Atque ita tradit *gl. in c. inquisitionis, de accusat.* Abbat. *in c. ex tenore de tempor. ordinat.* Couar. 3. *resol. c.* 3. *num.* 2. Auila *de cens. p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 1. Nauar. *c.* 27. *num.* 248. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. §. 5. Henriq. *lib.* 13. *c.* 36. & *lib.* 14. *c.* 5. *num.* 2. Coninch. *de Sacram. disp.* 18. *dub.* 7. *num.* 56. & habetur expressè *c. vlt. de tempor. ordini.*

Quod & locum habet in omni alio crimine, cui a iure infamia annexa est, vt est periurium 9
in iudicio, simoria, vsuræ vsurarum, Sacrilegium, duellum, hæresis, eiusque fauor, crimen læsæ maiestatis, hostilis persecutio Cardinalium: & similia.

Aduerte tertiò, contra Couar. *in Clem. si furiosus p.* 1. §. 1. *num.* 6. Foller. *in praxi crim. canon. p.* 6. *c.* 37 *num.* 11. Iulium Clarum *in* §. *Sodomia*, *num.* 5. Lambertin. *de iur. patron. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 1. *art.* 18. *num.* 4. Diaz *c.* 88. & alios citatos ab Henriq. *lib.* 5. *c.* 36. *num.* 1. *in gl. lit. M.* & à Petro Ceuedo *in collect. p.* 2. *collect.* 130. *num.* 1. quod si clericus occultè
exercet Sodomiam, nec est iure ipso suspensus 10
ab executione ordinis, atque adeò si postea ministret, irregularis non efficitur Et docet Henriq. vbi supra. & *lib.* 14. *c.* 5. *num.* 1. *lit. F.* Auila *de cens. p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Sayr. *de cens. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 21. Finell. *de cas. reseru. cas.* 9. *num.* 6. & alij multi, quos refert, & sequitur Barbosa *in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 31. *c.* 4. *num.* 5. Garsias. *in tract. de benefi. tom.* 2. *par.* 11. *num.* 15. Et ratio est, quia (vt patet *ex cap. ex tenore, de tempor. ordinat.*) ex
nullo crimine quantumuis graui, etiam de- 11
gradatione digno, inducitur suspensio, vel irregularitas in suceptis, vel suscipiendis ordinibus, excepto homicidio, quod etiam occultissimum inducit irregularitatem (idemque dic de violatione censuræ) & excepto crimine notorio, quod ratione infamiæ (vt supra dicebatur) irregularilatem etiam iuducit. Confirmatur ex *c. fin. eod. tit.* vbi expressè dicitur, quod propter grauissima crimina, vt adulterium, periurium, &c. excepto homicidio, non debet quis post pœnitentiam ab vsu, vel susceptione ordinum impediri, nisi in iudicio comprobata fuerint vel alias notoria extiterint.

Non obstat, quod oppositæ sententiæ aucto- 12
res aiunt, id vtique in casu nostro accidere non quidem ob canones, & iura, quia nulla quidem sunt, quæ inducant talem suspensionem, vel irregularitatem; sed ob enormitatem, & grauitatem criminis: nam respondetur, quod nulla suspensio, vel alia censura, & nulla irregularitas potest induci, nisi in iure expressa sit, *c.* 15. *qui desent. excomm. in* 6. quod in nostro casu non contingit.

Hinc secundò, si quis non emittit semen in- 13
tra vas, sed extrahendo membrum, extra vas semen effundit, non incidit in casum Sodomiæ reseruatum; Atque ita docent Graff. *to.* 1. *lib.* 5. *concl.* 3. *num.* 20. Molfes. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 20. *cas.* 9. *num.* 109. Finel. *de cas. reseru. cas.* 9. *num.* 6. Chapeuilla *c.* 15. *q.* 2. Homob. *de cas. reseru. p.* 2. *c.* 4. *sect.* 5. Bonac. *de matrim. q.* 4. *punct.* 11. *num.* 2.

Similiter nec clericus, si idem facit, incidit 14
in pœnas prædictæ Extrauagantis Atque ita docent Azor. *p* 3. *lib.* 3. *c.* 19. *q.* 4. Rodrig. *p.* 1. *c.* 208. *num.* 2. Ledesma, *to.* 2. *tract.* 27. *c.* 15. *concl.* 4. Zauar. *p.* 2. *precep.* 6. *c.* 9. Filliuc. *to.* 1. *tract.* 17. *c.* 7. *num.* 127. Riccius in praxi *to.* 3. *resol.*

3. *reſol.* 62. *num.* 2. Sayr. *de cenſ. lib.* 7. *c.* 12.
num. 23. Belloch. in praxi *de caſ. reſeru. p.* 2.
caſ. 7. *num.* 8. *&* 9. Et ratio eſt horum eadem,
quæ ſupra dicebatur. Et confirmatur, quia
15 quando lex prohibet aliquod delictum, intel-
ligitur de delicto conſummato. *c. hæc autem,*
diſt. 5. *de pœnit. & l.* 1. *§. hæc verba, ff. quod*
quiſque iur. ſed quando ſemen intra vas non
16 emittitur, non dicitur Sodomia conſummata;
vt ex communi docent Sanchez *de matrim. to.*
3. *lib.* 10. *diſp.* 4. *num.* 13. & Reginald. *tom.*
2. *lib.* 22. *c.* 3. *ſect.* 10. *num.* 49. ergo &c.
17 Hinc tertiò, ſi quis patitur actum Sodomi-
tium, probabiliter nec incidit in caſum Sodo-
miæ reſeruatum. Atque ita contra Finellium
tract. de caſ. reſeruat. caſ. 9. *num.* 5. Bonacinam
tract. de matrim. q. 4. *punct.* 11. *num.* 2. docet
Iac de Graff. *in pract. caſ. reſeru. lib.* 1. *c.* 11. *nu.*
7. 8. *&* 29.
18 Sicut nec clericus, ſi ſimiliter actum Sodo-
miæ patitur incidit in pœnas prædictæ Extra-
uagantis.

Ratio horum eſſe poteſt, quia patiens non
proprie Sodomita eſſe videtur, ſed mollis, iux-
ta illud 1. *Cor.* 6. Neque adulteri, neque mol-
les, neque maſculorum concubitores Regnum
Dei poſſidebunt. Vbi *ſic exponit gl.* quam ſequi-
tur D. Th. 1. 2 *q.* 138. *art.* 1. *ad* 1. & Caiet.
verb. Mollities in fin. vbi ait, quod molles du-
pliciter dicuntur, vel quia patientes ſunt cum
aliis, vel quia peragunt in ſe pollutionem vo-
luntariam.

Confirmatur, quia tam ex diuerſitate vo-
cabuli, quam ex diuerſitate pœnæ, & graui-
tate peccati adeſt magnum diſcrimen inter
agentem, & patientem, vt notauit S. Anto-
19 nin. *p.* 3. *tit.* 17. *c.* 17. *§.* 4. vnde in foro ex-
terno maior pœna imponitur agenti, quàm
patienti.
20 Non nego tamen, quod probabilior, & com-
munior ſit opinio contraria, quam præter Fi-
nellium, & Bonac. in locis ſupra cit. ſequitur
Riccius in praxi *to.* 3. *reſ.* 57. *num.* 7. Floron.
in tract. de caſ reſeru. p. 2. *caſ.* 7. *§.* 1. *num.* 6.
Coriolan. *tract. de caſ.* 9. §. 10. *num.* 30. in quo-
rum opinione delinquens qui confitetur Sacra-
21 mentaliter ſatis eſt in foro interno, quod ex-
plicet ſe peccatum Sodomiæ commiſiſſe,
ſiue patiendo, ſiue agendo, illud commiſe-
rit.






SECTIO VIII.

An, ſi reſeruatur crimen Sodomiæ non contra perpetrantes, ſed contra exercentes, incurrat in caſum Sodomiæ reſeruatum, qui ſemel, bis, aut ter illud committit.

SVMMARIVM.

1. *Sodomia reſeruata contra exercentes non incurrit in caſum reſeruatum qui ſemel, aut bis, vel ter illud commiſit.*
2. *Clericus ſi ſimiliter ſemel, bis, aut ter in illud labitur non incidit in pœnas prædictæ extrauagantis, cum lata ſit non contra Clericos perpetrantes, ſed contra Clericos exercentes.*
3. *Exercere ſignificat actuum continuationem in iure, & frequentiam, non quod bis, aut ter tantum fit.*
4. *Artifex, vel Mercator non dicitur qui ſemel, bis, aut ter mercaturam facit, ſed qui toties illam exercet.*
5. *Mulier, quæ ſemel maleficium, aut ſuperſtitionem commiſit denuncianda non eſt, niſi ſaperet manifeſtè hæreſim, aut ſimplicitas, vel iuſta alia cauſa eam non excuſaret.*



Reſpondetur. Sequitur ſeptimò, 1
quod ſi reſeruetur crimen Sodo-
miæ, non contra illud perpetran-
tes, ſed contra illud exercentes,
non inccurrit in caſum Sodomiæ reſeruatum
qui ſemel, bis, aut ter illud committit. At-
que ita docent Doctores infra citandi.

Sicut nec clericus, ſi, ſimiliter ſemel, bis, aut 2
ter in illud labitur, incidit in pœnas prædi-
ctæ Extrauangantis (vbi de facto Pontifex
pœnas infligit non contra perpetrantes, ſed
contra exercentes crimen Sodomiæ) Atque
ita contra Azeued. *lib.* 8. *recop. leg.* 1. *tit.* 21. *num.* 22. Io. de Vela, *de pœnis delict. c.* 33. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam viol. p.* 2. *q.* 87. *num.* 4. Salzed. *in addit. ad pract. crim.* Diaz *c.* 8. *lit. c.* Cherubin. *in compendio Bullarij conſtit.* 72. *Pij V. ſchol.* 2. docent Abb. *in c.* 1. *num.* 24. *de iudic.* Henriq. *lib.* 14. *c.* 5. *num.* 1. *in gl.* Sayrus, *de cenſ. lib.* 7. *c.* 12. *num.* 23. Zanardus *p.* 2. *præcep.* 9. *c.* 9. Azor. *p.* 3. *lib.* 3. *c.* 19. *num.* 2. Naua. *c.* 27. *num.* 250. Auila *de cenſ. p.* 7. *diſp.* 4. *concl.* 7. Coriolan *p.* 2. *caſ.* 9. *num.* 25. Filliuc. *to.* 1. *tract.* 17. *c.* 7. *num.* 127. Suar. *de cenſ. diſp.* 31. *ſect.* 4. *num.* 21. Genuenſis in praxi *c.* 97. *num.* 1. Riccius in praxi *to.* 3. *reſ.* 58. *num.* 1. Proſper. de Auguſt. *in addit. ad ſummam.* Quaranta *verb. Sodomia, lim.* 4. Portell. *verb. Pœna, num.* 7. Graff. *in dec.*

p. 1. lib. 2. c, 90. num. 11. Rodrig. p. 1. c. 208. num. 2. Floron. p. 2. cas. 2. num. 1. & seqq. & cas. 7. §. 1. num. 9. Belloch. p. 2. q. 1. num 217. Homobon. p. 2. c. 4. sect. 5. Madius c. 22 nu. 9. Campanile rubr. 11. c. 22. num. 11. Finellius cas. 9. num. 6. & alij multi.

3 Ratio horum est, quia (vt supra dicebatur) reseruatio, & pœna ex vno capite, vtpote odiosa, strictam habet interpretationem, & ex alio capite propriè aliquid exercere, in iure non est, nisi frequenti, & continuato vsu ali-
4 quid facere: sicut non dicitur artifex, vel mercator, qui semel, bis, aut ter, mercaturam facit, sed qui toties illam exercet, vt vulgò pro mercatore habeatur.

Vnde Genuens. in praxi c. 18. num. 15. di-
5 xit, non esse denunciandam mulierem, quæ semel maleficium, aut superstitionem commisit, nisi saperet manifestè hæresim, aut simplicitas, vel iusta aliqua alia causa mulierem non excusaret.



SECTIO IX.

An, si reseruatur crimen Sodomiæ, incidat in casum reseruatum, qui actum bestialitatis committit.

SVMMARIVM.

1. *Sodomia reseruata non incidit in casum reseruatum qui actum bestialitatis committit.*
2. *Clericus exercens crimen bestialitatis non incidit in pœnas prædictæ extrauagantis Pij V.*
3. *Reseruatio, & pœna sæpè imponitur in casu minori, quæ non imponitur in casu maiori, propter maiorem frequentiam in minori quam in maiori.*
4. *Moniales professæ cuicumque nubentes, & accipientes illas in vxores excommunicantur.*
5. *Professi etiam ineuntes matrimonium excommunicantur.*
6. *Fœmina sæcularis si matrimonium ineat cum professo non incidit in dictam excommunicationem.*
7. *Confessarius qui sollicitauit adolescentem in confessione non erat olim denunciandus ex eo quod Bullæ olim extabant tantum contra Confessarios sollicitantes fœminas.*
8. *Confessarij sollicitantes mares post Bullam Gregorij XV. denunciandi sunt cum casus prædictus sit expressus.*
9. *Cogentes mulieres ad ingrediendam Religionem excommunicantur, & tamen ad id cogentes mares non censentur excommunicati, quamuis vtrobique sit eadem ratio.*
10. *Religiosus administrans Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi sine licentia Parrochi non incidit in pœnas Clement. 1. de priuileg. quia loquitur solum de administrante Sacramentum Eucharistiæ, matrimonij, & extremæ vnctionis.*
11. *Clement. 1. de decimis puniens Religiosum fraudantem decimas alicuius Ecclesiæ, non extenditur ad Clericum sæcularem idem facientem.*
12. *Gloss. in cap. fin. de off. deleg. lib. 6. restringit pœnam dicti capituli ad solos conseruatores, de quibus illud loquitur.*
13. *Gloss. verb. moderatas in cap. Statutum §. insuper de rescrip. pœnam dicti capituli loquentis de Delegato Papæ, non extendit ad delegatum ordinarij.*
14. *Excommunicatio Gregorij XIII. aduersus ingredientes Monasterium Monialium prætextu licentiarum non extenditur ad ingredientes sine tali prætextu.*
15. *Lex pœnalis non est extendenda de casu ad casum ex identitate, vel maioritate rationis, nec etiam reseruatio, cum in casibus reseruatis vtpotè pœnalibus stricta fieri debeat interpretatio.*



Respondetur. Sequitur octauò, quòd si reseruatur crimen Sodomiæ, non incidit in casum reseruatum, qui actum bestialitatis committit. Ita Doctores infra citandi. 1

Similiter nec clericus incidit in pœnas prædictæ Pij V. Extrauagantis, si exercet crimen bestialitatis. Atque ita contra *Gl. in c. 1. de tempor. ord. verb. Italiæ*, quam glossam singularem vocauit Abb. *in c. nihil, de elect. & in c. fin. de rescrip.* & contra Ledesma *tom. 2. tract. 27. c. 11 reg. to. 2. c. 102. cес. 2.* Rodrig. *to. 1. c. 208. num. 2.* Riccium in praxi *to. 3. res. 59.* Companile *rubr. 11. c. 22. num. 18.* Roland. à Valle *vol. 1. cons. 7. num. 2.* Homob. *p. 2. tract. 11. c. 12.* Narbon. *in 3. p. recop. lib. 4. tit. 1. leg. 20. Gl. 8. num 13.* Prosper de August. *in addit. ad summam.* Quaranta *verb. Sodomia*, & Belloch. *de cas. reseru. p. 2. q. 2. nu. 39.* docent Bannez *2. 2. q. 64. art. 8.* Gartias de benefic. *tom. 2. p. 11. c. 10. §. 2. num. 205.* Barbosa *in collect. to. 2. lib. 5. tit. 31. c. 4. num. 11.* & alij. 2

Ratio horum est, quia reseruatio, & lex pœnalis strictam habet interpretationem, vt supra dicebatur. Quare merito non est extendenda (præsertim in foro interno) de casu ad casum alium, quamuis in isto sit eadem, quinimò maior ratio: nec mirum id esse debet: 3
sæpè enim imponitur reseruatio, & pœna in casu minori, quæ non imponitur in casu maiori, idque ex eo, quia in casu minori est frequentia, quæ non est in casu maiori. Quapropter illum reseruare, & plus punire, expedit magis ad bonum commune; qua de re vide præter Gartiam, & alios in locis supra cit. Henriq. *lib. 7. c. 30. num. 4. in Gl. lit. C.* Sanchez *de matrim. to. 3. lib. 10. disp. 4. num. 3.* Mirandam *tract. de monialib. q. 2. art. 10.* & Castrum *de leg. lib. 6. c. 3. num. 5. & cap. 4. num. 2.* quod autem dixi.

Confirmatur exemplis: nam in Clement. 4
vnica de consanguin. & affin. excommunicantur moniales professæ cuicumque nubentes, &

accipientes illas in vxores: excommunicantur
5 etiam profeſſi ineuntes matrimonium, & tamen (vt notant Doctores ibi, & S. Antonin. *p. 3. tit. 24. c. 34.* Caiet. *verb. excommunicatio, c. 47.* Sanchez *de matrim. to. 2. lib. 7. disp.*
6 *48. num. 2.* ſi qua fœmina ſæcularis iniret matrimonium cum profeſſo, non incideret in dictam excommunicationem, ſolum ex eo, quia textus loquitur de viris nubentibus cum monialibus; licet vtrobique eſt eadem ratio.

7 Secundo, Confeſſarius, qui ſolicitauit adoleſcentem in confeſſione, non erat olim denunciandus, ex eo, quod Pontifices olim in Bullis ſuis loquebantur contra Confeſſariũ ſolicitantem fæminas. Atque ita docent Bariola *in florib. inquis. fol. 227.* Portell. *in addit. ad dubia Regul. verb. ſolicitare fœminas.* Fagundez *tract. 2. lib. 4. c. 3. num. 3.* quamuis nonnulli ſenſerint oppoſitum, quorum ſententia abſque dubio hodie tenenda eſt, ex eo, quia nunc
8 Greg. XV in Bulla ſua decernit, etiam mares ſolicitantes eſſe denunciandos, in illis verbis: Quaſ[illegible] perſonas, quæcunque illæ ſint &c. Atque ita docent communiter Doctores.

9 Tertio in Trid. *ſeſſ. 25. de Regul c. 8.* excommunicantur omnes qui cogunt mulieres ad ingrediendam Religionem; & tamen per hoc non cenſentur excomunicari, qui cogunt mares, quamuis vtrobique ſit eadem ratio, quæ eſt conſulere libertati ingreſſus Religionis. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap 4. num. 3.* & alij.

10 Quartò, Religioſus adminiſtrans Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptiſmi ſine licentia Parochi, non incidit in pœnas *Clemen. 1. de priuileg.* ex eo, quia dicta Clem. loquitur ſolum de adminiſtrante ſacramentũ Euchariſtiæ, Matrimonij, & Extremæ vnctionis: & tamen in alijs Sacramentis Pœnitentiæ, & Baptiſmi militat eadem ratio. *Ita Gl.* & Abbas ibi, & Cappel Tholoſ. *deciſ. 131.*


11 Quinto, Clem. 1. *de decimis*, puniens Religioſum fraudantem decimas alicuius Eccleſiæ, non extenditur ad clericum ſæcularem idem facientem. *Ita Gl. in Clem. cit. 1.*

12 Sexto, *Gloſſa in cap. fin. de off. deleg. lib. 6.* reſtringit pœnam dicti capitis ad ſolos conſeruatores, de quibus illud loquitur; dicens aliter eſſe in delegato ſimilia faciente.

13 Septimo, *Gloſſa verb. Moderatas, in c. ſtatutum §. inſuper, de reſcript.* pœnam dicti capiti loquentis de delegato Papæ, non extendit ad delegatum ordinarij eumdem exceſſum circa expenſas facientem.

14 Octauò, excommunicatio Gregorij XIII. aduerſus ingredientes Monaſterium Monialium, prætextu licentiarum, non extenditur ad ingredientes ſine tali prætextu. Ita Suar. *de cenſur. diſp. 22. ſect. 6. num. 11.* & alij.

15 Ex quibus omnibus apparet, de caſu ad caſum ex identitate, vel maioritate rationis non eſſe extendendam legem pœnalem; nec etiam reſeruationem: cùm in caſibus reſeruatis: vtpotè pœnalibus, ſtrictè etiam fieri debeat interpretatio. Atque ita docent Reginald. *to. 1. c. 11. ſect. 1. num. 127.* Coriol. *de caſib. reſeruat. par. 1. ſect. 1. art. 5. num. 4.* Naldus *verb. caſus, num. 3.* Chapeuilla *de caſib. reſeruat. c. 6. q. 1.* Homobonus, *par. 1. cap. 2.* Bonacina *de matrimon. diſp. 4. punct. 11. num. 5.* contra Graffium *lib. 1. cap. 4. reg. 4. num. 25.* Floron. *de caſib. reſeruat. par. 1. c. 1. num. 30. & 40.* Finell. *cap. 5. num. 3. & caſ. 4. num. 25.*



SECTIO X.

An, pœnæ Bullæ prædictæ Pij V. ſicut & ſimiles pœnæ iuris incurrantur in conſcientia ante Iudicis ſententiam.

SVMMARIVM.

1. *Pœnæ Bullæ prædictæ Pij V. ſicut & ſimiles pœnæ iuris non incurruntur in conſcientia ante iudicis ſententiam,*
2. *Lex pœnalis (quæ non poteſt abſque hominis actione in executionem demandari, etiamſi ipſo iure, vel ipſo facto feratur, vel etiamſi in ipſa dicatur, nulla expectata declaratione) ante iudicis ſententiam non obligat.*
3. *Lex pœnalis ſi ante iudicis ſententiam obligaret, eſſet nimis dura: cogeret enim homines ad ſe ipſos prodendum, & ad exequendum in ſe ipſis pœnas.*
4. *Leges humanæ debent eſſe faciles, tolerabiles, & humanæ fragilitati accommodatæ.*
5. *Reus legitimè etiam interrogatus ſecundum multos DD. probabiliter non tenetur in conſcientia fateri delictum, ſi de pœna graui contra ipſum agatur.*
6. *Nemo incurrit ante iudicis ſententiam pœnas appoſitas in Bulla Sixti V. contra Clericos non deferentes habitum, & pœnas appoſitas in Bulla Clementis VIII. contra Regulares munera largientes.*
7. *Nemo incurrit ante iudicis ſententiam pœnas appoſitas contra non ſeruantes taxam in vendendo, quare licet in conſcientia teneatur reſtituere exceſſum pretij, non tamen in conſcientia tenetur ad pœnam.*
8. *Beneficiarius non tenetur abdicare beneficium, niſi poſt iudicis ſententiam ſi ob delictum priuandus ſit, licet à iure ipſo facto ſit priuatus.*
9. *Limita, niſi in lege dicatur, quod pœna ſtatim in facto conſcientiæ ſubeunda ſit.*
10. *Eccleſiarum Rectores abſque ſolemnitatibus neceſſarijs bona Eccleſiaſtica alienantes, non tenentur abdicare, beneficia ante iudicis ſententiam.*
11. *Religioſi admittentes mulieres intra ſepta Monaſterij non incurrunt pœnas in motu proprio Pij V. appoſitas, niſi poſt iudicis ſententiam.*
12. *Superior incidens propter delictum etiam notorium in caſum priuationis officij ipſo facto, non tenetur ad talem pœnam, donec per ſupe-*

riorem. in illam incidisse declaretur & ideo potest tuta conscientia in officio perseuerare.

13. *Hæretici, & alij quorum bona ipso iure applicantur fisco, non tenentur ante iudicis sententiam dicta bona fisco restituere.*

14. *Is, cui bona ob crimen iustè sunt confiscanda, si fraude, & mendacijs confiscationem impediat, non tenetur fisco ad restitutionem, & cur.*

15. *Auctor respondet ad obiecta, quæ fieri possunt in oppositum, eaque diluit, cum opus illud, quo sententiam quis impedit, non sit contra iustitiam commutatiuam, sed solum contra veritatem, obedientiam, & iustitiam legalem.*

16. *In vita tuenda sicut quisque habet summum ius, ita etiam habet in tuendis bonis, quæ sunt instar vitæ; quapropter illa à iuristis sanguis secundus appellatur.*

17. *Reus in rebus ab ipso per sententiam ablatis, & fisco incorporatis non habet amplius ius, quod si eas surripiat tenetur ad restitutionem.*

18. *Hæreticus, qui fraude, mendacijs, aut falsis testibus se defendit, & impedit sententiam, confiscationemque bonorum non tenetur ad restitutionem.*

19. *Adultera, quæ ipso iure amittit dotem ratione adulterij, non tenetur bona, quæ habet, tradere ante sententiam definitiuam, & vltimam iudicis.*

20. *Maritus si dotem habet, non tenetur eam vxori restituere repetenti, quia potest ei opponere exceptionem adulterij.*

21. *Qui ipso facto incidit in commissum, ob quod bona sunt addicta fisco non tenetur restituere nisi post iudicis sententiam, puta in eo, qui non soluit vectigal, vel importauit, seu asportauit res prohibitas.*

22. *Idem habet etiam locum in milite iustè expilante oppidum in pœnam delicti, nam quisque & fraude, & mendacijs, quin etiam vi potest resistere, in his tamen, & similibus casibus qui se defendit tenetur ad expensas partis aduersæ.*

23. *Testes, qui falso testimonio impediunt sententiam bonorumque confiscationem non tenentur ad restitutionem etiam si non propriam, sed alienam rem defendant.*

24. *Fiscus à falsis testibus contra ipsum examinatis non solet exigere detecta falsitate compensationem alicuius damni: sed satis habet illos puniri tanquam periurios.*

25. *Custodes (cum sit constituta pœna in eos, qui certo loco venantur, lignantur, pascuntur, certas merces exportant, vel important, vectigal non soluunt & c. si dissimulent, aut non accusent, non tenentur ad compensationem pœnæ, quæ prædictis delinquentibus irroganda foret.*

26. *Custodes non tenentur ex iustitia accusare, vt Dominus, vel Respublica pœnis ditetur, sed solum vt damna impediantur, & vectigalia soluantur.*

27. *Leges pœnales, & commissoriæ non sunt factæ vt Respublica ex pœnis locupletetur, sed vt leges seruentur, & subditi officium præstent.*

28. *Procurator fiscalis non accusans; & iudex non condemnans non tenetur ad pœnam compensandam.*

Espondetur negatiuè. Atque ita docent ex communi Sayrus *de cens. lib.* 7. *c.* 12. *num.* 24. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 18. qui citat Graff. Vegam, & Rodrig. Floronus *de cas. reseruat. p.* 2. *cas.* 7. §. 1. *num.* 8. Henriq. *lib.* 14. *c.* 5. *num.* 1. *in Gl. lit. F.* Auila *de cens. p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Zanard. *p.* 2. *præcep.* 6. *c.* 9. Suar. *de cens. disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 22. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 17. *num.* 127. Homobon. *p.* 2. *tract.* 11. *c.* 12. *q.* 26. Azor. *p.* 3. *lib.* 3. *c.* 19. *q.* 5. Bonac. *de matrim. q.* 4. *punct.* 11. *num.* 2. Finell. *cas.* 9. *num.* 6. & alij. 1

Ratio est, quia lex pœnalis (quæ non potest absque hominis actione in executionem demandari, etiamsi ipso iure, vel ipso facto feratur, etiamsi in ipsa dicatur, nulla expectata declaratione) ante iudicis sententiam non obligat, quia consuetudine (quæ est optima legum interpres) receptum est, vt nemo se priuet re ante obtenta, nisi saltem declaratoria criminis sententia à iudice feratur. 2

Adde, quod si talis lex ante iudicis sententiam obligaret, esset nimis dura: cogeret enim homines ad se ipsos prodendum, & ad exequendum in se ipsis pœnas; ad quod nulla lex obligat, saltem de facto (quidquid sit de possibili, qua de re vide Suar. *in loc. infra citando*) quia leges humanæ debent esse faciles, tolerabiles, & humanæ fragilitati accommodatæ. 3 4

Vnde probabiliter deducunt multi Doctores, quod reus etiam legitimè interrogatus, non teneatur in conscientia fateri delictum, si de pœna graui contra ipsum agatur. Vide Couarr. *in* 4. *p.* 2. §. 8. *num* 3. *illat.* 2. Molinam *de iust. te.* 1. *tract* 2. *disp.* 95. *num.* 14. qui citat multos Doctores, & dicit esse communem opinionem inter Theologos, & iuristas. Vide etiam Salas *de legib. disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 38. qui citat pro hac sententia quadraginta tres Doctores. Vide etiam Suar. *de legib. lib.* 5. *c.* 5. *& seq.* Vasq. *in* 1. 2. *to.* 2. *disp.* 168. *num.* 15. Lorcam *in* 1. 2. *to.* 2. *disp.* 24. Less. *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 8. *num.* 63. Molfes. *in sum. to.* 1. *tract.* 9. *c.* 9. *num.* 35. Becan. *in* 1. 2. *tract.* 3. *c.* 2. Villalob. *in summ. tract.* 2. *diffic.* 26. *num.* 2. & Io. de la Crux *p.* 1. *dub.* 3. *de legib.* 5

Ex dictis nemo incurrit ante iudicis sententiam pœnas appositas in Bulla Sixti V. contra clericos non deferentes habitum, & pœnas appositas in Bulla Clementis VIII. contra Regulares munera largientes, ita Molfes. vbi supra. 6

Item nemo incurrit ante iudicis sententiam pœnas appositas contra non seruantes taxam in vendendo: quare venditor taxam excedens, licet in conscientia teneatur restituere excessum pretij, non tamen tenetur in conscientia ad pœnam appositam; nisi prius à iudice ad illam condemnetur. Ita Villalob. *vbi supra num.* 3. 7

Item beneficiarius non tenetur abdicare beneficium, nisi post iudicis sententiam; si scilicet commisit delictum, propter quod ipso facto à iure priuatus est beneficio. 8

Excipe forsan, si in lege dicatur, quod 9

pœna ſtatim in foro conſcientiæ ſubeunda ſit. Ita Surd. *deciſ.* 247. & Azor. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.*7. *quæſt.* 6.

10 Item Eccleſiarum Rectores abſque ſolemnitatibus neceſſarijs bona Eccleſiaſtica alienantes, non tenentur abdicare beneficia propter Extrauag. *Ambitioſæ*, ante iudicis ſententiam. Ita Nauarr. *c.* 27. *num.* 110. & Sanch. *lib.* 2. *moral. c.* 22.

11 Idemque dico de Religioſis, qui admittunt mulieres intra ſepta Monaſterij, contra motum proprium Pij V. Ita Rodriguez *In explicat. dicta Bullæ num.* 32.

12 Item ſuperior incidens propter delictum (etiam notorium) in caſum priuationis officij ipſo facto, non tenetur ad talem pœnam donec per Superiorem in illam incidiſſe, declaretur: quapropter tuta conſcientia poteſt interim in officij adminiſtratione perſeuerare, & ſubditi non poſſunt ab illa illum expellere. Ita Valer. *verb. Pœna diff* 20. *num.* 4.

13 Item hæretici, & alij quorum bona ipſo iure applicantur fiſco non tenentur ante iudicis ſententiam dicta bona fiſco reſtituere. Ita Sanch. *cit. lib* 2. *moral. c.* 20. *num* 7. vbi pro hac ſententia citat triginta tres Doctores, quibus adde Santarellum, *tract. de hæreſi cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 6.

14 Adde, quod & ſi is, cuius bona ob crimen iuſte ſunt confiſcanda, fraude, aut mendacijs confiſcationem impediat, neque tenetur fiſco ad reſtitutionem. Atque ita contra Sotum *lib.* 1. *de iuſt. q.* 6. *art.* 6. Molinam *diſp.* 95. *§. dduo ſunt*, & alios, docent Nauarr. *c.* 18. *num.* 49. Bannez. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. Aragon. Salon. ibidem.

Ratio, quia huiuſmodi occupatio bonorum conſtituta eſt in pœnam criminis, pœna autem non debetur ante ſententiam, ſaltem criminis declaratoriam, vt ſupra dicebatur. Imò & probabiliter non eſt ſoluenda ante ſententiam pœnæ conſtitutiuam, qua ipſa pœna iubeatur ſolui: quapropter, ſententia tali non ſecura; probabiliter non debetur pœna. Vide Caiet. *verb. Pœna.* Salas, *de legib. diſp.* 13. *ſect.* 8. *nu.* 105. Vaſq *in p.* 2. *to.* 20. *diſp.* 168, *cap.*4. *nu.* 30. Granad. *in par.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *par.* 1. *diſp.* 13. *ſect.* 2. *num.* 8. Sà *verb. reſtitutio, num.* 46. *& verb. Pœna, num.* 14.

15 Dices, in tali caſu reſtitutionem non deberi quidem per modum pœnæ, ratione criminis initiò commiſſi: deberi tamen per modum compenſationis damni, ratione doli, quatenus mendacijs quis impediendo ſententiam, impediuit commodum, quod inde erat obuenturum fiſco; ergo, &c.

Reſpondetur, nego antecedens; quia opus illud, quo ſententiam quis impedit, non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, & ſic propriè iniuria, quæ obligat ad reſtitutionem, ſed ſolum contra veritatem, obedientiam, & iuſtitiam legalem, quæ virtutes non obligant ad reſtitutionem: non enim (etiam poſita ſemiplena probatione) tenetur homo lege iuſtitiæ commutatiuæ veritatem fateri, ſed lege obedientiæ, & iuſtitiæ legalis, vel religionis, ſi iurauit. Deinde etiamſi opus illud, quo quis impedit, eſſet iniuria in ordine ad ferendam ſententiam (vt ſi minaretur iudici, ne ſententiam ferat, vel actori, ne cauſam pergat) non eſſet tamen iniuria in ordine ad iſta bona, quatenus fiſcum, vel actorem ab iſtis obtinendis impedit. Ratio, quia ſicut quiſque habet ſummum ius in tuenda vita, ita etiam habet in 16
tuendis bonis, quæ ſunt inſtar vitæ, cùm abſque illis vita ſit inuita: quapropter illa à iuriſtis ſanguis ſecundus appellantur. Vnde ſicut is, qui non ſinit ſibi eripi vitam, alioquin iuſtè propter crimen auferendam, non facit iniuriam reſtitutioni obnoxiam, etiamſi alteri inde magnum commodum erat obuenturum; ita nec facit is, qui non ſinit ſibi eripi bona, iuſtè alioquin ob crimen auferenda; etiamſi ſimiliter alteri inde magnum commodum erat peruenturum; & quamuis faciat is iniuriam reſiſtendo armis, vel minando iudici, tamen hæc iniuria non eſt in illum, cui pœna erat applicanda; quia ille ius non habebat, niſi ſuppoſita iudicis ſententia, imò, & illa ſuppoſita, non habet ius, vt reus ſponte ſua bona ipſi tradat, aut illa non aſportet (cùm ad hæc nondum ſit condemnatus) ſed ſolùm habet ius, vt per miniſtros publicos ea occupet, & auferat: qua occupatione facta, & pacifica eorum poſſeſſione obtenta, reùs non amplius 17
ius habet illa ſurripiendi, cùm iam illorum dominium, & poſſeſſionem amiſerit, quare ſi poſtea auferret, ad reſtitutionem teneretur.

Confirmatur, quia cùm bona ſunt alteri applicanda, reus non minus iuris habet ad ea defendenda, ne ſibi auferantur, quàm cùm nulli ſunt applicanda, ſed igne v. g. vaſtanda (non enim ipſe ob vtilitatem alterius minus eſt liber ad impediendam rerum ſuarum ablationem; nam hæc ipſi æquè grauis eſt, etiam cùm alteri prodeſt) at cùm ſunt vaſtanda, non facit iniuriam reſtitutioni obnoxiam, etiamſi fraude, dolo, aut vi impediat ablationem; ergo neque facit, cum alteri ſunt applicanda.

Confirmatur ſecundò, quia obligatio illa reſtituendi nimis grauis eſſet, nec accommodata fragilitati humanæ: at lex, vt iuſta ſit, debet eſſe hominum moribus, & fragilitati accommodata, vt ſupra dicebatur; & docent communiter Doctores *in c. erit, c. in iſtis d.* 4. Ergo, &c.

Hinc ſequitur primò, hæreticum, qui fraude, mendacijs, aut falſis teſtibus ſe defendit, 18
& impedit ſententiam, confiſcationemque bonorum, non teneri ad reſtitutionem; quia non fecit iniuriam fiſco, vel ſaltem talem, quæ reſtitutioni ſit obnoxia, propter ſummum ius defenſionis ſui ipſius, & rerum ſuarum, quod habet.

Sequitur ſcundò, idem eſſe in adultera, quæ 19
ipſo iure amittit dotem ratione adulterij: non enim tenetur bona, quæ habet, tradere ante ſententiam definitiuam, & vltimam iudicis. Vnde etiamſi falſis probationibus ſe defendat, aut falsò probet, maritum etiam adulterium commiſiſſe, ſicque diuortij ſententiam impediat, non tenetur ad reſtitutionem. Item, ſi à ſententia appellet, etſi iniquè (appellatio enim ſuſpendit ſententiam.) Ita Sanchez *ſupra* vbi pro hac ſententia multos citat. Si tamen ma- 20
ritus dotem habet, non tenetur eam vxori re-

petenti restituere; quia potest ei opponere exceptionem adulterij, vt apertè colligitur, *ex cap. Plerumque, de donation. inter virum, & vxorem.*

21 Sequitur tertiò, idem esse in eo, cuius bona ob non solutum vectigal, vel res prohibitas importatas, vel exportatas, sunt ipso facto commissa, seu addicta fisco. vel alteri: hoc enim cùm fiat in pœnam criminis, requirit sententiam Iudicis. Vnde si sententia impeditur, vel ita agitur, vt crimen certò constare non possit, non tenetur ad restitutionem. Similiter, si fugiat cum rebus suis priusquam occupentur: vectigal tamen, si iustum est. tenetur soluere. Ratio, quia vectigal non est constitutum in pœnam sed in iustam compensationem ratione securitatis, vel gubernationis quam Princeps regendo præstat.

22 Sequitur quartò, idem esse cùm miles iustè oppidum aliquod expilat concessu Principis: fit enim hoc in pœnam delicti, cuius omnes præsumuntur participes. Vnde etiamsi mendacijs, fraudibus, vel etiam vi militem impedias, ne res tuas diripiat, non teneris ad restitutionem.

Aduerte tamen, quod in prædictis casibus, si quod damnum iniustè infertur ab eo, qui res suas tuetur, tenetur ad illius compensationem; vt si falsis testibus se defendit, tenetur ad expensas litis: si resistendo lædit, tenetur ad expensas medicorum

23 Sequitur quintò, idem esse in testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, bonorumque confiscationem, neque enim hi tenentur ad restitutionem. etiamsi non propriam, sed alienam rem defendant. Ratio, quia si principalis auctor, & qui mandat, non tenetur, multò minus tenentur secundarij, & qui illum iuuant: tum quia fiscus, vel actor non habet ius ad bona occupanda, nisi posita sententia ergo si illa non ponatur, non fiet ei ex hac par-
24 te iniuria Confirmatur, quia à tali reste, detecta falsitate, fiscus non solet exigere compensationem alicuius damni, sed satis habet illum puniri tanquam periurium; Ergo non censet sibi factam iniuriam restitutioni obnoxiam.

25 Sequitur sextò, idem esse in custodibus, si (cùm sit constituta pœna in eos, qui certo loco venantur, lignantur, pascuntur, certas merces exportant, vel important, vectigal non soluunt &c.) dissimulant, aut non accusant: non enim propterea isti tenentur ad compensandam pœnam quæ prædictis delinquentibus irroganda foret. Atque ita in terminis contra Sotum *lib.* 1. *q.* 6. *art.* 6. Petrum Nauar. *lib.* 3. *c.* 4. *num.* 142. Salonium *q.* 62. *art.* 7. *controuers.* 5. docent Silu. *verb. restit.* 3. *q.* 5. Nauar. *c.* 25. *num* 34. idem tenuit S. Bernardinus teste Silu. & Nauar. & Ratio est, non solùm, quia pœna non debetur ante sententiam
26 (vt velle videtur Nauar.) sed etiam quia custodes non tenentur ex iustitia accusare, vt Dominus, vel Respublica pœnis ditetur, sed solum vt damna impediantur, & vectigalia soluantur: officium enim illorum non est mulctas procurare, sed vectigalia exigere, & res suæ custodiæ traditas indemnes præstare.

Adde, quod etiam leges pœnales, & commissoriæ non sunt factæ vt Respub. ex pœnis locupletetur, sed vt leges seruentur, & subditi officium præstent. 27

Vnde propter easdem rationes neque procurator fiscalis non accusans, neque Iudex non condemnans in tali casu, tenentur ad pœnæ illius compensationem. 28

Breuiter ergo dico, quod nemo tenetur in conscientia subire pœnam statutam, nisi postquam etiam ad illam fuerit damnatus à Iudice.



SECTIO XI.

An, idem dicendum de omnibus alijs pœnis iuris?

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus, suspensus, interdictus, & irregularis quisque est absque alia iudicis declaratione, si contra latam à canone huiusmodi sententiam operatur.*
2. *Vidua non castè viuens, cum relicta fuerit à marito cum conditione si castè vixerit, si in mala conscientia perseuerat esse Domina, aut vsufructuaria tenetur ad restitutionem, teneturque de consumptis postquam non vixit castè, etiam si nullus iudex, nullusque executor illam ad hoc compellat.*
3. *Maritus si relinquit vxorem Dominam, aut vsufructuariam nisi transierit ad secundas nuptias, siue clam, siue publicè nubat desinat esse Domina, aut vsufructuaria, etiamsi nullus index, & nullus executor inhibeat.*
4. *Excipe etiam prædicta sectione antecedenti non procedere si in lege non solum dicatur sit ipso facto, seu ipso iure priuatus, sed præterea addatur, ita vt teneatur in conscientia dimittere, vel non possit absolui, nisi dimittat; vel beneficium eo ipso vacet, ita vt alteri liberè possit conferri.*
5. *Excipe in pœna conuentionali ex consensu contrahentium apposita in aliquo contractu, quia quod ex pacto debetur, non requirit sententiam iudicis, quamuis contrarium probabiliter doceant aliqui DD.*
6. *Pœna cum sit contra voluntatem, naturalis eius conditio postulare videtur, vt non sit debita solutio ipsius, nisi postquam homo ad illam soluendam per iudicis sententiam compellatur, dummodo ibi non sit consuetudo in contrarium.*
7. *Excipe rursus in inhabilitate ad suffragium seu actiuum, seu passiuum.*
8. *Incidens ob crimen secundum opinionem Suarij in priuationem vocis actiuæ, vel passiuæ, non tenetur priuare seipsum voce actiua, vel passiua, quoties id nequit facere sine vitæ, famæ,*

vel notabilis partis bonorum detrimento, idque etiamſi in lege dicatur quod delinquens incidat in talem pœnam non expectata iudicis ſententia.

9. *Ius ad vitam, famam & c. conſeruandam præponderat iuri humano indicenti priuationem officij, beneficij, vocis actiuæ, vel paſſiuè, tenetur tamen interim diligenter diſpenſationem procurare.*

10. *Sacerdos (qui occultum homicidium commiſit) ſi niſi celebret in ſuſpicionem criminis veniat cum vitæ periculo, vel graui diſpendio famæ, aut bonorum, poteſt poſt peractam pœnitentiam celebrare; quoties ſic fieri neceſſitas poſtulabit ad vitandam infamiam vel quoduis aliud.*

11. *Idem dic de alijs irregularitatibus, & cenſuris.*

12. *Sacerdos in caſu de quo agitur, debet operam dare, vt quam citiſſimè à Papa diſpenſationem ab irregularitate obtineat.*

13. *Epiſcopus diſpenſare poteſt, vt in ſuſceptis ordinibus [illegible] miniſtrare poſſit, ſi ad Papam recurſus facilis non ſit.*

14. *Epiſcopus in caſu de quo agitur non ſimpliciter tollit irregularitatem, ſed ſolum eius effectum ſuſpenſioni ſimilem, vt nimirum interim celebrare ei liceat, dum culpa, & defectus occultus manet.*

15. *Excipe etiam inhabilitate acquirendi redditus beneficij, vel ob neglectum officium canonicum.*

16. *Beneficiatus in caſu, de quo agitur non tenetur reſtituere fructus in totum, ſed pro quadam parte tanquam iniuſtè perceptos erogare tenetur in fabricam Eccleſiæ, aut Eleemoſynas pauperum.*

17. *Canonicus ſi canonicatus groſſam aliquam prius vere, & abſoluè lucrari contingat, antequam officium omittat, nihil debet reſtituere, quia pœna eſt vt non faciat fructus ſuos, non vt fructus iam ſuos factos reſtituat.*

18. *Id procedit etiam in canonico ob intermiſſam reſidentiam, quia pro rata temporis non facit fructus ſuos.*

19. *Pœna prædicta decernitur etiam in Tridentino contra prouiſos de beneficio (Curato, vel Canonicatu, vel dignitate Eccleſiæ Cathedralis, vt niſi intra duos menſes poſt diem poſſeſſionis adeptæ fidei profeſſionem præmiſerint, fructus ſuos non faciant.*

20. *Beneficiatus vt reſtituere teneatur fructus malè perceptos ob non emiſſam inter legitima tempora profeſſionem & c. in ſententia Sanchez opus eſt iudicis ſententia.*

21. *Præſcriptio etiam triennalis non currit ei, qui non emiſit profeſſionem fidei intra legitima tempora.*

22. *Beneficiatus qui ob decreti Concilij Tridentini ignorantiam inculpatam, vel ob inconſiderationem fidei profeſſionem facere intermiſerit; in conſcientiæ foro à dictis pœnis eſt immunis.*

23. *Decretum Concilij Tridentini de fidei profeſſione præmittenda Pius IV. extendit ad Regularium Prælatos, id tamen non in omnibus Religionibus eſt receptum.*

24. *Profeſſio fidei ex motu proprio Pij V. fieri etiam debet per DD. Magiſtros, Regentes, & alios cuiuſcumque artis; aut facultatis profeſſores tum Clericos tum Laicos ſub pœna contra promouentes eos excommunicationis latæ ſententiæ,*

25. *Epiſcopus vel Archiepiſcopus ſi viſitans Eccleſias aliquid accipiat ab eis præter ſumptus, qui neceſſarij ſunt ad victum illis diebus, quibus viſitat, ante iudicis ſententiam tenetur ad eius reſtitutionem intra menſem, & quidem in duplum, etiam ſi libera eis fiat remiſſio à dantibus ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ.*

26. *Inferiores viſitantes ab officio, & beneficio ſunt ſuſpenſi, quouſque grauatis Eccleſijs de duplo huiuſmodi ſatisfactionem præſtent.*

27. *Sumptus neceſſarij ex indultu Bonifacij VIII. recipi poſſunt à viſitatoribus in pecunia, cùm Gregorius X. ſolum eſculenta permitteret.*

28. *Iudex delegatus ſi aliquid receperit à partibus, niſi fortè eſculentum, aut poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus poſſit conſumi, vel procedens extra domicilium accipiat pluſquam moderatas expenſas, vel acceperit à partibus notabiliter pauperibus, tenetur etiam ante iudicis ſententiam ad reſtitutionem non obſtante quauis remiſſione.*

29. *Inquiſitores ſi prætextu officij inquiſitionis pecuniam extorſerint, tenentur ante iudicis ſententiam reſtituere, nullis priuilegijs, pactis, vel remiſſionibus ſuper hoc valituris.*

30. *Canonicus, qui officio non intereſt, non tamen propter neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiæ, ſi diſtributiones quotidianas accipiat, tenetur ante iudicis ſententiam ad earum reſtitutionem, non obſtante quacumque remiſſione.*

31. *Inhabilitas bonorum incertorum acquirendè non expectat iudicis ſententiam cum quæ reſtitui non poſſunt proprijs Dominis, pauperibus erogari debeant ante iudicis ſententiam.*

32. *Pauperum verorum nomine intelliguntur non ſolum mendici, ſed etiam ij, quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt, & etiam quæuis opera pia, non autem intelligitur is, qui ſolum eſt pauper pro loco, & tempore.*

33. *Pauper pro loco eſt qui alibi bona habet, pro tempore qui nouit artem, vel induſtriam, qua facilè ſibi neceſſaria ad ſtatum comparare poteſt, vel aliunde ea proximè expectat.*

34. *Pauper verus, ſi bona incerta habeat poteſt ea ſibi retinere præſertim ſi non interceſſerit eius culpa in re illa acquirenda, & ſi interceſſerit, paupertas vera eſt adhuc ſufficiens ratio cur poſſit illa quomodocumque etiam ſibi applicare.*

Excipe primò in cenſuris, & in irregularitatibus ob crimen, quibus adde canonica matrimonij impedimenta ex crimine contracta nam ex communi ſententia Doctorum excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, & irregularis eſt abſque alia Iudicis declaratione, quiſquis contra latam à canone huiuſmodi ſententiam operatur. Vide Caiet 2. 2. *q.* 61. *art.* 3. Suar. *lib.* 5. *de legib. c.* 8. Nauar. *c.* 23. *num.* 67. Mol. *to.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 96. Rodrig. *to.* 1. *quæſt. Regul. q.* 6. *art.* 16. Sà *verbo Pœna, num.* 1. & 1

Castro *lib.* 2. *de lege pœn.* c. 5. & Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 22. *num.* 20.

2 Excipe secundò in pœnis testamentarijs: nam vidua v. g. non castè viuens, in mala conscientia perseuerat esse Domina, aut vsufructuaria, si talis relicta fuit à marito cum conditione, si castè vixerit Vnde & tenetur de consumptis, postquam non vixit castè etiamsi nullus Iudex, nullus executor illam ad hoc compellat: quod non ideo est, quia pœna testamentaria infligitur sine executore; sed ideo, quia euenit casus, in quo voluntas testatoris sic disposuit; & propterea, sicut reliqua à testatore disposita in alijs casibus, non egent sententia Iudicis, cùm casus illi eueniunt, ita, testatore disponente, quod vxor sua sit Domina, aut vsufructuaria, quandiù castè vixerit, adueniente casu castitatis omissæ, desinit marito succedere in illis bonis sic sibi relictis.

3 Quod patet à pari, quia si maritus relinquit vxorem Dominam, aut vsufructuariam, nisi transierit ad secundas nuptias, certum est apud omnes, quod siue clam siue publice nubat, desinit esse Domina, aut vsufructuaria, etiamsi nullus Iudex, nullus executor inhibeat; Ergo, sic, &c. Et horum omnium vna, & eadem communis est ratio, quia scilicet ventum est ad casum, in quo testator noluit bona sua ad illam transire: & sic per hoc nullum tunc habet ius mulier in illis bonis, quæ, quidquid iuris in illis habebat, sola voluntate testatoris habebat. Vide Doctores *in locis supra citatis.*

4 Excipe tertiò, si in lege non solum dicatur, sit ipso facto, seu ipso iure, priuatus, sed præterea addatur, Ita vt teneatur in conscientia dimittere, non possit absolui, nisi dimittat; vel Beneficium eo ipso vacet, ita vt alteri liberè possit conferri, vt in casu *cap. dudum* 2. *de elect.* cum quis accipit beneficium secundum incompatibile, vel denique si aliquo alio modo appareat, mentem legislatoris fuisse, vt vellet reum pœnam subire ante sententiam Iudicis Vide S. Th. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. Caiet. *ibi.* Adrian. *quodlib.* 6. *art.* 1. Sot. *lib.* 1. *de iust. q.* 6. *art.* 6. Couar. *de matrim. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 9. & 13. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 15. *num.* 3. & Malder. *in p.* 2. *q.* 96. *art.* 4. *membr.* 4.

5 Excipe quartò, ex Molina *to.* 2. *tract.* 2. *disp.* 317. *num.* 3. Reginaldo *to.* 2. *lib.* 25. *c.* 12. *num.* 228. Rebell. *p.* 2. *lib.* 8. *q.* 9. *num.* 6. in pœna conuentionali ex consensu contrahentium opposita in aliquo contractu. Ratio, quia quod ex pacto debetur, non requirit sententiam iudicis.

Quamuis contrarium (nempe quod nulla pœna, non solum legalis, & iudicialis, sed etiam conuentionalis, non sit necessario soluenda in foro conscientiæ, antequam debitor illius per sententiam Iudicis ad eam soluendam cogatur) probabiliter doceant Adrian. *quodlib.* 6. *art.* 1. *concl.* 2. *illatione* 3. Lopez *lib.* 1. *de contract. c.* 31. & *lib.* 2. *c.* 34. Victoria vt refert Lopez Nauar. *c.* 23. *num.* 68. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 37. Vasq. 1. 2. *to.* 2. *disp.* 173. *c.* 1. *num.* 2. & 3. Et ratio esse potest, quia huiusmodi videtur esse mens contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud exprimatur: ideo enim apponunt pœnam, vt cogant contrahentem ad seruandam fidem. & vt ius habeant compellendi eum ad pœnæ solutionem, si fortè non seruauerit fidem.

Adde, quod cum pœna sit contra voluntatem, naturalis eius conditio postulare videtur, 6
vt non sit debita solutio ipsius, nisi postquam homo ad illam soluendam iudicis sententia compellatur; quod tamen intelligo, dummodo non sit (vbi de tali pœna soluenda agitur) consuetudo in contrarium.

Excipe quintò. in inhabilitate ad suffragium 7
seu actiuum, seu passiuum. Ita Suarez *lib.* 5. *de legib. c.* 9.

Quamuis Sotus *lib* 1. *de iust. q.* 6. *art.* 6. *ad* 4. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 30. *num.* 2. Mol. *to.* 1. *tract.* 2. *disp.* 96. negent, inhabilitatem ad ferendnm suffragium ipso facto ob crimen impositam, incurri ante Iudicis sententiam.

Aduerte tamen hîc, quod stando in opinione 8
Suarij is qui incidit ob crimen in priuationem vocis actiuæ, vel passiuæ, non tenetur priuare seipsum voce actiua, vel passiua, quoties id nequit facere sine vitæ, famæ, vel notabilis partis bonorum detrimento; idque etiamsi in lege dicatur, quod delinquens incidit in talem pœnam, non expectata Iudicis sententia. De qua re vide præter alios Banac. *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *num.* 10. Ratio est, quia ius ad 9
vitam, famam &c. conseruandam, præponderat iuri humano indicenti priuationem officij, vocis actiuæ; vel passiuæ, &c. tenetur tamen interim diligenter dispensarionem procurare.

Vnde similiter, si sacerdos (qui occultum 10
homicidium commisit) nisi celebret, in suspicionem sceleris venit, cum vitæ periculo, vel graui dispendio famæ, aut bonorum; potest post peractam pœnitentiam celebrare; quoties sic fieri, necessitas postulabit, ad vitandam infamiam, vel quoduis aliud notabile periculum in ijs, quæ supra dicebantur. Atque ita docet Nauar. *c.* 27. *num.* 239. Castro *lib.* 2. *de lege pœn. c.* 15. Gutierez *lib* 1. *can.* 99. *cap.* 13. *num.* 21. Mol. *tract.* 3. *disp.* 39. Et ratio est, quia lex naturalis (vt dicebatur) de defendenda propria fama, &c. præstat legi humanæ de abstinendo à sacro in irregularitate.

Eademque est ratio, de alijs irregularitati- 11
bus, & censuris, vt excommunicatione, suspensione, &c. licet contrarium doceat Couar. *c. alma p.* 1. § 2. *num.* 11.

Interim tamen debet operam dare, vt quàm 12
citissimè à Papa dispensationem super irregularitate obtineat: quod si ad Papam recursus 13
facilis non sit, Epipiscopus dispensare potest. Vt in susceptis ordinibus criminosus ministrare possit, teste Silu. *verb. dispensatio, num.* 15. Henriq. *c.* 19. *num.* 1. & 2. Auila *par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 3. *concl.* 5. Etsi tunc Episcopus 14
non simpliciter tollit irregularitatem, sed solum eius effectum, suspensioni similem; vt nimirum interim celebrare ei liceat, dum culpa, & defectus occultus manet, & à Papa dispensatio obtinetur.

Excipe sextò, in inhabilitate acquirendi red- 15
ditus benefici, vel ob neglectum officium Ca-

[illegible]m, iuxta verba Conc. Lateranenſis ſub Leone X. quæ talia ſunt: Beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos (quamuis Henriq. *lib.* 13. *c.* 13. *num.* 2. & Leſſius *lib.* 2. *c.* 34. *num.* 7 moderationem quandam adhibeant; quod
16 ſcilicet beneficiatus in dicto caſu non teneatur reſtituere fructus in totum, ſed pro quadam parte de qua moderatione vide eos in locis cit. (& iterum: Tanquam iniuſtè perceptos erogare teneatur; in fabricam ſcilicet Eccleſiæ, aut eleemoſynas pauperum (quamuis Io. Salas *de legib. diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 27. contra Vaſq. *in* 1. [illegible] *tom.* 2. *diſp.* 168. *nu.* 34. *&* 35
17 & alios, putet quod ſi contingat Canonicum canonicatus groſſam aliquam prius verè & abſolutè lucrari, antequam officium omittat; nihil eius debeat reſtituere quia pœna non eſt, vt fructus iam ſuos factos reſtituat,
18 ſed vt non faciat fructus ſuos & ſic iniuſtè perceptos illos reſtituat vel ob intermiſſam reſidentiam, iuxta verba Trident. *ſect.* 24. *c.* 1. *de reform.* quæ talia ſunt: Eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere non poſſe.
19 Quæ pœna etiam decernitur in Trid. *ſect.* 24. *c.* 12 *de reform.* contra prouiſos de beneficio curato, vel canonicatu, vel dignitate Eccleſiæ Cathedralis, vt niſi intra duos menſes poſt diem poſſeſſionis adeptæ, fidei profeſſionem edant, fructus ſuos non faciant. Atque ita docet Azor. *to.* 2 *lib.* 7. *c.* 2. *q.* 1.
20 Quamuis Sanch, *lib.* 2. *moral. c.* 5. *num.* 11. putet opus eſſe ad hoc Iudicis ſententiam & condemnationem, qua beneficiatus ita perceptos fructus reſtituere cogatur.
21 Vbi etiam Tridentinum contra iſtos prouiſos ſtatuit, vt poſſeſſio beneficii interim eis non ſuffragatur, puta ad præſcribendum ſpatio triennij; ſicut explicat Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 5. *num.* 11. *&* 12
22 Si quis tamen ob decreti huiuſmodi inculpa[illegible], vel in conſiderationem, fidei [illegible] facere intermiſerit, in conſcien[illegible] pœnis eſt immunis, cùm pœna locum non habeat, vbi culpa non eſt: in foro externo tamen excuſatio iuris adeò clari, non admittitur. Atque ita docet Nauar. *lib.* 1. *conſ.* 2. *&.* 3. *de ſum Trinit. edit.* 1. *& lib.* 2. *conſ.* 11. *&* 12. *de iureiur. edit.* 2. Sanchez *num.* 13. Azor. *to.* 1. *lib.* 7. *c.* 2. *q.* 2. & Rodrig, *to.* 2. *quæſt. regular. q.* 72. *art.* 3. *& to.* 1. *ſum. c.* 119. *concl.* 2.
23 Porrò decretum hoc Tridentini Pius IV. in conſtitutione quæ incipit *Iniuſtum*, apud Nauar. *conſ.* 10. *de iureiur. edit.* 2. extendit ad Regularium Prælatos, illa tamen non in omnibus Religionibus recepta eſt, vt rectè monuit Sanchez *cit. c* 5. *num.* 4.
24 Inſuper Pius V. in motu proprio, qui incipit, *in Sacroſancta* apud Rodrig *cit. q.* 72. *art.* decreuit, vt eamdem fidei profeſſionem facere teneantur Doctores, Magiſtri, Regentes, & alij cuiuſcunque artis aut facultatis profeſſores, tum clerici, tum laici, Vbi etiam continetur excommunicatio latæ ſententiæ, & priuatio omnium beneficiorum in eos, qui aliquem ad eiuſmodi gradum, vel cathedram promouent ſine præuia fidei profeſſione.

Item ſimilis pœna etiam decernitur in quatuor caſibus ſequentibus. 25

Primò, ſi Epiſcopus, vel Archiepiſcopus viſitans eccleſias, aliquid accipiat ab eis præter ſumptus, qui neceſſarij ſunt ad victum illis diebus, quibus viſitat: tunc enim ante iudicis ſententiam tenetur ad eius reſtitutionem intra menſem, & quidem in duplum, etiamſi libera eis fiat remiſſio à dantibus: quod ſi intra menſem duplum non reſtituerint Epiſcopo, & Archiepiſcopo interdictus eſt ingeſſus Eccleſiæ: inferiores autem ab officio & beneficio 26 ſunt ſuſpenſi, quouſque grauatis Eccleſijs de duplo huiuſmodi ſatisfactionem præſtent. Ita habetur *in c. Exigit. de cenſibus, & exactionibus,* quod eſt Gregorij X in Conc. Lugdunenſi, *& cap. ſequenti* (quod eſt Bonifacij VIII.) quo moderatur aliquantulù caput præcedens, quia permittit vt ſumptus neceſſarios recipiant in pecunia, 27 cum Gregorius ſolum eſculenta permitteret.

Secundò, ſi Iudex delegatus aliquid receperit à partibus niſi fortè eſculentum, aut poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus poſſit conſumi; vel ſi, dum cogitur extra domicilium ire, acceperit plus quam moderatas expenſas: vel denique, ſi quid acceperit, quando partes ſunt notabiliter pauperes: tenetur enim tunc etiam ante Iudicis ſententiam ad reſtitutionem, & non obſtante quauis remiſſione, vt patet *ex c. ſtatum. §. Inſuper, iuncto §. ſi quid, de reſcriptis in 6.* 28

Tertiò, ſi inquiſitores prætextu officij inquiſitionis pecuniam extorſerint: tunc enim tenentur etiam ante ſententiam Iudicis reſtituere, & nullis priuilegijs, pactis, vel remiſſionibus ſuper hoc valituris, vt patet *ex Clement. nolentes, de hæret. in 6.* 29

Quartò, ſi canonicus; qui officio non intereſt (non tamen propter neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiæ) diſtributiones accipiat: tenetur enim tunc etiam ante Iudicis ſententiam ad reſtitutionem earum nec prodeſt ei remiſſio cæterorum, quibus illæ accreſcunt; vt patet *ex cit. c* 12. *de reform.* 30

Excipe ſeptimò, in inhabilitate acquirendi dominium bonornm incertorum, quæ ex furto, rapina, vel vſura poſſidentur, & proprijs Dominis reſtitui non poſſunt: ea enim tunc veris pauperibus erogari debent ante iudicis ſententiam, iuxta *c. cum tu, de vſuris.* 31

Nomine autem verorum pauperum intelliguntur, non ſolum mendici, ſed etiam ij, quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt: & etiam quæuis opera pia, vt inter alios docet Nauarr. *c.* 17. *num.* 93. 32

Non autem intelligitur is, qui ſolum eſt pauper pro locò, aut tempore: hic enim tenebitur poſtea ex communi Doctorum opinione veris pauperibus reſtituere: nam ex ordinatione Eccleſiæ, & conſuetudine piorum, veris pauperibus ſunt huiuſmodi diſtribuenda.

Pro loco autem pauper eſt, qui alibi bona habet. Pro tempore, qui nouit artem, vel induſtriam, qua facilè ſibi neceſſaria ad ſtatum comparare poteſt, vel aliundè ea proximè expectat. 33

Vbi aduerte, quod ſi is, qui hæc bona in- 34

certa habet, verè pauper est, poterit ea, tanquā vnus è numero verorū pauperum sibi retinere, vt docet Scotus, *d. 15. q. 3.* Caiet. *2. 2. q. 62. art. 5.* & alij. Et ratio est, quia non debet is esse peioris conditionis, quàm alij pauperes, præsertim si non intercessit eius culpa in re illa acquirēda, quod si culpa intercessit, mereretur quidem ea priuari, paupertas vera tamen est adhuc sufficiens ratio, cur possit sibi per confessarium, vel etiam (vt docet Sylu. *verb. restitutio*, 8. *q.* 5. Med. *q.* 3. *causa* 10.) propria sua auctoritate illam sibi applicare: non enim est necesse, vt detur pauperiori, vel sanctiori (quamuis id expediat) sed satis est, vt detur vero pauperi, nomine paupertatis.

SECTIO XII.

An, vacet ante Iudicis sententiam beneficium, vel Officium, saltem, quando dicitur in lege: Sit priuatus ipso facto absque alia declaratione.

SVMMARIVM.


1. *Beneficium, vel officium non vacat ante iudicis sententiam declaratoriam saltem criminis, etiamsi dicatur in lege, sit priuatus ipso facto absque alia declaratione, secundum recentiores.*
2. *Clausula (absque alia declaratione) intelligenda est de declaratione, qua declaretur crimen esse commißum, quæ expositio licet aliquantulum violenta videatur, tamen ab ipso vsu confirmatur.*
3. *Vsus habet vt nisi executio fiat per sententiam (ita vt per eam non solum declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur beneficio, vel officio) non censeatur omnino priuatus.*
4. *Leges, quæ statuunt, beneficium ipso iure vacet, non sunt receptæ in illo rigore, vt sponte teneatur reus se beneficio spoliare.*

1 Espondetur dubium esse inter Doctores.

Couarr. tamen *de matrim. p. 2. c. 6.* §. 8. Sot. *lib. 1. de Iust. q. 6. art. 6.* & Henriq. *de excommun. cap.* 56. multique alij recentiores tenent, non vacare, sed requiri sententiam declaratoriam, saltem criminis: illam autem 2 clausulam: *Absque alia declaratione*, intelligendam esse de declaratione, qua declaretur, pœnam esse incursam, non autem, qua declaretur, crimen esse commissum.

Quæ expositio, etsi violenta aliquantulum videatur esse, tamen vsus ipse eam confirmat: ita enim vsu receptæ sunt huiusmodi leges, vt ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare: imò vsus habet, vt nisi 3 executio fiat per sententiam (ita vt per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur beneficio, vel officio) non censeatur omnino priuatus. Atque ita docet Couar. supra.

4 Vnde nec leges, quæ statuunt, vt beneficium ipso iure vacet, (*vt in extrauag. ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.*) sunt receptæ in illo rigore, vt sponte teneatur reus se beneficio spoliare, vti supra dicebatur.



SECTIO XIII.

Quam vim habeant huiusmodi constitutiones, quibus aliquis ipso iure priuatur officio, vel beneficio, siue propter crimen siue propter adeptionem alterius incompatibilis?

SVMMARIVM.

1. *Beneficiatus si incidat in commissum propter quod ipso iure est priuatus, vel obtineat aliquod aliud beneficium incompatibile statim amittit titulum ipsum, ita vt non sit amplius Dominus beneficij, retinet tamen possessionem, qua priuari non potest nisi causa cognita.*
2. *Titulus est ius illud, quod quis accepit per collationem, quo alius non poterat inuitus priuari, & quo amisso adhuc retinet poßessionem beneficij, & totius iurisdictionis, quam ante habebat.*
3. *Bona quando ipso iure confiscantur, vt ob crimen hæresis, vel ob crimen læsæ maiestatis, vel propter incertas nuptias, vel propter illicitarum rerum transuectionem statim amittuntur, & eorum proprietas fisco acquiritur, permittitur tamen possessio, & vsus donec post sententiam auferatur.*
4. *Executio retrotrahitur ad tempus commissi criminis: nam ex illo tempore dominium, seu proprietas in fiscum translata est, & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipsum spectant si extant, vel inde poßessor ditior factus est.*
5. *Sententia casu quo feratur in defunctum in his grauissimis delictis adhuc iuris fictione retrotrahitur ad diem commissi delicti, fitque executio confiscationis perinde ac si tunc sententia lata fuißet.*
6. *Fiscus bonæ fidei poßeßori v. g. emptori, in quem post commißum crimen à defuncto res alienata fuerat, pretium restituere tenetur, si extet, vel quatenus inde defunctus, cui fiscus succedit ditior factus fuit.*
7. *Donatio accipi potest à donatario sciente donantem incurrisse ipso iure ob commißum cri-*

men confiſcationis pœnam, ita vt non ſit obligatus fiſco bona reddere.

8. *Lex licet ante omnem ſententiam in grauioribus criminibus hic enumeratis infamiam infligat ipſe facto, non tamen id procedit quamdiu factum eſt occultum.*

9. *Infamia legalis valet ad duo, primo vt publicato delicto auctor vbique tractari poſſit tanquam iure infamis, ſecundo vt ſecuta ſententia declaratoria, retrahatur infamia ad tempus delicti commiſſi, & ab eo tempore cenſeatur inhabilis ad officia, & beneficia, tanquam iure infamis.*

10 *Inhabilitas in conſcientia probabile eſt vt contrahatur ſtatim commiſſo crimine, non tamen valet dicta infamia legalis adhoc vt quamdiu manet res occulta, poſſit illa propalari.*

11. *Sola neceſſitas impediendi maioris mali, & publicitas aut iuris, aut facti tribuit hanc licentiam vt crimen propalari poſſit (non ſolum vbi illud eſt publicum, ſed etiam vbi illud eſt occultum) ſine læſione iuſtitiæ, & forſan etiam ſine læſione charitatis grauis, ſaltem ſi fama communis eo illud erat peruectura.*

12. *Sententia iudicis à iure officio ſuo priuati non eſt irrita, neque iudicium ab eo eſt vſurpatum, cum reuera adhuc iuriſdictionem ſuam retineat, neque ab ea ſit ſuſpenſus.*

1 RESpondetur, vim habere, & efficere (ſicuti ſuprà dicebam) vt is ſtatim amittat titulum ipſum, ita vt non ſit amplius Dominus beneficij, retinet tamen poſſeſſionem, qua priuari non poteſt, niſi cauſa cognita, vti docet *Gloſſ. c. licet Episcopus*, 28. *de prabendis in 6.*

Et quamuis illud caput ſolum loquatur in caſu adeptionis beneficij incompatibilis, tamen Gl. & Doctores, quos ibi citat, volunt eſſe eamdem rationem in cæteris, vbi quis ipſo iure priuatur; id enim ad publicam tranquillitatem eſt valde expediens.

2 Titulus autem eſt ius illud, quod accepit per collationem, quo aliàs non poterat inuitus priuari; & quo amiſſo, adhuc retinet poſſeſſionem beneficij, & totius iuriſdictionis, quam ante habebat.

Et quidem ſi, iure permittente, illam retinet, ita vt ius non obliget ipſum ad illam deſerendam, dicitur poſſeſſio iuris: ſi verò ius reſiſtat illi poſſeſſioni, obſtringens eum ad illam deſerendam, dicitur poſſeſſio facti.

3 Similiter ſecundò, quando bona ipſo iure confiſcantur (vt ob crimen hæreſis, iuxta *c. cùm ſecundum leges, de hæreticis in 6.* vel ob crimen læſæ maieſtatis, *iuxta leg. 5. & vlt. C. ad l. Iuliam maieſtatis*, vel propter inceſtas nuptias, *c. de inceſtis nuptijs*: vel propter illicitarum rerum tranſuectionem, vt in *dicto cap.* & aliis iuribus habetur) in his, & ſimilibus caſibus ſtatim amittitur ipſarum rerum (quæ confiſcantur, vel in commiſſum cadunt) proprietas, & fiſco illa acquiritur; vt expreſsè in *dicto cap.* habetur; permittitur tamen poſſeſſio, & vſus, donec, ſecuta ſententia declaratoria, poſſeſſio quoque auferatur.

Hinc fit, vt executio retrotrahatur ad tempus 4
commiſſi criminis: nam ex illo tempore dominium, ſeu proprietas in fiſcum tranſlata eſt; & conſequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipſum ſpectant, ſi extant, vel inde poſſeſſor ditior factus eſt.

Quæ eſt communior ſententia, Caiet, 2. 2. *q. 61. art. 3. & in ſum. verb. Pœna.* Soti *de iuſt. lib. 2. q. 6. art. 6.* Couar. *in 4. decret. p. 2. c. 6.* Azor. *to. 1. lib. 5. c. 7. q. 1.* Cordubæ *lib. 1. quæſtionarij, q. 36.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 22.* Victor. *relect. de indis, num. 8.* Medinæ *C. de eleemoſyna, q. 4.* Silu. *verb. Hæreſis. 1. q. 6. & 8.* Nou. *c. 28. num. 66.* Simancæ *de Cathol. inſtit. tit. 9. num. 17.* Gomez *3. reſol. c. vlt.* Vaſq *diſp. 170. c. 3.* Bannez *2. 2. q. 12 art. 2.* Suar. *lib. 5. de leg. c. 5. num. 9.* Mol. *tract. 2. diſp. 95.* contra Abbatem *in c. 1. de conſtit. & in c. dilecti. de arbitris*; Caſtr. *lib. 2. de lege pœnali, c. 10. & 11.*

Quapropter in his grauiſſimis delictis, in 5
caſu, quo ſententia feratur in defunctum, iuxta *l. vlt. C. ad l. Iuliam Maieſt. & c. 2. de præſcript. in iunct. Gl. verb. Hæretici*, Abb. *in c. vlt. de hæret in fin.* Couar. vbi ſupra, §. 8. *num.* 7. adhuc iuris fictione retrotrahitur ad diem commiſſi delicti fitque executio confiſcationis, perinde ac ſi tunc ſententia lata fuiſſet.

Aduerte tamen hic, quod fiſcus bonæ fidei 6
poſſeſſori, v. g. emptori in quem poſt commiſſum crimen a defuncto res alienata fuerat, pretium reſtituere tenetur, ſi extet; vel quatenus inde defunctus, cui fiſcus ſuccedit, ditior factus fuit ſicuti ex communi docent Simanca *de Cathol. inſtit. tit. 9. num. 29. & ſeqq.* Gomez *3. reſol. c. 2. num. 2.* Vaſq. *diſp. 172. c. 2. num. 7.* Sanch. *cit. c. 22. num. 68.*

Vide etiam Nauar. *lib. 3. conſil. 8. num. 3. de donat.* vbi ſubdit, quod quamuis aliquis
ſciens pœnam confiſcationis ipſo iure ob com- 7
miſſum crimen incurſam eſſe, donationem à criminoſo accipiat, non ſit obligatus fiſco bona reddere, niſi à Iudice illa repetantur. vide etiam Vaſq. *diſp. 17?. c. 3.*

Similiter tertiò, ſi quis crimen commiſit, 8
ob quod lex ipſo facto ante omnem ſententiam infamiam infligit, iubens auctorem ipſo facto eſſe infamem (de quo multa habentur *ff. de his; qui notantur infamia*) vt ſi quis contrahat ſimul cum duabus, vel ſimul habeat duas ſponſas, vel deprehendatur in adulterio, vel exerceat improbum fœnus exigens vſuras vſurarum, vel lenocinium exerceat, vel filias, vel neptes proſtituat, vel quæſtus cauſa ludibrium ſui faciat, &c. Quamuis in his caſibus videretur dicendum, quod talis abſque iniuria infamari poſſit, cùm per legem iure famæ ſit priuatus: dicendum tamen eſt ex dictis, non poſſe, quamdiu factum eſt occultum.

Ratio eadem, quæ ſupra dicebatur; quia ſcilicet ante Iudicis ſententiam retinet famæ iuſtam poſſeſſionem: quapropter abſque iniuria priuari illa non poteſt.

Sicut, cùm lex infligit hæretico, vel inceſtas nuptias contrahenti, &c. amiſſionem bonorum ipſo facto incurrendam: & ſi ille dominium amiſerit non tamen (vt ſupra dicebatur) ijs poteſt ſtatim ſpoliari, quia retinet iu-

ſtám poſſeſſionem vſque ad ſententiam declaratoriam criminis, imò vſque ad iuridicam ſententiæ executionem.

Valet tamen (vt ex dictis colligitur) huiuſmodi infamia legalis ad duo.

9 Primò; vt ſtatim, ac delictum fuerit publicum, poſſit eius auctor vbique repelli, & tractari tanquam iure infamis.

Secundò, vt ſecuta ſententia declaratoria, retrotrahatur infamia ad tempus delicti commiſſi, & ab eo tempore cenſeatur inhabilis ad officia, & beneficia, tanquam iure infamis.


10 Imò & probabile eſt (vt ſupra etiam dicebatur) ſtatim commiſſo crimine hanc inhabilitatem in conſcientia contrahi.

Non tamen valet dicta infamia legalis ad hoc, vt quamdiu manet res occulta, poſſis il-
11 lam propalare: ſola enim neceſſitas impediendi maioris mali, & publicitas aut iuris (vt per iuridicam ſententiam, vel per confeſſionem rei in iudicio, vel per legitimam teſtium depoſitionem) aut publicitas facti tribuit hanc licentiam, vt crimen propalari, poſſit (non ſolum vbi illud eſt publicum, ſed etiam, vbi illud eſt occultum) ſine læſione iuſtitiæ, & forſan etiam ſine læſione charitatis graui, ſaltem ſi fama communis eò illud erat peruentura. Vide Caiet. *opuſc.* 31. *Reſp.* 9. Nauar. *c.* 18 *num.* 26. & Leſſ. *de iuſt. & iure lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 13.

12 Ex his ſequitur ſententiam, & alia acta Iudicis à iure officio ſuo priuati, non eſſe irrita, neque iudicium ab eo eſſe vſurpatum, cùm reuerà adhuc iuriſdictionem ſuam retineat, neque ab ea ſit ſuſpenſus: etſi enim ius illud prius, quo illam iuriſdictionem obtinebat, amiſerit, habet tamen adhuc ius poſſidendi & vtendi eadem, donec per ſententiam auferatur.

Confirmatur, quia cum crimen ſit occultum, vel certè non conſtet, eum per legem eſſe priuatum, ſi acta eſſent irrita, idem Reipub. obueniret incommodum, quod obueniret, ſi acta eius, qui eſt occultè excommunicatus, irrita eſſent; at in poſteriori caſu non ſunt irrita, ergo nec in priori.





DVBITATIO XXII.

An, in dubio, vtrum quis ſit legitimus, vel illegitimus, cenſendus, ſit legitimus?

SECTIO I.

Dubitationis reſolutio.

SVMMARIVM.

1. *Legitimus quis cenſendus eſt in dubio an ſit legitimus, vel illegitimus.*
2. *Naturalis quis cenſendus eſt in dubio an ſit ſpurius; vel naturalis, quia in dubio præſumi debet quod honeſtus eſt.*
3. *Nemo damnandus eſt ob culpam dubiam, pœna enim certa ſoli peccato certo adhibenda eſt.*
4. *Illegitimus ſecundum aliquos quis cenſendus eſt in dubio præfato, quia matrimonium non præſumitur niſi probetur.*
5. *Legitimus in dubio, de quo agitur quis cenſetur in caſu quo filius ſit reus, & poſſeſſor, & non poſſideat contra iuris præſumptionem.*
6. *Illegitimus in dubio, de quo agitur quis cenſetur in caſu quo filius ſit actor, & contendat hæreditatem habere, debet enim tunc probare legitimitatem, quia eſt ſuæ intentionis fundamentum.*
7. *Amplia, id etiam procedere etiamſi exiſtat in poſſeſſione, & tamen ius poſſeſſioni reſiſtat, quia tunc poſſeſſio non ſuffragatur.*
8. *Filius naturalis ſi eſt à Patre inſtitutus aſcendentibus præteritis, & ſtatim in poſſeſſionem bonorum miſſus, ſi auus petat ab illo hæreditatem ſufficit ſi probet eſſe auum legitimum, & reo incumbit probatio filiationis naturalis, quia ius reſiſtit naturalem filium hæredem eſſe.*
9. *Legitimus quis cenſendus eſt præciſa lite, quoad ordines ſuſcipiendos, & Prælaturam obtinendam, dummodo de contrario non fuerit diffamatus, neque obligandus eſt ſe iuramento purgare.*
10. *Doctorandus, vel licentiandus non eſt grauandus ad iurandum ſuper natalibus, & eo minus ad probandum niſi ſit diffamatus.*
11. *In dubio præſumitur quod honeſtius eſt quando quis id allegat ſe defendendo ne ex delicto puniatur, ſecus ſi dicat agendo, & ad conſequendam condemnationem alteri.*
12. *Filius non punitur cùm ei negatur hæreditas filiatione non probata.*
13. *Filius matrimonio conſtante præſumitur legitimus, præcipuè quando ipſo actor non eſt, ſed*

ſed reus, neque alia contraria laborat infamia.

14. *Infans, de cuius parentibus dubitatur, expoſitus, cenſendus eſt etiam legitimus.*

15. *Filius, naturalis in dubio de quo agitur cenſetur potius quam ſpurius, & ſpurius potius quam ſacrilegus.*

1 Vidam (vt Vaſq. *diſp.* 69. *cap.* 8. Salas *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 24. *num* 145. Sayr. *in clau. Regia cap.* 13. *num.* 19. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæſt.* 7. Lopez *l.* 1. *tit.* 14. *p.* 2. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 20. *in fin.* Menoch. *de arbitr. Iudic. lib.* 2. *centur.* 2. *caſ.* 194. *num.* [illegible] Mantic. *de Coniectur. vlt. volunt. lib.* 6. *cap.* 1[illegible] *num.* 33. Tellus Fernandez *l.* 11. *Tauri nu.* [illegible]) docent ex noſtro principio reputandum eſſe legitimum, & in dubio an ſit ſpurius, vel na-
2 turalis [illegible]dum eſſe naturalem, quia in dubio [illegible] debet quoad honeſtius eſt, *Bald.* [illegible] *de his, qui ſunt ſui, vel alieni* [illegible] *§. d[illegible] ff. de adult.* tum
3 [illegible] & puniendus eſt ob [illegible] pœna enim certa ſoli peccanti [illegible]enda eſt; At ſi filius ille excluderetur [illegible] hæreditate, tanquam illegitimus, [illegible] & ipſius parentes punirentur, quin ipſorum culpa eſſet probata; ergo.

Alij (vt Alciat. *de præſumpt. reg.* 2. *præſumpt.* 5. [illegible] 8. Matien *l.* 9. *tit.* 8. Mancha. *controuerſ. illuſtr. cap.* 85. *num.* 14. & Maſcard. *de probat. verb. illegitimus, concluſ.* 782. *& tom.* 2. *concluſ.* 1090. docent ex eodem noſtro principio reputandum eſſe illegitimum; quia non præſumitur matrimonium, niſi probetur, (eſt
4 enim quid facti, & factum non præſumitur, niſi probetur, *c. cum Ioannes §. verum de fid. in[illegible]* & ratè probat Maſcard. *concluſ.* 731. *tom.* 1. *de probat.*) cùm igitur non poſſit eſſe [illegible] ſtante matrimonio, fit quòd, non præſumpto matrimonio, legitimus non præſumatur.

Alij tandem (vt Azeued. *lib.* 5. *nouæ recopil. tit.* 8. *l.* 9. [illegible] quos ego ſequor, concordant prædictas ſententias, vt ſcilicet prima procedat caſu, quo filius ſit reus, & poſſeſſor, & non
5 poſſideat contra iuris præſumptionem: tunc enim actori incumbit onus probandi, & dum non probat contrarium, pro poſſidente ſtan-
6 dum eſt; ſecunda ſententia vero procedat, ſi filius actor ſit, & contendat hæreditatem habere: debet enim tunc probare legitimitatem, quia eſt ſuæ intentionis fundamentum, aliàs iniquum eſſet alios à poſſeſſione, vel iure certo, quod habent, expellere: non enim ius incertum, & dubium debet vincere ius aliorum
7 certum. Idemque dicendum eſt, ſi exiſtat in poſſeſſione, & tamen ius poſſeſſioni reſiſtat, quia tunc poſſeſſio non ſuffragatur, iuxtà *c. ad Decimas, de reſtit. ſpoliat. in* 6. vbi Canonici ſpoliati decimis Parrochiæ Sancti Nicolai, non reſtituuntur niſi euidentèr oſtendant, quod earum poſſeſſionem legitimè conſecuti fuerint; quia eas occupaſſe iniuſtè veriſimiliter præſumuntur, cum proueniant ex prædijs infrà alienam Parrochiam conſtitutis; ſitque manifeſtum (niſi aliud oſtendatur) eas de iure communi ad Eccleſiam pertinere. Hinc fit, quòd
ſi filius naturalis eſt à patre inſtitutus aſ- 8
cendentibus præteritis, & ſtatim in poſſeſſionem bonorum miſſus, ſi Auus petat ab illo hæreditatem, ſufficiet, ſi probet eſſe Auum legitimum, & reo incumbet probatio filiationis naturalis; quia ius reſiſtit, naturalem filium hæredem eſſe, ita Matienz. ſupra *d. l.* 9. *tit.* 8. *lib* 5. *compil.* 11.

Quando verò nulla lis vertitur, ſed quis præ- 9
tendit ordines, aut Prælaturam, tunc reputandus eſt filius legitimus, quoties de contrario non fuerit diffamatus *c. tranſmiſſæ, & c. peruenit, qui filij ſint legitimi*, & docet Maſcard *verb. illegitimus num.* 8. *concluſ.* 882. *de probat.* neque obligandus eſt iſte, ſe iuramento purgare, Lancelot. *in rubr. ff. de verb. obligat. num. num.* 161. & Maſcard. ſupra *n.* 10. *&* 11. vbi
ſubdit, doctorandum, vel licentiandum non 10
eſſe grauandum ad iurandum ſuper naturalibus, & cominus ad probandum, ſi non ſit diffamatus: Quod ſi diffamatus ſit, eſſe illegitimum, ac proindè excludendum à beneficio (ſiuè poſſideat, ſiuè non poſſideat) debere ſe purgare, iuxta *c. accedens de purgat. canon.* 1. *& ibi* Abb. *n.* 4. 10. Andreas *in c veniens de Præſbytero non baptizato*, Paleot. *in lib. de nothis, & ſpurijs cap.* 20. Tellus Fernandez *l.* 11. *Tauri num.* 7. *&* Marienz. ſupra *num.* 13. & ratio eſt, quia tunc ſubit vicem actoris, & debet qualitatem probare.

Ex his reſpondetur ad argumenta primæ ſententiæ, quatenus, noſtræ ſententiæ videntur obſtare. Ad primum reſpondetur cum Maſcard. *de probat. verb. illegitimus, concluſ.* 882. *num.*
3. in dubio præſumi, quòd honeſtius eſt, quan- 11
do quis id allegat, ſe defendendo; nè ex delicto puniatur, ſecus ſi dicat agendo, & ad conſequendā condemnationē alteri, tunc enim non debet capi præſumptio delicti excluſiua, niſi probetur, quia eſt in damnum tertij, Decius *in l. emancipati num.* 3 *C. de collat.* & Bart. poſt Gloſſ. *in l. qui iuraſſe §. ſi patet ff. de iureiurand.* Ad 2. reſpondetur, non puniri filium,
cum ei negatur hæreditas, filiatione non pro- 12
bata, imò potius alij hæredes certi punirentur, ſi ſine probatione filiationis hæreditate priuarentur.

Ad argumentum ſecundæ ſententiæ reſpon-
detur; eſto matrimonium non præſumatur, 13
at matrimonio conſtante, filium indè natum, legitimum præſumi, præcipuè cum ipſe filius actor non eſt, ſed reus, neque alia contraria laborat infamia

Ex dictis igitur in dubio, an quis ſit legitimus, vel illegitimus modo ſuprà dicto, cenſendus eſt legitimus; quia (vt dicebatur) factum (præſertim delictum) non præſumitur, niſi demonſtretur.

Confirmatur, quia ita habetur ex *l. filium. ff. de his, qui ſui, vel alieni iuris ſunt.* & ex communi docent Silu. *verb. filius, quæſt.* 12. Salas, & Malder. *in* 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. *diſp.* 87. qui id extendunt ad illum, de cuius natalibus à principio dubitatum fuit, & cuius fratres ſunt iam in poſſeſſione; Vndè & id extendunt etiam contra poſſidentem.

14 Hinc sequitur, quòd expositus infans, de cuius parentibus dubitatur, censendus est etiam legitimus.

Atque ita docet Malder, vbi supra; videri etiam potest Martinez. *in 1. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 5. concl. 2.* Turrian. *opusc. 10. disp. 5. dub. 3.* Villalob. *tom. 1. tract. 1. diff. 20. num. 10.* & Sanctorell. *var. resolut. to 1. quæst.*
15 *24. num. 20. & seqq.* vbi subdit, quòd in dubio, an quis sit filius naturalis, spurius, vel sacrilegus, &c. censendus est potius naturalis, quàm spurius, & potius spurius, quàm sacrilegus, &c. Et ratio desumi potest ex tradito principio nostro; quia factum, præsertim delictum, non præsumitur, nisi demonstretur.



SECTIO II.


An, si mulier effecta vidua statim alteri nubat, & intra nouem menses à contracto matrimonio pariat, filius inde natus reputandus sit primi vel secundi viri?

SVMMARIVM.

1. *Filius in dubio de quo agitur, an sit primi vel secundi viri, decerni potest inspecto signo conceptionis, quod si non appareat standum est consuetudini mulieris tempore, quo parere consueuit, quod si neque appareat standum iudicio peritorum medicorum, & obstetricum.*
2. *Matris assertio in dubio, de quo agitur non est leuis coniectura.*
3. *Filij assimilatio est etiam non leuis coniectura licet in hoc Bartolus dissentiat, attamen sententia Alciati magis arridet.*
4. *Filius in casu de quo agitur censendus est eius, in cuius domo natus est, seu illius, qui actualiter est in possessione matrimonij, nam in casu dubio possessio actualis prævalet.*

1 Respondetur cum Bartolo *in l. Gallus, num. 13. ff. de liber. & posthum.* Sylu. *verb. filij, quæst. 17.* & Mascard. *de probat. concl. 788. num. 24.* inspiciendum esse signum conceptionis; quod si non appareat, standum consuetudini mulieris tempore, quo parere consueuit, quod si neque appareat, standum iudicio peritorum medicorum, & obstetricum, *argum. l. 1. §. 1. ff. de ventre inspiciendo.* In quo casu ait Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt 37. num. 15.* non esse
2 leuem coniecturam matris assertionem.
3 Item videri poterit, cui filius assimiletur, marito viuenti, vel mortuo; licèt dissentiat Bart. supra; sed minus rectè; nam esto, assimilatio contingere possit ex cogitatione mulieris tempore conceptionis; at rarò ex hac causa, & regulariter ex generante procedit; & cùm in præsenti per coniecturas procedatur, sufficit assimilatio, quæ faciat probabilitatem, cùm in pluribus sit vera. Vide Alciatum supra.

Tandem ait Syl. si nullo probabili modo deueniri possit in cognitionem veritatis, debere reputari filium eius, in cuius domo nascitur, vel ex vtraque hæreditate ei prouideri; cùm non appareat, quæ magis obligetur; & filius, & mater non debeant subsidijs priuari; Decius verò *in c. per tuas, de probat.* & Mascard. supra tenent, in hoc casu debere iudicari, 4
quod esset fauorabilius ipsi filio, nempè si primus maritus esset ditior, illius sit præsumendus. Ego quidem dicerem, posito, quòd supradictæ coniecturæ non tollant dubium, neque certò aperiant veritatem, reputandum esse filium eius, in cuius domo natus est, seu illius, qui actualiter est in possessione matrimonij: nam in casu dubio possessio actualis prævalet Bald. *l. si mater C. de suis, & legitim. hæredibus*, Vasq. *1. 2. disp. 66. cap. 8. in princ.* & Salas, *tract. 8. disp. vnic. sect. 24. num. 245.*



SECTIO III.

Quibus signis dignoscatur filius legitimus?

SVMMARIVM.

1. *Filius dignoscitur legitimus primo si nascatur ex vxore in domo mariti cohabitantis simul.*
2. *Amplia, id procedere etiamsi vxor adultera tempore conceptus si tunc maritus cohabitabat simul.*
3. *Filius dignoscitur legitimus secundo si Parentes tractent illum vt filium proprium, & legitimum, ipseque illos veneretur vt tales.*
4. *Tractatus, quo Patres & filij respectiuè se se vt tales recognoscunt dicitur ita efficax, vt non possit infirmari negatione parentum etiam iurata: sicut confessio filij non potest reuocari ab ipsis in præiudicium filij.*
5. *Filij nominatio à parentibus serio facta præsertim coram Notario, & maxime in iudicio, vel testamento, sine dubio sufficiens est ad constituendum filium in quasi possessione filiationis; ita vt aduersario incumbat onus probandi contrarium, & dum non probatur reputandus sit talis.*
6. *Filius dignoscitur legitimus ex fama, & communi populi opinione, sed vt hæc probet plene, seu perfectè alijs adminiculis, seu coniecturis fulciri debet.*
7. *Fama probat solum semiplenè.*
8. *Filius dignoscitur legitimus si à patre instituatur hæres vti filius quia licet institutio sit communis filio, & extraneo tamen cum sit*

alicui vti filio, conſtituit eum in poſſeſſione filiationis donec contrarium probetur.

9. *Filius legitimus dignoſcitur ex manuſcripto Patris, in quo nominat quo die talis filius ſuus natus ſit, vel alia nominatio, item educatio, & alimenta præſtita vt filio.*

10. *Vna, vel altera coniectura licet dubium non tollat, & probationem filiationis ſufficientem non conſtituat, ſi tamen plures concurrant, illam conſtituere.*

De his agit Bart. *in l. quidam ff. de probat.* Abb. *in c. per tuas de probat.* Couarr. *in epitom. cap.* 8. §. 3. *num.* 9. *par.* 2. Syl. *verb. filij quæſt.* 2. Menoch. *de Arbitr. indic. caſ.* 89. *num.* 60. *& ſeqq.* Maſcard. *tom.* 1. *de probat. verb. filiatio, concluſ.* 788.

1 Reſpondetur, primum ſignum eſt; ſi naſcatur ex vxore in domo mariti cohabitantis ſimul, ſic communiter DD *ex l. filium ff. de his, qui [illegible] ſui, vel alieni iuris, ex c. per tuas de probat. [illegible], qui filij ſint legitimi.*

2 Quod ſignum extenditur, etiamſi ſi vxor adulterio tempore conceptus, ſi tunc maritus cohabitat ſimul, *l. miles §. defuncto ff. ad l. Iul. de adult.* Bald. *in rubr. C. de probat, & l. ſi mater C. de ſuis & legitim.* Abb. *in c. per tuas de probat*, Alciat. *de Præſumpt. in reg.* 3. *præſumpt.* 37. Couarr *in epitom.* 2. *par. cap.* 8. §. 3. *num.* 8. & Maſcard. *de probat. concl* 788. *num.* 6. Et ratio eſt quia præſumitur, quod eſt fauorabilius, & honorabilius filio: cum enim poſſit eſſe filius mariti, & adulteri, iniquum eſſe ſi non præſumatur pro filio; tùm quia hæc præſumptio eſt in fauorem matrimonij: ergo aſſerenda: in quibus autem caſibus dicta præſumptio ceſſare poſſit, vide Maſcard. *loco ſupra citat.*

3 Secundum ſignum eſt ſi parentes tractent illum, vt filium proprium, & legitimum ipſeque illos veneretur, vt tales Qui tractatus

4 eſt ita efficax, vt non poſſit infirmari negatione parentum etiam iurata: ſicut enim confeſſio filij facta à parentibus, non poteſt reuocari ab ipſis in præiudicium filij, *Gloſſ. in c. per tuas, de probat*, ità multò minus poterit reuocari tractatus, qui eſt efficacior. Abb. *in c. per tuas, de probat. num.* 3. & 4. & ibi Felin. *num.* 14. *Gloſſ. in c. transmiſſæ, qui filij ſint legitimi*, Bald. *in l. non ignorat C. qui accuſari non poſſ.* Couarr. *in epit.* 2. *par. cap.* 8. §. 3. *num.* 6. *& ſeqq.* Menoch *de arbitr. iudic. caſ.* 89. *num.* 60. *& ſeqq.* Maſcard. *de probat. concl.* 789. *num.* 3. *& ſeqq.*

Tertium ſignum eſt nominatio, quæ tamen (vt rectè dixit Maſcard. *concl.* 790. per ſe non ſufficit ad conſtituendum filium in quaſi poſſeſſione filiationis, cùm ſæpè ad ſignificandum affectum filios vocemus, qui verè filij non

5 ſunt; At ſi nominatio filij à parentibus ſeriò facta eſſet, præſertim coram Notario, & maximè in iudicio, vel teſtamento, ſine dubio ſufficiens eſt ad conſtituendum filium in quaſi poſſeſſione filiationis, ita vt aduerſario incumbat onus probandi contrarium, & dum non probatur, reputandus ſit talis, *Gloſſ. in c.* *Michaël. de fil. preſbyter.* Abb. *in c. per tuas, num.* 8. & ibi Decius *num.* 32. Menoch. *caſ.* 89. *num.* 28. *in princip. de arbitr. iudic.* Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 8. §. 3. *num.* 7. & Maſcard. *loco ſupra cit.*

Quartum ſignum eſt fama, & communis opinio populi; ſed vt hæc probet plenè, ſeu perfectè, alijs adminiculis, ſeu coniecturis, fulciri debet, Abb. *in c. transmiſſæ, qui filij ſint legitimi*, Butr. *in c. per tuas, de probation.* Felin. *ibidem, num.* 15. Couarr. *in epit. decret. cap.* 8. §. 3. *num.* 9. *par.* 2. Maſcard. *concl.* 791. *num.* 7. *& ſeqq.* & ratio eſt, quia fama probat ſolùm ſemiplenè; *c.* 1. *de Appellat. & c. veniens el.* 2. *de teſtib.* vt ergo probet 7 plenè, requiruntur alia, ex quibus coaleſcat plena, perfecta, ſeu integra probatio

Quintum ſignũ eſt, ſi à patre inſtituatur hæres, vti filius, quia licèt inſtitutio ſit communis filio, & extraneo, tamen cum ſit alicui, vti filio, conſtituit eum in poſſeſſione filiationis, donec contrarium probatur: nam per talem inſtitutionem tractatur, vti filius, & ratione tractatus, & inſtitutionis ſufficienter probatur filiatio, aliàs inſtitutio nulla eſſet, *l. ſi pater & l. neque apud C. de hæredib.* & tradunt communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Maſcard. *concl.* 793.

Sextum ſignum eſt manuſcriptum parentis, 9 in quo nominat, quo die talis filius ſuus natus ſit, vel alia nominatio. Item educatio, & alimenta præſtita, vt filio, quia ſic tractatur, vt filius. Maſcard. *ſupra.*

Cæterum aduerte, licèt vna vel altera con- 10 iectura dubium non tollat, & probationem filiationis ſufficientem non conſtituat; ſi tamen plures concurrant, illam ſatis conſtituere, Accurſ. *in l.* 2. *ff. de excuſat. tutor.* Ancharan. *conſ.* 225. *& ſeq. vol.* 1. Burſat. *conſ.* 88. *num.* 7. & alij communiter, quos refert, & ſequitur Maſcard. *concl.* 796.

SECTIO IV.

Quis filium illegitimum alere teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Filius ſi ex vno patre ſit ſpurius, ex altero naturalis in dubio de quo agitur, ex probabiliori tota obligatio alendi conuenit patri naturali.*
2. *Filius ſi ſolùm ſpurius ex vtroque præſumatur hoc eſt ex altero patrum, attamen incertum ſit quis nam determinatè ſit pater ipſius per ambos debet ali.*
3. *Patre quolibet deficiente, vel nolente filium alere in caſu de quo agitur alter eſt obligatus*

in integrum secundum aliquos, at hoc non probatur Auctori, quia filius aduersus quemlibet non habet integrum ius.

4. *Mater potest plus exigere à ditiori, & nobiliori, filio, si patres inæquales in diuitijs, & nobilitate sint.*



Oquor in casu, quo dubitetur de eius parente, quisnam sit determinatè; cum cognoscatur, esse eius parentem hunc, vel illum. & ignoratur, quis sit determinatè. Hoc supposito.

1 Respondetur, si ex vno patre sit filius spurius, ex altero naturalis, ex probabiliori sententia Doctorum tota obligatio conuenit patri naturali; quia in casu dubij, potius naturalis, quàm spurius præsumendus est, vt potè quid honestius, & filio fauorabilius; At cum vnus, & alter parens dubius æquè reddunt filium naturalem, vel spurium (etsi nonnulli censeant, neminem esse obligatum alimenta præstare; tùm quia in casu dubij nullus debet possessione propriæ pecuniæ spoliari, vt alimenta præstet; tùm quia debitum incertum non est æ-
2 quum satisfieri solutione certa) tamen dicendnm est, quemlibet teneri filium alere; quia filius habet actionem aduersùs patrem vt alimenta præstet; ergo (cùm determinatè sciri nequeat pater ipsius) ne talis actio, & debitum inutile reddatur, inter vtrumque diuidi debet.

Confirmatur, cum ignoras, cuius sit res aliqua, scis tamen certò, quòd sit huius, vel illius, debes inter vtrumque diuidere (cum vterque ius habeat) ergo si similiter in præsenti casu ignoratur cuius filius sit, cognoscitur tamen, esse huius, vel illius inter vtrumque parentem debet alimentorum debitum diuidi.

Atque ità docent Salas *tract. 8. disp. vnic. sect. 24. num. 247.* Azor. *lib. 2. cap. 19. quæst. 8.* Vasq. 1. 2. *disp. 66. cap. 8. num 7* & Villalob. *tom. 1. tract. 1. diff. 20.* Addunt Azor, &
3 Villalob. quolibet patre deficiente, vel nolente filium alere, alterum esse obligatum in integrum; at hoc mihi non probatur; quia filius aduersùs quemlibet non habet integrum ius; atque sic docet Salas supra *num. 248.* qui rectè ait (& si dissentiat Vasquez) si pa-
4 tres inæquales in diuitijs, & nobilitate sint, posse matrem à ditiori, & nobiliori plus exigere, quia ditior, & nobilior meliora tenetur filio præstare alimenta. Vide infrà *dubit. 42.*



DVBITATIO XXIII.

An, in dubio, vtrum bellum sit iustum, vel iniustum, censendum sit iustum?

SVMMARIVM.

1. *Bellum in dubio vtrum sit iustum nec ne, censendum est iustum.*
2. *Aduocatus in causa dubia vtriuis parti patrocinari potest.*
3. *Famulus potest seruire Domino exercenti contractus speculatiuè dubios.*
4. *Minister Principis id dubio an sententia sit iusta, potest sententiam Principis exequi.*
5. *Milites in casu de quo agitur, si euidenter postea cognoscant iniustitiam belli non tenentur ad restitutionem ratione iniustæ actionis, sed solum ratione rei acceptæ si scilicet inde facti sint locupletiores, quod dic etiam de Aduocato, famulo, & ministro Principis.*
6. *Subditi scientes Dominum habere iustum bellum tenentur iuuare, quando autem est certum de opposito peccant obediendo sed quia non sunt principales non tenentur restituere alia spolia, quam quæ ad ipsos vt singulos peruenerint.*
7. *Inuenies multa alia scitu digna.*



Espondetur, ex dictis ibidem: In dubio, an bellum sit iustum, vel iniustum, censendum est iustum, propter idem principium; quia scilicet delictum in dubio non præsumitur, nisi probetur. 1

Confirmatur, quia in dubio, quilibet præsumitur bonus.

Confirmatur secundò, quia in dubio standum est pro Principe.

Vndè licitè pugnare possunt in tali bello tam subditi, quam non subditi.

Item secundò licitè pugnare possunt non subditi, tàm ante, quàm post bellum cœptum conducti.

Atque ita contra communiorem opinionem satis probabiliter meo iudicio docent Petr. Nauarr, *de restit. lib. 2. cap. 3. par. 2. dub. 12. num. 260.* Salas *in 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. 1. sect. 26. num. 272.* & Viger. *in 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 3. num. 50.*

Sicut licitè potest Aduocatus in dubia cau- 2
sa vtriuis parti patrocinari, & licitè potest fa- 3
mulus seruire Domino exercenti contractus speculatiuè dubios: & licitè potest Minister 4
Principis in dubio, an sententia sit iusta, sententiam Principis exequi. De quibus omnibus vide Tannerum *in 2. 2. disp. disp. 2. quæst.*

6. *dub.* 4. *num.* 48. & Martinez 1. 2. *tom.* 1. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2.

5 Hinc sequitur, quod si milites posteà euidenter cognoscunt iniustitiam belli, non teneantur in supradicto casu ad restitutionem ratione iniustæ actionis, sed solum ratione rei acceptæ; atque adeò solum, si illa extet, vel in se, vel in effectu, si scilicet inde facti sunt [illegible]upletiores. Atque ita præter alios docet contra Syluestrum Merolla, *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *corollar.* 22. *num.* 334.

Et quod dixi de militibus, idem dico de Aduocato, famulo, & Ministro Principis, in casibus iam supradictis.

Quinimò Paludan. *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 2. *num.* 30. sic ait: De exercitu autem sciendum,
6 quod quando constat, aut dubium est, Dominum habere iustum bellum, subditi tenentur iuuare: quando autem est certum de opposito, peccant obediendo: sed quia non sunt principales, nec vnusquisque est adiuuans talis, quod sine eo non fieret prædatio, non tenetur restituere omnia spolia exercitus, sed so[illegible] peruenerit; At, vt quæ dixi, [illegible] intelligantur.


Aduerte. In dubio prædicto de iustitia belli, [illegible] DD. sententiam tenere, subditos posse, & obligatos esse obedire Principi, secùs vero extraneos, quia in subditis adest sufficiens ratio deponendi conscientiam dubiam, nempè Superioris præceptum; quæ ratio non adest in extraneis; consequenter hi te-
7 nentur inuestigare iustitiam belli, non sic subditi. Ita Abb. *in c. sicut el.* 3. *de iureiur. num.* 16. & ibi Bellamer. *quæst.* 6. Alexand. de Neuo *num.* 98. Nauarr. *summ. cap.* 15. *num.* 16. Mol. *tom.* 1. *de iustit. disp.* 113. *circa finem*, Valent. 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 16. *par.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 9. & plures alij, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 6. *Moral. cap.* 3. *num.* 15. At mihi probabilius videtur contrarium ex dictis.

Aduerte secundò, esse valdè probabile, iuxta ea, quæ dicebam *dubit.* 10. tàm subditos, quàm non subditos, si dubium habeant valdè fundatum de iniustitia belli, non teneri (& si alij contrarium teneant.) quin non posse militare, donec examen, quantum commodè possunt, præmittant; quia sicuti ibi dicebam, cùm certum est ex tua obedientia, damnum graue tibi, vel alteri esse sequendum, non teneris Superiori obedire (si dubitas, an legitimè præcipiat) at ex bello grauia tibi, & alijs damna sequuntur; ergò non debes obedire; si dubitas, an Princeps legitimè præcipiat: tùm quia si subditi rationabiliter dubitantes de iniustitia belli, non tenerentur diligentiam vllam adhibere, sed possent, audito Superioris præcepto, statim acquiescere, Turcæ, & Saraceni sequentes Principes suos in bello contra Christianos: item carnifices martyrum, & crucifixores Christi à peccato, & iniustitia excusarentur: quod non est dicendum.

Aduerte tertiò, quoties subditis non se offert aliqua grauis, & benè fundata ratio dubitandi de iniustitia belli, teneri subditos dubium deponere, & iustitiam belli præsumere, & militare: in quo sensu dixit Aug. *c. quid culpatur* 23. *quæst.* 1. *in fin.* virum iustum bellare posse sub Rege etiam sacrilego si quod sibi iubetur, vel non est contra Dei præceptum, vel vtrum sit, certum non est: quia dum subditus non est certus, contrariari præcepto Dei præceptum Superioris, præsumere debet, esse illi conforme, præsertim in materia belli: quæ cum grauissima sit rarò præsumi debet absque sufficienti examine iustitiæ intentari: quæ iustitia licet non appareat militibus, præsumi debet: alias tenerentur Principes bellandi rationes omnibus manifestare: quod est maximum absurdum.

Et hæc ratio probat, non solùm subditos, sed etiam non subditos, quoties non se offert grauis aliqua ratio dubitandi de iniustitia belli, militare posse, quare nulla est distinctio de subditis, vel non subditis, & ita tenent Vasq. 1. 2. *quæst.* 19. *disp.* 66. *cap.* 9. *num.* 51. *& seqq.* Salas *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 27. *num.* 271. Suar. *de charit. disp.* 13. *de bello sect.* 6. *num.* 12. & Petr. Nauarr *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *par.* 2. *dub.* 12. & probabam ego tractatu præcedenti, *dubit.* 12. 13. *&* 14. & vlterius probo nunc, quia vel vterque miles, tàm subditus quàm non subditus, habet rationes dubitandi de iniustitia belli bene fundatas, vel non: si primum, nullus potest absque examine præuio obedire, quia spoliare alios bonis fortunæ, honoris, & vitæ ob seruandum ius Superioris dubium, videtur iniustitia: si secundum cuilibet licet ob rationem minùs fundatam tale dubium deponere, & militare.

Confirmatur in sententia Caiet. 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 4. *dub.* 2. (quem sequuntur alij, vt Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 3. *num.* 17.) quia vt subditi dubium deponant, & bellare possint, non indigent præcepto expresso Superioris, sed sufficit, velle Superiorem; vt omnes milites necessarij bello se ascribant (ex sola enim hac voluntate quæ videtur tacitum præceptum, possunt subditi dubium deponere, & bellare) sed hæc voluntas non arctat subditos ire bellum (cum quilibet posset sine peccato illius executionem omittere) ergo si subditis est ratio efficax deponendi dubium, erit & efficax etiam non subditis. Vide *cit. quæst.* 12. 13. *&* 14. *tractatu præcedenti.*





DVBITATIO XXIV.

An, in dubio, vtrum materia voti sit bona, vel mala, vouens teneatur ad votum?

SVMMARIVM.

1. *Opinio Suarez & aliorum de obligatione voti in casu de quo agitur recensetur, & reijcitur.*
2. *Vouens in dubio an materia voti sit bona, vel mala, ad votum non tenetur.*
3. *Votum castitatis, vel non nubendi emissum ab eo qui in venerem procliuis est, non est omnino improbabile, non subsistere, cum in tali casu salubrius sit matrimonium, quam votum.*
4. *In casu, de quo agitur consultius est petere dispensationem ab Episcopo, quia ea propter dispensare potest.*
5. *Reseruatio vt potè odiosa non ad casus dubios est extendenda, sed potius ad casus tantum certos restringenda.*
6. *Dubitans de materia voti, iuramenti, vel promissionis licita, tenetur, si potest superiorem consulere, & ab eo dispensationem petere.*
7. *Dubitans de honestate materiæ promissæ, dubitat an Deo grata sit talis materia, vnde tenetur facere diligentiam vt hoc dubium vincat, qua nulla aptior est, quam superiorem consulere.*
8. *Vouens si non poterit reddi certus de honestate materiæ promissæ, sine prudentis arbitrio, vel superioris consilio, aut superioris dispensatione, si vrgeat tempus exequendi promissionem, potest se tenere liberum ab hac obligatione.*

1 Respondetur *ex dictis ibidem.* (quamuis Suar. *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 12. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 3. *num.* 90. & Faust. *in Thes. religios. lib.* 1. *qu.* 28. affirment, in tali casu ante obtentam dispensationem teneri vouentem ad votum, ex eo, quia cùm homo de voluntate suâ certus sit, tenetur procurare, vt de diuina acceptatione certior fiat, & sic consulere superiorem, vt in eo dubio dispenset, vel interpretetur, & interim votum obseruare) contrarium tamen ex regula nostra tradita dicendum puto.

2 Ratio, quia voti acceptatio est quid facti, & factum vt dicebatur, non præsumitur, nisi probetur, votum autem non obligat, nisi sit acceptatum, quapropter interim possessio non stat pro voto, sed potius pro libertate operantis; ad eum modum, quo supra de lege dicebatur, quo in dubio, an sit lata, & in dubio, an sit acceptata, non obliget: secus si lata, & acceptata, dubium sit, an vsu contrario postea aboleuerit, quia tunc è contra hoc ipsum, vt pote quid facti, non præsumitur, nisi demonstretur.

Confirmatur, quia non est apponendum onus, vbi non apparet: & odia sunt restringenda potius, quam amplianda.

Atque ita in terminis docent Sot. *lib.* 7. *quæst.* 1. *art.* 3. Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 6. *num.* 6. & alij.

Hinc sequitur, non esse omninò improbabile, quod docet Homobonus de bonis *in consultat: moral. volum.* 1. *par.* 2. *respons.* 28. vbi ait, non subsistere votum castitatis, vel non nubendi, factum ab eo, qui in venerem procliuis est. Ratio ipsius est, quia in tali casu, votum factum est ab eo, cui ob incontinentiam, & carnis lapsum, matrimonium salubrius est, quàm votum. 3

Consulerem tamen, quod in praxi dispensatio ab Episcopo petatur, qui in tali casu dispensare potest, vt ex Suario, Azorio, Lessio, & alijs docet idem Homobonus supra. 4

Et ratio est, quia, vt supra dicebam, reseruatio, vt potè odiosa, non ad casus dubios est extendenda, sed potius ad casus tantum certos restringenda. 5

Dico igitur, quod dubius de materia voti, iuramenti, vel promissionis licita, teneris, si potes, superiorem consulere, & ab eo dispensationem petere. Estque text. *in c. venerabile, de elect.* §. *idem* iuncta Glos. *ibi*: *Non valet ad plenam excusationem ipsius si iuramentum illud dicatur illicitum, cùm nihilominus super eo nos prius consulere debuisses, quàm contra ipsum propria authoritate venire*, & docent Felin. *in c.* 1. *de iureiur. num.* 9. Abbas *in c. cum contingat, num.* 15. Innocent *in c. debitores*, Sanct. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. (quatenus expressè ait, requiri dispensationem, cùm est supra dictum dubium) Sylu. *verb. iuramentum.* 5. *quæst.* 1. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de iuram. cap.* 33. *in fin.* & *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 12. 6

Ratio, quia dubius de honestate materiæ promissæ dubitat, an Deo grata sit talis materia; ergo tenetur facere diligentiam vt hoc dubium vincat; at cùm nulla possit esse aptior diligentia, quàm consulere superiorem, qui locum Dei tenet, ipsum consulere tenetur, & hæc est differentia inter huiusmodi dubium, & dubium, an feceris promissionem, vel votum; & iuramentum; quia cùm dubitas, an feceris promissionem, dubitas de exercitio tuæ libertatis, & sic non est opus recurrere ad superiorem, at cùm dubitas de honestate materiæ promissæ, non dubitas de conditione se tenente ex parte tua sed de conditione se tenente ex parte Dei; ergo teneris consulere Deum, vel eum, qui locum Dei tenet, & ab illo dispensationem petere. 7

Confirmatur, qui sic dubitat, non dubitat, se fecisse votum, saltem sub conditione, si Deo res illa sit grata (hoc enim certò scit) ergo tenetur id inquirere, alias se exponit periculo transgressionis.

At, si prudentis arbitrio, vel superioris consilio, aut dispensatione reddi non potes cer- 8

tus de honeſtate rei promiſſæ, & ex alia parte vrget tempus exequendi promiſſionem, puto, te non teneri exequi, ſed poſſe te iudicare liberum ab hac obligatione, Suar. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 13. & Sanch. *lib.* 4. *de matrimon. cap.* 5, *num.* 32. *& cap.* 6. *num.* 6. & ratio, quia non placet Deo id, in quo periculum prauitatis imminet; tùm quia qui dubius eſt de honeſtate materiæ promiſſæ, neque poteſt dubium vincere, dubius eſt formalitèr de lege, & voto (cùm dubitet de eſſentiali requiſito ad illa, quæ requirunt neceſſariò honeſtatem in materia promiſſa) ſed qui dubius eſt de lege, & voto non tenetur, vt ſuprà dicebam; ergo ſimiliter non tenetur, qui dubius eſt de honeſtate materiæ promiſſæ, ſi dubium vincere non poteſt.

DVBITATIO XXV.

An, in dubio vtrum cenſura ſit lata, vel ferenda, dicendum ſit, quòd ſit ferenda?


SVMMARIVM.

1. *Cenſura in dubio an ſit lata, vel ferenda dicendum eſt quod ſit ferenda.*
2. *In dubio nemo eſt ſua libertate ſpoliandus.*
3. *Excommunicatum vt quis vitare teneatur, non ſufficit dubium adhuc prudens denunciationis, ſed requiritur notitia moraliter certa dictæ denunciationis.*
4. *Percuſſor publicus Clericorum vt ſit vitandus requiritur quod nulla tergiuerſatione defendi poſſit, quod id ſine peccato mortali fecerit v. g. ad defenſionem ſui per primum motum in ebrietate, aut in excommunicationis ignoratione.*
5. *Percuſſor publicus & notorius raro vitandus eſt, niſi conſtet per iudicis ſententiam, quod ille nullo iuris remedio excuſari poſſit.*

1 RESpondetur *ex dictis ibidem*; in dubio, an Cenſura ſit lata vel ferenda, dicendum eſt, quod ſit ferenda: quia ly *eſſe latam* eſt quid facti; quod non præſumitur, ex regula tradita, niſi
2 demonſtretur; tum quia in dubio odià ſunt reſtringenda; & in dubio nemo eſt ſua libertate ſpoliandus. Atque ita in terminis noſtri caſus docent Auila *de cenſ. c.* 2. *dub.* 2. Coninch *de Sacram. diſp.* 13. *num.* 22. & Hurtad. *de cenſur. in communi diffic.* 5. *num.* 22.

3 Qui etiam *in diſp.* 2. *de excomm. diffic.* 3. *num.* 7. ait, quod vt teneamur vitare excommunicatum non ſufficit dubium, adhuc prudens, denunciationis, ſed requiritur notitia moraliter certa dictæ denunciationis: ſicut, vt vi-
4 tandus ſit publicus percuſſor, requiritur, quod nulla tergiuerſatione defendi poſſit, quod id ſine peccato mortali fecerit, v. g. ad defenſionem ſui, per primum motum, in ebrietate, aut in excommunicationis ignoratione. De qua re vide Sayrum *de cenſ. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 18. & Fagundez *præcep.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 12.

Qui propterea concludunt, publicum, & 5
notorium percuſſorem raro vitandum eſſe, & ſolum, quando conſtabit per iudicis ſententiam, quod ille nullo iuris remedio excuſari poſſit. Vide etiam Couar. *in cap. Alma mater, par.* 1. §. 2. *num.* 7.



DVBITATIO XXVI.

An, quis vouens dare, vel facere aliquid (ſi v. g. per annum in fornicationem non inciderit) ad votum teneatur, etiamſi malitia ſua infra annum fornicatus fuerit?

SVMMARIVM.

1. *Vouens quis dare, vel facere aliquid, ſi v. g. per annum in fornicationem non inciderit, ad votum non tenetur, etiamſi malitia ſua infra annum fornicatus fuerit. ſecus autem ſi conſtet de oppoſita mente vouentis.*
2. *Vouens ingredi Religionem, ſi per annum integrum à fornicatione abſtineat, quacumque ratione, malitia, vel praua intentione non abſtineat, licet fortè peccet contra votum, non tamen tenetur ingredi, quia conditio non fuit impleta, nec poteſt impleri.*
3. *Vouens dare aliquid ſi intra menſem ſanitatem obtineat, non tenetur ad voti adimpletionem, ſi ſanitatem ex ſua intemperantia non obtinet.*
4. *Vouens in pœnam dare aliquid ſi luſerit, ad pœnam non tenetur niſi pro prima vice, ſecus ſi expreſſè intendiſſet quotieſcumque luſerit.*
5. *Vouens Religionem ingredi, ſi tempore Nouitiatus ex iuſta cauſa exiret, & ſic voto iam ſatisfeciſſet, ad voti pœnam amplius non tenetur.*

RESpondetur *ex dictis ibidem*; vo- 1
uens quis dare, vel facere aliquid, ſi v. g. per annum in fornicationem non inciderit, ad votum non tenetur, etiamſi malitia ſua infra annum fornicatus fuerit (excipe ſi conſtet de oppoſita mente vouentis) Probatur tum ex regula data, tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, tum quia odia ſunt reſtringenda, & non eſt apponendum onus, vbi non apparet. Atque ita contra Angelum *verb. votum*, 1. §. 10. Richard. *in* 4. *diſt.* 38. *art.* 2. Nauar. *c.* 12. *num.* 42. Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *c.* 20. *q. vlt.* Naldum *verb. votum. num.* 33. & Sanch. *lib.* 4. *moral.*

c. 13. *num.* 47. & 49. docet (quamuis ex alio principio (Suar. *de relig. to.* 2. *lib.* 4. *de voto. c.* 17. *num.* 21.

2 Vbi ait, quod si quis vouit ingredi religionem, si per annũ integrum à fornicatione abstineat, quacunque ratione, malitia, vel praua intentione non abstineat, licet fortè peccet contra votum, tamen non teneatur ingredi, quia conditio non fuit impleta, nec potest impleri, nec ex peccato orta est obligatio, quam votum ipsum per se non induxit, nec sequitur tale votum esse frustratorium: nam satis est, quod obliget, tum ad gratitudinem, si beneficium illud vouenti conferatur; tum ad procedendum sine fraude, ac dolo, & consequenter ad peccandum, si aliter vouens se gerat. Ita Suarez, & sequitur Bonac. *in edit. nouissima*, *in decalog. prac.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 2. vbi alios Doctores adducit.

3 Item, si quis vouit dare aliquid, si intra mensem sanitatem obtineat, non tenetur ad voti adimpletionem, si sanitatem ex sua intemperantia non obtinet.

4 Item, si quis vouit in pœnam dare aliquid, si luserit v. g. ad pœnam non tenetur, nisi pro prima vice, excipe, si expresse intendisset, quotiescunque luserit, quia tunc de opposita intentione vouentis, clarè constat. Vide Sâ *verb. votum* 1. *num.* 26. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 5. *num.* 4. & Sanchez *vbi supra c.* 22. *num.* 21.

Qui ex parte nobiscum sentit, quando scilicet agitur de pœnis grauioribus: vt si quis v. g. vouisset non ludere sub pœna magnæ peregrinationis, aut Religionis, aut exorbitantis eleemosynæ, ad pœnam non tenetur, nisi prima vice (inquit ipse) quapropter si,
5 violato voto, hic Religionem ingrederetur, & tempore Nouitiatus ex iusta causa exiret, & sic voto iam satisfecisset, ad voti pœnam amplius non tenetur, etiamsi iterum in voti violationem incideret: idemque de pœna peregrinationis, & eleemosynæ dicendum fatetur, nisi in casu, quod aliter de intentione vouentis constaret.

DVBITATIO XXVII.

An, in dubio vtrum, qui vouit, (v. g. ieiunium tali die) vouerit illud intuitu diei, an intuitu ieiunij, vel alterius motiui, dicendus sit, vouisse intuitu diei.

SVMMARIVM.

1. *Opinio Azorij quod is vouerit intuitu ieiunij, & non diei recensetur. & reprobatur.*

Respondetur ex dictis ibidem, quod (quamuis Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 21 & Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 14. *num.* 31. probabiliter censeant, hunc vouisse intuitu ieiunij, & sic teneri ad ieiunium in alia die, si impeditus non ieiunauit in illa die. Ratio, quia cùm votum sit certum, possessio in tali casu stat pro voto) oppositum tamen ex regula tradita dici potest, præsertim, quia in dubio odia sunt restringenda. & non est apponendum onus, vbi non apparet. Atque ita in terminis huius casus docent Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *in fine*, & Layman *lib.* 4. *tract.* *c.* 2. *num.* 3. 1

Ad illud autem, quod dicebant Azor. & Sanch. Respondetur, quod (quamuis ita vouens sit certus, se ieiunium v. g. vel Missam, &c. vouisse tali die) dubius tamen est, an independenter à tali die vouerit, quod, vtpote etiam quid facti, non præsumitur, nisi demonstretur: quapropter in tali dubio præsumendum est.

DVBITATIO XXVIII.

Quid dicendum in dubio de obligatione recitandi horas canonicas ob tenuitatem beneficij.

SVMMARIVM.


1. *Beneficiatus in tali casu secundum aliquos tenetur ad recitandas horas canonicas; quia obligatio est certa, cùm certum sit ipsum habere beneficium.*
2. *Oppositum ex tradita regula non improbabiliter dici potest.*
3. *Præceptum onerosum, & molestum in dubio iuris implendum ex obligatione non venit.*
4. *Ieiunium, vel officij recitatio in dubio quod leuiter hominem offendat, præstari non debet.*
5. *Ratio putatiua in aliquibus casibus sufficit ad excusandum à peccato mortali, etiamsi illa à parte rei vera non sit.*
6. *Infirmus licet sit valens conuersari cum amicis ipsum inuisentibus, non tamen propterea obstringendus est officium recitare.*
7. *In casibus de quibus agitur consultius est adire Superiorem vt dispenset, vel commutet in multo minus.*
8. *Infirmus si in casu de quo agitur recurrat ad medicum dubium pariter de grauitate incommodi, non tenetur ad recitationem.*

1 Reſpondetur *ex dictis ibidem*, quòd (quamuis horas Canonicas, ob tenuitatem beneficij, Vaſq. *in* 1. 2. *diſp.* 65. *c.* 3. *num.* 11. doceat, beneficiatum in tali caſu ad illas teneri, quia obligatio eſt certa cùm certum ſit ipſum habere beneficium, executio autem eſt dubia; cùm autem obligatio eſt certa, & executio dubia, teneris obedire, tum quia in foro externo fores condemnandus, ſi dubia eſſet executio (nam pro Eccleſia eſt certa lex, à cuius obligatione, vt excuſari poſſes, debebas excuſationem probare, Couar. *lib.* 2. *var. cap.* 12. *num.* 14. Tirac. *de Retract. lignag.* §. 1 *Gloſ.* 9. *num.* 21. Gonzal. *reg.* 8. *Cancell. Gloſ.* 8 *num.* 72. vbi omnes probant, cùm de lege conſtat, & ab illa vis te eximere, probare debes cauſam excuſationis, alioqui pro lege iudicandum eſt) tamen non improbabiliter ex regu-
2 la tradita poteſt dici oppoſitum, tùm quia in
3 dubio iuris præceptum oneroſum, & moleſtum implendum ex obligatione non venit, ſiquidem ius poſitiuum non obligat cum tanto incommodo, præſertim in caſibus dubijs; Atque ita in terminis noſtri caſus docet Salas in 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 17. *num.* 154. *in fine.*

4 Hinc in dubio, quod ieiunium, vel officij recitatio non leuiter hominem offendat, ad ieiunium, vel officium recitandum homo non tenetur, quia tale periculum ſubire eſt magnum incommodum, præceptum autem poſitiuum non obligat cum tali incommodo; Quapropter Caietan. *verb. Ieiunium* dixit quod in his, & ſimilibus caſibus ſufficit ad excu-
5 ſandum à mortali ratio putatiua etiamſi illa à parte rei vera non ſit.

6 Aduerte tamen hic cum Sancio *in ſelect. diſp.* 15. *num.* 2. quod infirmus licet ſit valens conuerſari cum amicis ipſum inuiſentibus, non tamen propterea ſtatim obſtringendus ſit officium recitare. Ratio, quia amicis confabulari potius animi diuerſionem, vt obiectum reſpicit, quam attentionem, Non ſic officium diuinum recitare.

7 In his tamen, & ſimilibus dubijs caſibus conſulerem ad cautelam, quod recurratur ad ſuperiorem, qui diſpenſet: ipſius enim eſt in illis diſpenſare, vel votum in multò minus commutare; ſicuti præter alios tradunt Filliuc. *tom.* 2. *tract*, 23. *c.* 9. *num.* 393. Villalobos *to.* 1. *tract.* 24. *dub.* 16. *num.* 2. & Malder. *in* 2. 2. *tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 5. aut ſaltem re-
8 currendum eſt ad medicum, qui conſulat; quod ſi ipſe medicus etiam de grauitate incommodi, quod experiri poſſit infirmus, dubius erit, debebit infirmum ab onere liberare, propter rationem iam tactam. Atque ita docet Bonac. *tract. de horis canonicis diſp.* 1. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 5. etſi contrarium ſentire videatur, Suar. *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 21.



DVBITATIO XXIX.


An, bona fidei poſſeſſor in principio, qui poſtea in proceſſu temporis dubitans, rem eſſe alienam, neglexit inueſtigare verum Dominum, vnde impotens poſtea factus eſt, ad eum inueniendum, teneatur ad reſtitutionem?

SVMMARIVM.

1. *Poſſeſſor bonæ fidei in principio, qui poſteà in proceſſu temporis dubitans rem eſſe alienam, neglexit inueſtigare verum Dominum, licet poſtea factus ſit impotens ad eum inueniendum, non tenetur ad reſtitutionem, licet peccauerit non inquirendo veritatem.*

Reſpondetur *ex dictis ibidem* negatiuè, tum ob regulam traditam, tùm quia quamuis peccauerit tunc negligendo inquirere veritatem, à principio tamen poſſidere cœpit bona fide at in dubio melior eſt conditio illius, qui poſſidet, Ergo, &c. tum quia non conſtat, an non inquirendo rei veritatem, damnum alteri intulerit; at qui dubitat, an ſua actione, vel omiſſione fuerit alijs cauſa damni, non tenetur ad compenſationem damni, ergo, &c. Atque ita probabiliter docet Palaus *to.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 9. & Bonac. *de contract. diſp.* 1 *q.* 2. *punct.* 2. *num.* 8. 1

Quamuis contrarium doceat Mol. *to.* 1. *diſp.* 36. *concl.* 1. Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vn ſect.* 23. *num.* 238. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 23. *num.* 183. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *num.* 2. Alphonſus de Leone, *de poteſt. Confeſſ. par.* 1. *recollect.* 15. *num.* 76. *vide ſuprà dubit.* 17.






DVBITATIO XXX.

An, commodatarius, vel Depositarius &c. dubitans vtrum res culpa sua mortifera fuerit amissa, ad restitutionem teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Commodatarius, vel Depositarius &c. dubitans vtrum res culpa sua mortifera, fuerit amissa non tenetur ad restitutionem.*
2. *Item dic de conductore, vel locatario, & similibus contra nonnullos DD. ea ratione quod in dubio potius damnum pati debet, qui beneficium accepit, quam qui contulit.*
3. *Depositarius, vel commodatarius in foro externo præsumitur fuisse in dolo si res ipsius incolumis appareat, quare eidem incumbit onus probandi casu perijsse res depositatas, vel se non potuiße simul seruare res suas, & depositatas.*
4. *In contractibus nemo in conscientia tenetur ad restitutionem nisi de dolo, vel lata culpa Theologica, quæ scilicet pertingit ad peccatum mortale.*


1 Espondetur *ex dictis ibidem*, non teneri (quod & multò magis de
2 conductore, vel locatario. & similibus dico) Ratio, qnia (vt dicebatur) factum, præsertim delictum, in dubio non præsumitur, nisi demonstretur, sicque ipse potius est in possessione suæ propriæ innocentiæ. Atque ita docet Henriq. *lib.* 14. *c.* 15. *in fin.* Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 23. *num.* 243. Less. *lib.* 2. *c.* 27. *dub.* 3. *in fin.* Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 18. Palaus *to.* 1. *disp.* 3. *punct.* 4. *num.* 4. Sanc. *in select. disp.* 43. *num* 11. & Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *num.* 10.

Quamuis oppositum doceat Gallet *verb. commodatum, & verb. Dubium.* Merolla *tom.* 1. *disp.* 3. *c.* 3. *coroll.* 7. *num.* 50. & 51. idque ex eo, quia in dubio potius damnum pati debet, qui beneficium accepit quàm qui contulit.

Sed hæc istorum ratio conuenientiam solum conuincit, non autem obligationem, de qua nunc est quæstio.

3 Aduerte tamen, in foro externo, si res depositarij, vel commodatarij, &c. incolumes apparent præsumitur is fuisse in dolo, ex textu *in cap.* 2. *de deposito*, & ibi Abb. *num.* 2. quare depositario, vel commodatario, &c incumbet onus probandi, casu perijsse res depositas, aut commodatas, &c. vel se non potuisse simul seruare res suas, & depositas, aut commodatas &c & voluisse potius res suas seruare, quam alienas; in his enim casibus cessat dicta præsumptio de dolo, etiamsi res depositarij, vel commodatarij, &c. essent pretij vilioris; sicuti rectè dixit Mascard. *de probat. verb. Depositarius, concl.* 509.

Aduerte secundò, quod dixi, *an res culpa sua mortifera fuerit amissa:* quia in contracti- 4
bus nemo in conscientia tenetur ad restitutionem, nisi de dolo, vel lata culpa Theologica, quæ scilicet pertingit ad peccatum mortale: quare si non adhibeatur diligentia communis (quæ facit solum latam culpam iuridicam) ita tamen, vt in ea excusetur homo à peccato mortali, non obligat in foro interiori illa lata culpa iuridica ad restitutionem. Atque ita sentiunt Sot. *lib.* 4. *de iust. q.* 7. *art.* 2. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 8. *art.* 6. Henriq. *lib.* 14. *c.* 3. *num.* 1. Sà *verb. culpa*, *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 8. *num.* 43. & nos dicemus, *disp. sequenti.*



DVBITATIO XXXI.

Quid dicendum in dubio, an proximus extremè indigeat?

SVMMARIVM.

1. *Proximus in dubio an extremè indigeat, si facta sufficienti diligentia manet dubium de indigentia proximi, non tenetur eleemosynam erogare, tenetur tamen ex charitate veritatem indagare, ne si id omittat periculo peccandi se exponat.*

Espondetur, *ex dictis ibidem*; in 1
dubio, an proximus extremè indigeat (quamuis ex charitate teneatur homo veritatem indagare, siue dubium inciderit, quia pauper suam inopiam proposuit, siue alia via, ne si id omittat, periculo peccandi se exponat; sicuti dubitans, an dies sit ieiunij, vel festiuus, tenetur perquirere veritatem, ne se exponat periculo violandi præcepta (tamen, si facta sufficienti diligentia manet dubium de indigentia proximi, non tenetur eleemosynam erogare; idque tum ob regulam traditam: tum quia in tali casu possidet libertas non erogandæ eleemosynæ, non autem præceptum erogandi illam. Atque ita in terminis huius casus docet Sanc. *in select. disp.* 43. *num.* 20.

DVBITATIO XXXII.

An, Confeſſarius dubitans, vtrum habeat facultatem abſoluendi, poßit abſoluere?

SVMMARIVM.

1. *Confeßarius dubitans an habeat facultatem abſoluendi poteſt abſoluere duabus concurrentibus c[illegible]tionibus, prima vt adſit neceſſitas pœnitentis, [illegible] ſecunda vt abſolutio detur ſub conditione.*
2. *[illegible] poteſt ſimiliter ſub conditione abſoluere pu[illegible], quem dubitat an habeat per-*
3. *fectum [illegible] rationis, & abſoluere adultum, quem d[illegible] præbeat ſufficientem abſolutioni Sacra[illegible] materiam: conſultius tamen eſſet repetere nonnulla peccata aliàs confeſſa, adhoc vt ab[illegible] dari poſſit ſine conditione.*
4. *In neceſſitate pœnitentis, & ſub conditione modo ſupra explicato licitum eſt vti iuriſdictione dubia ſine onere confitendi iterum eadem peccata Sacerdoti alteri iuriſdictionem certam habenti.*
5. *Confeſſio facta in dubio iuriſdictionis impropriè dicto, ſeu poſitiuo, & non excludente iudicium probabile, non eſt repetenda Sacerdoti alteri certam iuriſdictionem habenti.*

1 RESpondetur; *ex dictis ibidem*: Confeſſarius dubitans, an habeat facultatem abſoluendi, puta, quia mortuus, vel ſuſpenſus ſit delegans, vel ipſi ſit reuocata poteſtas abſoluendi: vel dubium ſit aliquo modo priuilegium ſibi conceſſum: poteſt abſoluere, duabus ſaltem conditionibus concurrentibus: prima, vt adſit neceſſitas pœnitentis, puta ſumendi Euchariſtiam, vel quia alioquin non poſſet per longum tempus confiteri &c. Secunda, vt abſolutio detur ſub conditione (*ſi poſſum*) verbis explicata, vel in mente retenta, & cum onere iterum confitendi alteri Sacerdoti certam iuriſdictionem habenti. Probatur: tum ex regula tradita: quia ſcilicet factum in dubio non præſumitur niſi demonſtretur: tum quia in prædictis, & ſimilibus caſibus nihil fit temerè, & irrationabiliter: cum, etſi Sacramentum reuera non ſubſiſtat, nulla ei fiat iniuria: quia conditio nihil ponit in eſſe.

2 Quare ex vi huius vltimæ rationis Confeſſarius poteſt ſimiliter ſub conditione abſoluere puerum, quem dubitat, an habeat perfe-
3 ctum vſum rationis: & abſoluere adultum, quem dubitat, an præbeat ſufficientem abſolutioni Sacramentali materiam.

Quamuis in hoc ſecundò caſu conſulerem potius, vt afferatur materia certa (ſaltem de leuioribus) alias confeſſa, ad hoc vt abſolutio dari poſſit abſolutè, & ſine conditione. Atque ita in terminis caſus poſiti docent Suar. *in* 3. *p. to.* 4. *diſp.* 26. *ſect.* 6. Reginald. *to.* 1. *lib.* 1. *c.* 8. *num.* 102. Coninch. *de Sacrament. diſp.* 8. *dub.* 6. *num.* 43. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 51. *num.* 3.

4 Quinimò addit. Io. Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 27. *num.* 283. quod in neceſſitate pœnitentis, & ſub conditione, modo ſupra explicato, licitum eſt, vti iuriſdictione dubia, ſine onere confitendi iterum eadem peccata Sacerdoti alteri iuriſdictionem certam habenti: durum enim, & intolerabile eſt, inquit ipſe, cogi hominem neceſſitate eligendi confeſſorem dubium, ſicque onere, quod à tali Sacerdote ei imponendum erit, & ſimul cogi ad confitendum iterum eadem numero peccata: quapropter dicendum, ſubdit ipſe, quod ſine tali onere in caſu prædicto abſolutio ſit valida.

Confirmatur, quia in dubio iuriſdictionis 5 impropriè dicto, ſeu poſitiuo & ab excludente iudicium probabile, confeſſio facta, non eſt repetenda Sacerdoti alteri certam iuriſdictionem habenti: Ergo nec in dubio propriè dicto, ſeu negatiuo. Conſequentia probatur, nam eadem ratio, (quantum ad hoc, videtur eſſe in vtroque caſu) quod Eccleſia ſuppleat, & tribuat iuriſdictionem, ſi fortè reuera à parte rei in abſoluente illa non ineſſet.

DVBITATIO XXXIII.

Vtrum iudex in pari dubio iuris teneatur adiudicare?

SVMMARIVM.

1. *Iudex in pari dubio iuris, ſi ſit omnino pendulus, tenetur fauere ei, qui bona fide poſſidet, nec poteſt iſtum cogere vt partem reſtituat alteri.*
2. *Iudex tenetur rem diuidere in vtrumque ſi neuter poſſideat, aut alter mala fide poſſideat contra docentes rem indiuiduam poſſe iudicem applicare cui voluerit.*
3. *Epiſcopus duobus æque dignis beneficium pe-*
4. *tentibus poteſt dare cui maluerit, quia indiuiduum eſt, quæ tamen ratio ſecundum Auctorem non applicatur, & cur.*
5. *Iudex ſi eſt in dubio iuris inæquali debet diuidere inter vtrumque plus, minuſve ſecundum partem dubij, ſi autem eſt in opinione probabili, debet iudicare ſecundum ſententiam quæ inſpectis allegationibus, & probationibus probabilior, & iuri conformior eſt.*
6. *Iudicis officium eſt partibus litigantibus ſententiam dicere ſecundum merita cauſæ.*
7. *Iudex quod poſſit, ſi ſint contrariæ opiniones probabiles de iure, iudicare, relicta probabiliori ſecundum alteram probabilem, quod*

confirmat Aragonius, non probatur Auctori.

8. *Neque ei probatur dictum Valentiæ, Sayr, & Sanch. quod si oppositæ opiniones æque probabiles videantur in iudicis arbitrio sit causam adiudicare vtri parti maluerit.*

9. *In iudicijs non est habenda acceptio personarum.*

10. *Causa probabilior censeri debet, cui lex eo loco recepta fauet.*

11. *Iudex supplere, ac proferre potest id quod à litigantibus vel eorum Aduocatis minus dictum fuerit.*

12. *Iudex non debet proferre eam, quæ ad factum pertinent, nisi quorum publicam notitiam ex actis, vel instrumentis accepit.*

13. *Causa probabilior censeri debet cui consuetudo fauet.*

14. *Item cui communiter fauent Doctores eo genere causarum periti.*

15. *Item cui fauent rationes firmiores: imo si ratio efficax sententiam minus communem firmet, interdum communiori licitè præfertur.*

16. *Cæteris paribus benigniora præferri debent.*

17. *Cum iura partium sunt obscura reo potius fauendum est quam Actori.*

1 RESpondetur, *ex dictis ibidem*: In pari dubio iuris, (ita vt iudex sit omnino pendulus) tenetur iudex adiudicare, seu fauere ei, qui bona fide possidet: nec potest istum cogere, vt partem restituat alteri: tùm ob regulam traditam: tum quia in dubio (vt supra dicebatur) ius retinendi habet, qui bona fide possidet.

2 Quod si neuter possidet, vel si qui possidet, malá fide possidet (cùm tunc possessio ei minime suffragetur) tenetur iudex inter vtrumque diuidere: quia æquale est vtriusque ius.

Quamuis Petr. Ledesma *de matr. q.* 45. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 3. *prima sent.* doceat, rem indiuiduam posse iudicem applicare, cui voluerit:
3 sicut duobus æquè dignis beneficium petenti-
4 bus, potest Episcopus dare cui maluerit, quia indiuiduum est.

Sed Ledesmæ sententia mihi non probatur: quia lex iustitiæ petit, vt in tali dubio res sorte concedatur: vel vt vni res, alteri verò dimidium pretium æstimationis detur: Ergo iudex, qui est iustitia animata, eiusque minister, tenetur ita exequi.

Nec est simile de beneficio, quia nullus petentium (cùm neutrius illud sit) habet ius aliquod iustitiæ: etiam distributiuæ, vt sibi conferatur: iustitia enim distributiua tantum petit, vt alteri illorum, cum sint æquè digni, detur: at in nostro casu vterque habet ius iustitiæ commutatiuæ, vt inter eos diuidatur: Ergo dispar ratio. Videri potest Salas *in* 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 23. *num.* 240. Tuschus *verb. medium concl.* 170. Id. Valerus *in differ. vtriusque fori, verb. opinio, diff.* 3. & Homob. *in consultat. cas. conscien. par.* 7. *resp.* 26. *vol.* 2.

5 Porrò, si iudex est in dubio iuris inæquali, debet diuidere inter vtrumque plus, minusve secundùm partem dubij.

Si autem est in dubio improprio, seu positiuo, aut quod idem est, in opinione probabili, debet iudicare secundùm sententiam, quæ inspectis allegationibus, & probationibus probabilior, & iuri conformior est.

Ratio, quia iudicis officium est partibus litigantibus sententiam dicere secundùm merita causæ: at clarum est, eam litigantium partem, quæ causam suam in iudicio secundum leges, & rationes probabilius defendit, merita maiora habere. Ergo, &c. Atque ita docent Sylu. *verb. opinio. q.* 2. Sot. *lib.* 3. *de iust. qu.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Bannez 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *dub.* 1. *ad* 2. & Vasq. *disp.* 64. *c.* 2. 6

Vnde mihi non probatur, quod tradunt Aragon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. & Salon. *ibidem, controuers.* 2. *concl.* 4. & Med. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub. penult. ad vlt.* nempè, quod si sint contrariæ opiniones probabiles de iure, possit iudex, relicta probabiliore, iudicare secundum alteram probabilem. 7

Nec etiam mihi probatur, quod docent Valent. *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. Sayr. *lib.* 1. *c.* 11. *propos.* 2. & Sanch. *lib.* 1. *moral. c.* 9. *num.* 45. nempe, quod si oppositæ opiniones æquè probabiles videantur, in iudicis arbitrio sit, causam adiudicare vtri parti maluerit, v. g amico, beneuolentiæ gratia: nam saltem ab æquitate alienum omnino est, si duo æquale ius habeant, iudicem, qui est iuris interpres, iustitiæque minister, vni eorum totum adiudicare, alterique totum abiudicare. 8

Confirmatur, quia ex iuris regula 12. *in* 6. habetur, quod in iudicijs non est acceptio personarum habenda. Quare, si post causæ diutius dilatæ accuratam discussionem, neutra litigantium pars, inspectis allegationibus de facto, aut de iure, superare videtur, ad Superiorem iudicem causa ableganda est: vel arbitri partium consensu statuendi, vel compositio persuadenda, quinimò aliquando imperanda; sicuti rectè docet Abb. *in c. vlt. not.* 4. *de maior. & obed.* vel denique vni dimidium, alteri alterum dimidium rei, de qua lis est, adiudicandum, vt supra dicebatur. 9

Cæterum probabilior causa censeri debet, primò cui lex eo loco recepta fauet: nam iudex in mandatis habet, vt secundum leges iudicet, *l. nemo, C. de sent. & interloc. c.* 1. *de constitut. & cap. in istis, d.* 4. 10

Quinimò, si à litigantibus, vel eorum aduocatis minus dictum fuerit, iudex supplere, ac proferre potest, quod scit legibus, ac iuri publico conuenire, iuxta tit. Cod. *vt quæ desunt Aduocatis*, &c. iuncta gl. & notauit Abb. *in c. Raynutius, num.* 11. *de testam.* vbi sic ait: Vbicumque aliquod ius ex deductis in iudicium competit parti, licet pars ignoret, potest, & debet iudex ex officio supplere, cum ipsi notorium sit: quidquid in contrarium in hac re dixerit Vasqu. *cit. c.* 2. illa tamen, quæ ad factum pertinent, proferre iudex non debet, nisi quorum publicam notitiam ex actis, vel instrumentis accepit. Qua de re vide eumdem Abb. *in cap. bonæ, num.* 9. *de postulat. Prælator.* 11 12

Secundò, cui consuetudo fauet, iuxta *l.* 1. *Cod. quæ sit longa consuetudo*: nam in dubio consuetudo est optima legum interpres. *l. si de interpretatione,* 14

interpretatione, ff. de legib. & notauit Abb. *in cit. cap. 1 num.* 14. *de constit.*

14 Tertiò cui communiter fauent Doctores eo genere cauſarum periti; communis autem opinio non ex opinantium numero æſtimanda eſt (cum fieri ſoleat, vt vnius dictum plures, nulla noua ratione moti, ſed velut oues ouem ſequantur) niſi etiam alij in nullius verba iurati, ſed ex profeſſo quæſtionem tractantes, probis rationibus eamdem ſententiam confirment; ſicuti rectè notauit præter alios Nauarr. *c. 27. num. 286. & ſeqq.*

15 Quartò, cui fauent rationes firmiores: imò ſi ratio efficax ſententiam minus communem firmet, interdum communiori licitè præfertur, iuxta illud, quod rectè etiam dixit Nauar. *c. 12 num.* 10. à communi ſententia recedendum eſt, niſi in contrarium ſit textus expreſſus, vel efficax ratio.

16 Quinto cæteris paribus benigniora præferri debent, *iuxta regul.* 56. *ff.* videlicet quod promiſſori fauet vt is in caſu dubio minus aſtringatur, *l. quidquid, ff. de verb.* [illegible] *ff. de regulis iuris.* [illegible] fauet fidei religioni, atque [illegible] nam tales cauſæ quam maximè [illegible] ſumma enim ratio eſt, quæ pro religione facit, vt habetur *in l. ſunt per-ſonæ. ff. de religioſ. & ſumpt. funerum.* Item

17 cum iura partium ſunt obſcura, reo potius fauendum eſt, quam actori, *reg.* 11. *in 6.* quare actore non demonſtrante reus abſolui debet non quidem pronunciando cum innocentem eſſe (nam cum cauſa dubia ſit, talis ſententia ſubeſſet periculo erroris) ſed crimen de eo demoſtratum non fuiſſe.

DVBITATIO XXXIV.

Quid dicendum in dubio, an effectus ſit à dæmone.

SECTIO I.

Dubitationis reſolutio.

SVMMARIVM.

1. *Effectus in dubio cenſetur potius à cauſa naturali, quam à dæmone.*
2. *Opinio Caietani recenſetur, qua excuſauit à peccato mortali eos, qui imagines aſtronomicas ſub certa conſtellatione fabricarunt, de quibus multa ſcribit Cornelius Agrippa.*
3. *Opinio aliorum contra Caietanum oppoſitum tenentium affertur.*
4. *Res naturalis ſi dubitetur an ei vis talis in eſſe poſſit, non ſtatim tanquam ſuperſtitio magica damnari debet; præſertim quia admirabiles rebus multis virtutes inſunt, plerisque etiam doctis viris incognitæ.*
5. *Vtens ad ſui morbi depulſionem re naturali dubia in caſu de quo agitur conſultius eſſet ſi præmitteret proteſtationem ſe nolle conſequi effectum ſi diabolica ſit.*
6. *Proteſtatio prædicta non excuſabit à peccato ſi certum ſit rem, quæ adhibetur ſecundum ſe vanam, & inutilem eſſe.*
7. *Cauſa adhibita quotieſcumque nequit effectum naturaliter producere, eſt ſuperſtitio, & ad tacitum cum dæmone pactum ſpectat.*
8. *Superſtitio eſt, ſi quis v. g. reliquias, vel ſchedulas ſacris verbis, aut ſigno crucis inſcriptas geſtet cum certa perſuaſione ſe propterea non poſſe offendi ab inimicis, aut non poſſe mori ſine confeſſione, & cur, ſecus tamen ſi in his,*
9. *& ſimilibus caſibus ex ſola deuotione effectus ſperetur, ex quo ceſſat ſuperſtitio, cum à Deo (& non à Dæmone) piè, & miſericorditer effectus expectetur.*
10. *Verba Caietani deſcribentis varias ſuperſtitionum ſpecies referuntur.*
11. *Superſtitio eſt etiamſi certo alicuius diei feſto die venam equis ſecet: ter circa templum obequitet: Die Sancti Ioannis Baptiſtæ flore decerpat ad morbos auertendos: certo numero precum, & candelarum quis eleemoſynarum o & etiam Miſſarum vtatur.*
12. *Effectus an in dubio ſit à cauſa naturali, vel à dæmone, & ſic an licitus, vel illicitus probabiliter à cauſa naturali potius, & ſic licitus indicandus eſt.*
13. *Oppoſitum etiam probabiliter docent alij inter quos Emanuel de Moura.*
14. *Enſalmus concurrentibus talibus indicijs, quibus intellectus prudenter dubitet vtrum operetur virtute naturali, diuina vel diabolica fas non eſt ſecundum ſupradictum Auctorem eo vti.*
15. *Enſalmo dubio ſaltem ad medendum, & ſuccurrendum graui neceſſitati fas non eſt vti ſecundum præfatum.*
16. *Dæmon in dubio quod ſit auctor enſalmi fas non eſt, illo vti neque ſub conditione, & proteſtatione, ſi dæmon non ſubeſt*
17. *Non eſt licitum ſecundum Leſſium vti remedio ſuperſtitioſo, & de quo dubium eſt an contineat tacitam dæmonis inuocationem.*
18. *A mago fas non eſt petere vt maleficium diſſoluat, ſi dubitetur an id ſine nouo maleficio diſſoluat.*
19. *Id de quo dubium eſt an ſine peccato fieri poſſit, ſicut abſolutè non eſt faciendum, ita nec abſolutè ab alio petendum vt ille faciat: ſecus quando conſtat ſine peccato fieri poſſe, & cauſa iuſta petendi ſubeſt ſaltem ſub conditione, & proteſtatione.*

RESpondetur *ex dictis ibidem*; in dubio, an effectus ſit à cauſa naturali, vel à dæmone; & ſic an ſit licitus, vel illicitus; à cauſa naturali potius, & ſic licitus iudicandus eſt, tum ob regulam datam; tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem.

2 Hinc fortasse Caiet. 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. excusauit a peccato mortali eos, qui imagines astronomicas sub certa constellatione ad aliquem effectum fabricantur; vt si quis sub signo Leonis sculpat in auro figuram Leonis, quam dicunt valere, & vim concipere contra phantasmata melancholica, hydropem, pestem, & febrem, si fiat Sole existente in prima facie Leonis, id est, in aliquo ex decem primis gradibus illius signi; si autem fiat Sole in corde Leonis existente, & medium cœli tenente, dicunt, valere, & vim concipere contra calculum, & nephreticos dolores, & alia huiusmodi, de quibus multa scribit Cornelius Agrippa, *lib.* 2. *de occulta Philosophia à c.* 35. *vsque ad* 48.

3 Quamuis alij communiter contra Caiet. oppositum sentiant; qui pro se adducunt S Augustinum, *lib.* 10. *de ciuitat. c.* 11. & Sanct. Thomam *cit. q.* 96. *art.* 2. *& lib.* 3. *contra gentes, cap.* 105.

4 Hinc secundò, si dubitetur, vtrum rei ad sanandum applicandæ, eiusmodi vis naturalis in esse possit, non statim, tanquam superstitio magica damnari debet; præsertim, quia admirabiles rebus multis virtutes insunt, plerisque, etiam doctis viris, incognitæ; sicuti bene ostendit victoria in *relect. de arte magica q.* 3. *num.* 6. & Sanch. *in loco infra citando.*

5 Quare hoc casu suaderem homini, qui experientia motus huiusmodi re, tanquam idonea ad morbi alicuius depulsionem vti vellet, vt expresse protestaretur, si vlla vis diabolica ex quocunque pacto superstitioso subsit, nolle se effectum consequi, sicuti notauit Philiarch. *tom.* 1. *de offic. sacerdotis, p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *concl.* 4. & Sanch. *vbi infra, num.* 25.

6 At, si certum aut prope certum sit, rem, quæ adhibetur, secundum se vanam, & inutilem esse, non excusabit protestatio; cùm sit tunc protestatio contraria facto. Excipe, nisi id fiat non ad experiendum, sed ad conuincendam institutionem dæmonis; qua ratione Caiet. *verb. Incantatio*, ait, demonstrasse se superstitionem illam mouendi anulum, pronunciato versiculo Psalmi: cùm enim protestaretur, nolle se versum pronunciare secundum dæmonis institutionem, sed ad Deum laudandum, anulus motus non fuit.

Vide victoriam, Philiarch. *in locis suprà cit.* & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 40. *num.* 44. vbi expressè ait, quod, si dubium sit, an effectus à causa naturali proueniat, eo quod non constet, an vires causæ naturalis excedat, nec ne, censendum sit, potius eum à causa naturali prouenire, quam à dæmone: quia cùm innumeræ agentium naturalium vires nos latitent non est, cur (ex eo, quod virtus illa nobis dubia sit) effectum illum causæ naturali negemus, nec absque necessitate confugiendum est ad occultam mali angeli operationem. Si autem constet, effectum illum vires causæ naturalis excedere, inquit (nisi maxima operatis sanctitas, vel alia vrgentissima indicia suadeant, effectum eum à Deo prouenire) censendum esse in dubio superstitiosum, & à dæmone prouenire, etiamsi verba adhibita sint sacra. Ratio, quia quotiescùmque causa adhibita nequit effectum 7
naturaliter producere, est superstitio, & ad tacitum cum dæmone pactum spectat.

Quapropter superstitio est, si quis v. g. re- 8
liquias, vel schedulas sacris verbis, aut signo crucis inscriptas gestet, cum certa persuasione, se propterea non posse offendi ab inimicis, aut non posse mori sine confessione; quia & si nihil superstitionis exterius admisceatur, animus tamen illis rebus superstitiosè vtitur, nempe ad effectum, quem neque ex natura sua, neque ex ordinatione Dei habent, ad certam, v. g. animi, vel corporis salutem consequendam.

Non nego tamen, quod si in his similibus 9
casibus ex sola deuotione effectus speretur nulla interueniat superstitio.

Ratio, quia tunc non à dæmone, sed solum à Deo piè, & misericorditer effectus spectatur.

Quinimò plus addit Caiet. *verb. superstitio*, 10
vbi sic ait: Quarta superstitio est obseruationum in verbis, aut rebus sacris portandis, dicendis, vtendis, adiunctis aliquibus conditionibus non malis, quarum ratio nescitur; vt patientis spasmum neruorum, primo Carlino oblato Christi cruci in Parasceue vtuntur pro remedio, confecto ex illo anulo: & sic de similibus: quantum enim apparet, in huiusmodi superstitio interuenit, quoniam variæ conditiones apparent: si tamen ex mera deuotione fiant, & homines non nisi à Deo intendant, & spectent effectum, putantes Deum inspirasse alicui sancto viro huiusmodi conditiones, non audeo damnare, sed tolerabile mihi videtur. Sic ille.

Idemque similiter dici potest, si quis v. g. 11
certo alicuius Sancti festo die venam equis secet, eos ter circa templum obequitet: die S. Ioannis Baptistæ ad morbos auertendos flores decerpat: certo numero precum, vel candelarum vtatur, &c.

Etsi edoceri hic fideles oportet, rectè quidem eos facere id in honorem alicuius sacri mysterij; sed non ea persuasione, quasi deprecatio Deo grata futura non sit, si alius numerus adhibeatur: v. g. nisi septem Missæ pro defuncto dicantur, septem accensis candelis, vel septem datis eleemosinis, &c. animæ defuncti non sit quod sit profuturum: sic enim superstitiosa, & tollenda persuasio ipsorum esset.

At quidquid sit de hoc, illud saltem (vt à 12
principio dicebatur) probabiliter dicitur, quod in dubio, an effectus sit à causa naturali, vel à dæmone, & sic an licitus, vel illicitus; à causa naturali potius, & sic licitus, iudicandus sit: quamuis oppositum probabiliter etiam 13
doceant alij, inter quos Emanuel de Moura *opusc.* 1. *de Ensal. & incantat. sect.* 2. *c.* 16. 17. *&* 18. vbi quærens primò (an concurren- 14
tibus talibus indicijs, quibus intellectus prudenter dubitet, vtrum ensalmus operetur virtute diuina naturali, vel diabolica, fas sit eo vti? secundò, an fas sit vti ensalmo dubio, 15
saltem ad medendũ, & sucurrendum graui necessitati? Tertiò, an in dubio, vtrum dæmon 16
sit auctor ensalmi, fas sit eo vti, saltem sub

conditione & protestatione, si dæmon non subest) ad omnia hæc negatiuè respondet.

Idemque ex parte docet Less. *lib.* 2. *c.* 44.
17 *dub.* 6 *num.* 46. vbi ait, quod non sit licitum vti remedio superstitioso, aut de quo dubium est an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim est hominem se exponere manifesto periculo superstitionis: nisi forte id facias tacita, aut expressa voluntatis contrariæ protestatione. Pari modo quod fas non sit à Mago
18 petere, vt maleficium dissoluat, si dubitas, an absque nouo maleficio id possit: quia id,
19 de quo dubium est, an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum, vt ille faciat: secus quando constat, sine peccato fieri posse, & causa iusta petendi subest.

Sed quod dixi (*saltem sub conditione, & protestatione* si dæmon non subest) est etiam probabile: quare sit.




SECTIO II.

Quid dicendum de quibusdam in Hispania grauiter vulneratos curantibus?

SVMMARIVM.

1. *Recensentur verba, & ritus quidam in curandis vulneribus qui vigent in Hispania, qui non improbantur dummodo virtus non putetur annexa formulæ verborum, ita vt à quocumque illa adhibeatur effectum habeat, quia in tali casu esset superstitio.*
2. *Formula prædicta, de qua agitur non habet hanc vim à natura, nec etiam à Deo, quia Deus nulla signa per se efficacia instituit præter Sacramenta neque ab Ecclesia.*
3. *Sacramentalia non habent vim nisi per modum impetrationis ad obtinendum à Deo aliquod auxilium gratiæ præuenientis, vel diuinæ protectionis aduersus dæmonum infestationes.*
4. *Hispani præfati curantes modo & formula supradicta vulnera, damnandi non sunt, si virtus putetur annexa personæ, ita vt ab alijs eodem modo adhibitam eadem forma verborum, nihil illa operetur.*
5. *In omnibus signis à dæmone institutis, quæ ex pacto illius operantur, vis operandi est annexa ipsis signis immediatè.*
6. *Quibusdam etiam malis viris à Deo, conceditur gratia curationum, & sic præsumi potest in casu, de quo agitur, si nihil quod aperte sit superstitiosum, in illo deprehendatur.*
7. *Verba, quibus vtuntur Hispani in curandis vulneribus prædictis nihil continent superstitiosum.*
8. *Signum crucis non potest esse suspectum, nisi aliquæ circumstantiæ variæ, tanquam necessariæ ei coniungantur, tunc enim absque dubio dicendum est quod superstitio interueniat.*
9. *Omnis circumstantia inutilis si tanquam necessaria adhibeatur, facit vt opus sit superstitiosum.*
10. *Superstitio grauis est ars notoria, per quam certis verbis, alijsque signis adhibitis, tanquam necessarijs, quorum vis naturalis ad effectum non sufficit, variæ scientiæ seu doctrinæ (quod est proprium Dei) absque labore acquiruntur.*
11. *Superstitio grauis est obseruatio sanitatum, cum scilicet adhibeantur aliqua verba, vel alia signa, aut cæremoniæ inanes ad hominum, vel aliorum animalium curandos morbos, &c.*
12. *Ampliatur eam procedere cum adhibentur quidem medicamenta naturalia, ijs tamen aliqua friuola adiunguntur, tanquam necessaria.*
13. *Item cum adhibentur periammata, amuleta, breuia, inuolucra, reliquiæ, verba sacra, preces descriptæ, quæ gestantur à quibusdam ne possint lædi, aut ne effluat sanguis, aut ob similes alios fines, si contineant aliquas circumstantias inanes, tanquam necessarias.*
14. *Item cum ad sanitatem, & immunitatem à vulneribus hominum, aliorumque animalium corporibus præstandam adhibentur benedictiones, incantationes, insufflationes, ligamina, &c. quæ naturalem vim medendi non habent.*
15. *Exempla multa talium vanitatum recensentur.*
16. *Sagis accidit, vt reipsa interdum deferantur ad montes, prata, vel cellas vinarias dæmonis auxilio sine strepitu reseratis portis, iterumque clausis.*
17. *Sagis prædicta accidere non reipsa, sed per phantasticam dæmonis illusionem docet Nanarrus, & alij.*
18. *Inhalatio super vulnus potest habere peculiarem vim naturalem ad talem effectum ratione temperamenti personæ inhalantis, vel ratione occultæ proprietatis quibusdam viris diuina gratia insitæ.*
19. *Psylli in Africa, & in Italia Marsi extrahebant manuum tactu venena à corporibus, vide varia exempla de nonnullorum virtute ad sanandum varios morbos ibi recensita.*
20. *Gratia sanitatum plenè alicui concessa (sicut erat collata Apostolis, & alijs Sanctis) non est alligata istis externis actibus; tamen collata solum ex parte, vel ad certum morbum, ijs tanquam instrumentis necessarijs alligata est, vt Reges Galliæ curantes strumas, &c.*
21. *Habentes gratiam curationum licitè fungi possunt suo munere, cum Dominus velit per istos homines nobis misericordiam impertiri.*



Espondetur *ex dictis sectione præcedenti*: Non damnarem illos qui, 1
in Hispania multos grauiter vulneratos curant in hunc modum: Primò, cùm quis eorum aliquem curat, facit tres cruces super vulnus, dicendo Hispanicè, *In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*, idque cum quadam inhalatione super vulnus: deinde prolato vino, & oleo dicit etiam Hisp-

panicè; In nocte Sanctissimæ Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI B. Virgo salua Virginitate peperit Dominum nostrum, per mysterium istud altissimum supplico diuinæ Maiestati vt hoc oleum, & vinum benedicere dignetur ad vulnerum curationem, per sanctissimorum verborum virtutem: deinde applicat vulneri, & breui admodum tempore sequitur vulneris curatio. Non, inquam, damnarem huiusmodi homines.

Dummodo virtus non putetur annexa formulæ verborum, ita vt à quocumque illa adhibeatur, effectum habeat: in tali enim casu absque dubio damnandi sunt grauiter de
2 superstitione; quia prædicta formula non habet hanc vim à natura, vt satis per se constat: nec etiam à Deo: quia Deus nulla signa per se efficacia instituit, præter Sacramenta, & hæc non ad corporum curationem, sed animorum: neque etiam ab Ecclesia: quia Ecclesia talem modum non instituit, imò nec instituere potuit: quia non potest signa per se efficacia instituere, præsertim ad effectus corporales. Vide
3 etiam Sacramentalia, (quidquid aliqui dixerint in contrarium) non habent vim, nisi per modum impetrationis ad obtinendum à Deo aliquod auxilium gratiæ præuenientis, vel diuinæ protectionis aduersus dæmonum infestationes, vel aliud eorum incommodum: & hinc fit, vt sæpè non habeant effectum. Confirmatur, quia alioquin deberent illa ab Ecclesiæ ministris, & nomine Ecclesiæ applicari: Restat ergo, vt habeat vim ex institutione, & occulto pacto dæmonis inuisibiliter concurrentis, & sanantis homines remediis naturalibus, quæ ipse optime nouit: subito enim vulnera dæmon curare non potest absque adminiculis rerum naturalium: quare applicando is, nemine aduertente passiuis actiua, vt v. g. quintam essentiam ex diuersis rebus extractam breuiori tempore, quàm vlli medici, vulnera, & morbos curare consueuit, absque dubio igitur damnandi sunt grauiter de superstitione, si virtus putetur annexa formulæ verborum, ita vt à quocumque illa adhibetur, effectum habeat.

4 At non damnarem, si virtus, putetur annexa personæ, ita vt ab alijs eodem modo adhibita eadem forma verborum, nihil illa operetur.

5 Primò, quia in omnibus signis à dæmone institutis, quæ ex pacto illius operantur, vis operandi est annexa ipsis signis immediatè ita vt à quocumque applicentur, eumdem effectum habeant; modo applicatio cum tali animo fiat: Dæmon enim vult concurrere cum omnibus, qui ipsius signa adhibent, adhoc vt omnes sibi obliget. Quod si effectus aliquando non sequitur, id prouenit, vel quia signa ex præscripto ipsius non applicantur, vel quia aliqua conditio, vel pactum ex parte hominis deest, vel quia diuinitus ille impeditur.

6 Secundò quia constat, quibusdam, etiam malis viris, à Deo concedi gratiam curationum; Ergo sic præsumi potest in casu nostro, si nihil, quod apertè sit superstitiosum, in illo
7 deprehendatur; Porrò in illo nihil superstitiosi deprehendi, probatur: nam verba illa nihil continent præter inuocationem Sanctissimæ Trinitatis, confessionem Natiuitatis ex Beata Virgine, & inuocationem diuinæ virtutis per mysterium Sanctissimæ Natiuitatis Domini super oleum, & vinum ad curationem vulnerum; ergo, &c.

Illud autem, per virtutem istorum Sanctissimorum verborum, potest sano modo intelligi, nimirum de virtute rei significatæ, non autem de virtute, quæ annexa sit sono verborum; ergo &c.

Nec potest esse suspectum signum crucis, 8
nisi aliquæ circumstantiæ vanæ tanquam necessariæ, ei coniungantur: tunc enim absque dubio dicendum est, quod superstitio interueniat quia omnis circumstantia inutilis, si 9
tanquam necessaria adhibetur, facit vt opus sit superstitiosum: cùm enim illa non iuuet vt causa, necesse est, quod adhibeatur vt signum, quod cùm non sit à Deo, consequens est, vt ad pacta occulta cum dæmone pertineat. Confirmatur, quia effectus non potest expectari à vi naturali illius rei, nec etiam à Deo, qui talia nec per se, nec per Ecclesiam instituit. ergo expectatur à dæmone.

Hinc superstitio grauis est ars notoria, per 10
quam certis verbis, aliisque signis adhibitis, tanquam necessariis quorum vis naturalis ad effectum non sufficit) variæ scientiæ, seu doctrinæ (quod est proprium Dei) absque labore acquiruntur. Qua arte vtuntur Anabaptistæ, qui cum abiecta perfidia ad fidem redeunt, in pristinam inscitiam relabuntur.

Item superstitio grauis est, obseruatio sani- 11
tatum, cum scilicet adhibentur aliqua verba, vel alia signa, aut cæremoniæ inanes ad hominum, vel aliorum animalium curandos morbos, ad sistendum sanguinem, ad mitigandos dolores, ad conseruandam vitam, vel valetudinem, ad præstandam immunitatem contra læsionem hostium, vel casus fortuitos, & similia.

Quò etiam, spectat cum adhibentur quidem 12
medicaméta naturalia, ijs tamen aliqua friuola adiunguntur, tanquam necessaria. Item 13
cùm adhibentur periammata, amuleta, breuia, inuolucra, reliquiæ, verba sacra, preces descriptæ, quæ gestantur à quibusdam, ne possint lædi, aut ne effluat sanguis, aut ob similes alios fines, si contineant aliquas circumstantias inanes, tanquam necessarias. Item cum ad sanitatem & immunitatem à vulneri- 14
bus hominum aliorumque animalium corporibus præstandam adhibentur benedictiones, incantationes insufflationes, ligamina, &c. quæ naturalem vim medendi non habere, ex vera philosophia per se notum est.

Exempla talium vanitatum multa sunt, v. g. 15
si ferrum, quo læsus es, in porcinum vnguem infigatur, aut certum genus arboris cædatur, sanitatem obuenturam: Si loco vulneris circumligandi, arboris ramus, aut scamni pes ligetur, curationem secuturam: vt olera ab erucis non infestentur summo diluculo quotidie scopis tangenda fore: Vt pluuia eueniat, Sanctorum imaginem aquis mergendam esse: & similia.

Huc etiam spectant mutationes corporum,


quæ in hominum vtilitatem efficiuntur, & à cauſis naturalibus tali modo prouenire non poſſunt; v. g. theſauri occulti inuentio, & tranſportatio: nubium repentina congregatio: de loco ad locum diſtantem deductio, quod
16 ſagis accidit, vt re ipſa interdum deferantur ad montes, prata, vel cellas vinarias, dæmonis auxilio, ſine ſtrepitu reſeratis portis, iterumque clauſis: ſicuti ex communi docent, Sylu. *verb. Hæreſis.* 3. *q.* 6. Paulus Grilland. *de ſortilegijs q.* 7. Malleus maleficorum *par.* 1. *q.* 1. *& p.* 2. *c.* 3. Simanca *de Cathol. inſtitut. tit.* 37. *num.* 6. Delrius *lib.* 2. *magic. diſquiſit. q.* 16. Azor. *to.* 1. *lib.* 9. *c.* 25. *q.* 3. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 44. *dub.* 3. *num.* 15. Suar. *lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 16. *num.* 24. & Petr. Thyræus, *de ſpirituum apparitionibus lib.* 2. *c.* 13. contra Nauarr. *c.* 11. *num.* 38. *verſ.* 32. Rodrig. *to.* 1.
17 *c.* 7. *concl.* 9. exiſtimantes id nunquam reipſa, ſed ſemper fieri per phantaſticam dæmonis illuſionem: quibus etiam fauet auctor, *c. Epiſcops* 26. *q.* 5. ſed non obſtat: quia verum eſt, ſæpè, & ſi non ſemper, Magis, & ſagis talia euenire per phantaſticam dæmonis illuſionem: ... docent Nauarr. & Rodrig. *in locis ſupra citat.*
18 Non obſtat inhalatio ſuper vulnus: inhalatio enim ſuper vulnus poteſt habere peculiarem vim naturalem ad talem effectum, ratione temperamenti perſonæ inhalantis, vel ratione occultæ proprietatis quibuſdam viris diuina gratia inſitæ: vt ex Plinio docet victoria *relect. de arte magica num.* 16. ſcribit enim Plinius *lib.* 28. *Hiſtoriæ naturalis cap.* 3. fuiſſe
19 Pſyllos in Africa, & in Italia Marſos, ex quorum familia qui ducebant originem, erant tales, quorum corpora tactu ipſo leuabant percuſſos ſerpentibus, & manu impoſita corpori venena extrahebant: alios verò fuiſſe quorum corpora ſolo aſpectu erant terrori ſerpentibus: & quemdam in dolium coniectum experimenti cauſa circummulcentibus linguis illæſum penitus extitiſſe: Item fuiſſe alios, quorum ſudor medebatur multis morbis: alios, quorum ſaliua contra ictus ſerpentis, vel caninis valebat, & ſimilia. Item *lib.* 7. *c.* 2. ſcribit, aliquando aliquas partes corporis humani naſci ad aliquos effectus mirabiles, ſicut, inquit ipſe, Pyrrhi Regis pollex in dextero pede tactus lienoſis medebatur: Ergo ſaluari poſſe videtur ſuperſtitio in noſtro caſu, ſiue hæc ſint ita naturalia, vt ex temperamento ſequantur, ſiue pertineant ad occultas proprietates diuinitus inſitas, vel dona quædam, quæ dicuntur gratis data, & referri aliquo modo poſſunt ad gratiam ſanitatum, conceſſa in commodum commune hominum, maximè in quibuſdam locis, vbi id erat neceſſarium, vt de Pſyllis ſcribitur, quorum regio ſerpentibus abundat. Sic quidam habent gratiam curandi ſtrumas, quam habere putatur mas, qui ſeptimo loco continuato ordine naſcitur.

Et quidem non eſt dubitandum, quin Deus poſſit quibuſdam hominibus, vel familijs talem vim concedere, vt ſuo tactu, vel halitu, vel odore poſſint aliquos morbos curare, ſanguinem ſiſtere, ſpiritus euaneſcentes cohibere, partem læſam corroborare, venena extrahere, & ſimilia; ita vt, etiamſi gratia ſa- 20
nitatum plenè alicui conceſſa (ſicut erat collata Apoſtolis, & alijs Sanctis) non ſit, alligata iſtis externis actibus: tamen collata ſolum ex parte, vel ad certum morbum, ijs, tanquam inſtrumentis neceſſarijs, alligata ſit. Sic Reges Galliæ non curant ſtrumas, niſi contactu loci affecti: & Marſi, ac Pſylli non curabant, niſi contactu preſtito.

Vide victoria *in loco ſupra cit.* vbi (cùm de hac re ſe dubitare dixiſſet, & aliqua attuliſſet in contrarium, tales ſcilicet curatores ſæpe eſſe malæ vitæ, vnde verendum, ne ſint impoſtores, & ſic quod effectus potius ſit à dæmone, quàm à Deo) ſtatim ſubdit, *hæc dico, non definiendo*: nam, cùm gratiæ dentur propter bonum commune; fieri poteſt, vt Dominus illam miſericordiam impertiri velit nobis per iſtos ho- 21
mines, qualeſcunque illi ſint. Et paulo poſt iterum illos excuſat exemplo Pſyllorum, & Marſorum.

Vide etiam Nauar. *cap.* 11. *num.* 36. vbi abſolutè dicit, illos licitè poſſe fungi ſuo munere, & rationem aſſignat ex eo, quia eſt gratia gratis data; & citat Margaritam Confeſſorum.

Vide tandem Azor. qui diffusè *lib.* 9. *c.* 25. *q.* 2. exempla prædicta ex Plinio de Pſyllis, & Marſis afferendo, tales curatores defendit.



SECTIO III.

Quid dicendum de ijs, qui ex auium, piſcium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu, &c. de fortuitis euentibus coniectationem accipiunt? vbi & de alijs ſimilia obſeruantibus?

SVMMARIVM.

1. *Accipientes coniectationem ex auium, piſcium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu &c. de futuris euentibus excuſantur ſaltem à peccato mortali.*
2. *Item accipientes hominis vocem præter intentionem, & fortuito prolatam in ſignum proſperi, vel aduerſi euentus excuſantur à peccato mortali.*
3. *Idem dic de alijs vanis, & inutilibus obſeruationibus, v. g. ex ſternutatione, auris tinnitu, vulturis occurſu, corrigiæ ruptione, & alijs huiuſmodi.*
4. *Item dic de ſomniorum obſeruatione, & diuinatione, de occurſibus variorum varia indicantibus, &c.*
2. *Canones nonnulli ſuperſtitioſi ad rem medicam pertinentes recenſentur à Ioanne de Indagine lib.* 4.

6. *Superstitiosi hic recensiti ideò non damnantur de peccato mortali non obstantibus prædictis obseruationibus, quia ab ipsis non fides sed vana tantum formido eis tribuitur, tum quia ratione ignorantiæ, & bonæ fidei non apprehendunt in ijs quidquam mali.*

7. *Homo potest quandoque absque omni peccato ex aliquo præsagio cauere sibi prudenter in operando, dubitans, ne præsens occursus v. g. sit signum futuri, ex communi vtriusque causa, cælesti, vel diuina.*

8. *Credulitas tamen in his rebus facilè reprehendenda est.*

1 Espondetur *ex dictis sectione præcedenti*: Neque damnarem, saltem de mortali illos, (qui ex auium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu, &c. de fortuitis euentibus coniectationem accipiunt.

2 Item, cùm vox hominis præter intentionem, & fortuitò prolata in signum prosperi, vel aduersi euentus accipitur.

3 Et huc pertinent vanæ, & inutiles aliæ obseruationes, v. g ex sternutatione, auris tinnitu, vulturis occursu, corrigiæ ruptione, & alia huiusmodi.

Vide S. Augustin. *lib.* 2. de doctr. Christiana *c.* 20. *si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis lapis, aut puer medius interuenerit* Et iterùm: *Hic sunt etiam illa, limen calcare, cùm ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis, dum se calceat, sternutauerit, redire domum, si procedens offenderit: cùm vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quàm præsens damnum dolere.* Vide etiam Chrysostomum *homil.* 21. *ad populum Antiochenum.*

4 Huc etiam spectant somniorum obseruatio, & diuinatio: Item si egresso foras prima occurrat virgo, & idcirco putet is diem fore sterilem, prosperum verò, & fœcundum, si meretrix: si occursum vulpis, & canis prægnantis, vel æthiopis putet infortunatum: si dies aliquos iudicet infortunatos (vnde nihil in ijs aggredi audet) alios autem iudicet fortunatos.

5 Quò etiam spectant quidam Canones superstitiosi ad rem medicam pertinentes, quales multos habet Ioannes de Indagine *lib.* 4. v. g. non abluendum esse caput diebus Martis: ad subuentionem hypochondriorum auspicatos esse dies Iouis, lunæ, & Solis, inauspicatos autem dies Martis, & Mercurij, natis in Leone infaustos esse dies Iouis, & Saturni, & similes vanitates sine iudicio confictæ, quasi planetæ dies istos peculiariter sibi vindicent, quibus vires suas effundant, quomodocunque calendaria ab hominibus disponantur.

Neque, inquam damnarem, saltem de mortali, eos, qui ex huiusmodi rebus supra dictis
6 coniectationem accipiunt. Ratio, quia ab ipsis non fides, sed vana tantum formido eis tribuitur; tum quia ratione ignorantiæ, & bonæ fidei non apprehendunt in ijs quidquam mali, sed vtuntur, tanquam regulis à Maioribus traditis, & experientia comprobatis: vel ad causas sibi ignotas referunt, vt ait Caiet *verb. superstitio obseruationum.*

Quinimò addo cum Caietano *ibidem*, posse 7
hominem quandoque absque omni peccato ex aliquo præsagio cauere sibi prudenter in operando, dubitans, ne præsens occursus v. g. sit signum futuri, ex communi vtriusque causa, cælesti, vel diuina, vt si quis cadens corporaliter, timeat aliquem casum sibi futurum in statu, vel honore: fieri enim potest, quod vterque casus ab eadem causa cælesti causetur: vel quod dicta, & facta hominum interdum per diuinam prouidentiam assumantur ad alicuius rei significationem, & commonitionem hominis: sicuti docet S. Th. 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. *ad* 3. rectè tamen addit Caiet. *ibidem*, facilem in his credulitatem reprehendendam 8
esse: requiritur enim aliquod singulare lumen, siue instinctum Dei, vt quis ex huiusmodi signo tanquam omine diuino, moueatur ad operandum.



DVBITATIO XXXV.

An, in dubio, vtrùm quis ante quinquennium elapsum ratificauerit professionem, ad illam teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans an ante quinquennium elapsum ratificauerit professionem ad illam non tenetur.*
2. *In fauorem Religionis iudicandum est quandò neutri fauet possessio.*
3. *Ius in casu de quo agitur, propter bonum Religionis præsumit contra professum.*
4. *In dubio etiam an intercesserit metus, & si intercesserit, an ille fuerit iniustus, præsumitur negatiuè.*
5. *Item dicendum secundum communiorem, & probabiliorem opinionem, si sit dubium de animo hominis se obligandi.*
6. *Factum licet non præsumatur, excipitur tamen si illud faciendum erat.*

Espondetur *ex dictis ibidem*: In dubio, an quis ante quinquennium elapsum ratificauerit, professionem, ad illam non tenetur, tum ob regulam traditam: tum quia in dubio melior est conditio possidentis. 1

Non obstat, quod in dubio iudicandum sit in fauorem Religionis: nam id intelligitur, quando neutri fauet possessio: at in hoc casu possessio fauet libertati: ergo, &c. 2

Non nego tamen, quod ius propter bonum Religionis in dicto casu præsumat contra pro- 3

ſeſſum: quapropter Trident *ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 19. præſumit eum ratificaſſe ſuam profeſſionem, ſi per quinquennium contra eam non reclamauerit. Vide Merollam *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *num.* 283. & Sanctorellum *var. reſol. p.* 1. *quæſt.* 48. *num.* 46. *& ſeqq.*

4 Item ex eadem regula ſequitur, quod in dubio, an interceſſerit metus, & ſi interceſſit, an ille fuerit iniuſtus præſumitur etiam negatiuè; & ſic è contra poſſeſſio in tali caſu ſtat pro profeſſione. Atque ita in terminis talis caſus docent Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 3. *um.* 27. & Bartholomæus de Vecchis *in praxi Nouit. diſp.* 13. *dub.* 12. *num.* 22. & habetur *in l.* 2. *C. de his, quæ vi, &c.*

5 Item dicendum ſecundum communiorem, & probabiliorem opinionem, ſi ſit dubium de animo hominis ſe obligandi, quod poſſeſſio ſimiliter in tali caſu ſtet pro profeſſione.

6 Ratio, quia quamquam factum non præſumitur, niſi demonſtretur, iuxta regulam ſupra traditam: excipitur tamen in illa, ſi illud faciendum erat, vt ibidem dicebatur, & docet *Cl... l.* 2. *ff. de probat & in l. contrahenda, ff. de regul. iur.* & Maſcard. *vol.* 2. *de probation. concl.* 734.




DVBITATIO XXXVI.

Quid dicendum in dubio, an peccatum ſit publicum, & in dubio, an factum (quod publicum eſt) ſit peccaminoſum?

SVMMARIVM.

1. *Peccatum in dubio an ſit publicum, & in dubio an factum, quod publicum eſt ſit peccaminoſum præſumitur negatiue.*
2. *Homo non debet priuari Euchariſtiæ Sacramento, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem.*

1 Reſpondetur *ex dictis ibidem*: In dubio, an peccatum ſit publicum: & in dubio, an factum (quod publicum eſt) ſit peccaminoſum, præſumendum eſt negatiuè: & ſic homo non de-
2 bet v. g. priuari Euchariſtiæ Sacramento; tum ob regulam dictam: tum quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, quæ in tali caſu eſt libertas hominis accedendi ad tale Sacramentum; Ergo, &c. Atque ita in terminis noſtri caſus docet Petrus de Ochagauia *tractat.* 2. *de Euchariſtiæ effect. quæſt.* 10. *num.* 4. *& citat* Ledeſmam.



DVBITATIO XXXVII.

An, in dubio, vtrum parentum neceſſitas ſit grauis, licitè poſſit filius ingredi Religionem.

SVMMARIVM.

1. *Filius licitè poteſt ingredi Religionem in dubio an parentum neceſſitas ſit grauis.*
2. *Conſuetudo in dubio an ſit introducta, v. g. vt de ieiunio, vel de feſto ſeruando, præſumendum eſt negatiuè.*
3. *Nemo in dubio præſumitur velle ſe obligare.*
4. *Filius licitè poteſt ingredi Religionem, ſi opinio ſit vtrimque probabilis, etiam ſequendo opinionem minus probabilem.*

Reſpondetur, *ex dictis ibidem*, In dubio, an parentum neceſſitas ſit grauis, licitè poteſt filius ingredi Religionem, tum quia factum (qualis eſt grauis neceſſitas) in dubio non præſumitur, niſi demonſtretur, tum quia, cum in tali caſu dubium ſit filiorum præceptum, poſſidet potius filiorum libertas. 1

Quod & verum eſſe ſuprà diximus, quotieſcunque dubium eſt, an adſit præceptum, vel non, de aliqua re.

Vnde in dubio, an conſuetudo diu introducta (vt de ieiunio, vel die feſto ſeruando, v. g. &c.) obliget ſub præcepto, præſumendum eſt negatiuè; & ſic quod potius ſit conſuetudo, quæ deuotionis, quàm quæ obligationis cauſa fuerit introducta, præſertim, quia generalis regula eſt, quod in dubio nemo præſumitur velle ſe obligare; & quod non eſt apponendum onus, vbi non apparet, nec gratis multplicandæ præcepta, Atque ita contra Azorium *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 18. *quæſt.* 15. docet Suar. *de legib. lib.* 7. *cap.* 15. Rebellius *p.* 2. *lib.* 1. *de contractib. in genere, q.* 2. *ſect.* 1. *num.* 4. §. 2. & Moura *opuſc.* 1. *de enſalm. & incant. ſect.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. & Mæratius *tom.* 1. *tract. de legib. diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 3. 2 3

Item licitè poteſt filius ingredi Religionem, ſi opinio ſit vtrimque probabilis, etiam ſequendo opinionem minus probabilem, ſicuti & in alijs rebus opinabilibus opinionem minus probabilem ſequi licere homini, diximus. Et ratio eſt, quia qui ſequitur opinionem probabilem, licet minus probabilem, adhuc probabiliter operatur, & ſic prudenter, atque adeo ſine peccato. Et ita in terminis vtriuſque caſus docent Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 20. *num.* 8. & Bartholomæus de vecchis *in praxi Nouit. diſp.* 2. *dub.* 8. *num.* 8. 4




DVBITATIO XXXVIII.

An, in dubio, vtrum suffragium tuum concluserit rem iniustam, tenearis ad restitutionem?

SVMMARIVM.


1. *Dubitans an suffragium suum concluserit rem iniustam non tenetur ad restitutionem, licet peccauerit rem iniustam approbando.*
2. *Dubitans an Petrus cum quo lusit, lucratus fuisset, nisi fraudes adhibuisset, ad restitutionem similiter non tenetur, tenetur tamen ad id, quod per fraudem acquisiuit tum ratione rei acceptæ, tum ratione iustæ acceptionis.*
3. *Dubitans an ludens ob fraudem acquisiuerit, dubio perseuerante post diligentiam adhibitam, ad restitutionem tenetur, si à principio dubitauit, si autem post bonæ fidei possessionem semel inchoatam cœpit dubitare, ad restitutionem non tenetur.*

1  Espondetur *ex dictis ibidem*. In dubio, an suffragium tuum concluserit rem iniustam (id est, an fuerit ex suffragijs efficacibus, vel potius ex posterioribus, post vota scilicet sufficientia ad damnum concludendum) non teneris ad restitutionem; tum quia factum (quale est damnum inferre) non præsumitur, nisi demonstretur, tum quia in dubio melior est conditio possidentis; nec est apponendum onus, vbi non apparet. Atque ita contra Petrum Nauarram *lib. 3. cap. 4. num. 35.* docet Iacobus Gordonus *tom. 1. lib. 5. quæst. 6. cap. 2. §. 4. num. 13.* & citat Rebellium.

Peccasti tamen, quia rem iniustam approbasti; & quia per te non stetit, quin damnum inferretur.

2 Hinc etiam in dubio, an Petrus, cum quo lusisti, lucraturus fuisset, nisi tu fraudes adhibuisses, ad restitutionem similiter non teneris: teneris tamen ad id, quod per fraudem acquisiuisti, tum ratione rei acceptæ, tum ratione iniustæ acceptionis. Atque ita docet Salas *in tract. de ludo, dub. 7. num. 5.* Lessius *lib. 2. c. 26. dub. 2.* & Filliuc. *to. 2. tract. 37. c. 7. num. 103.*

3 Vbi aduerte, quod in dubio, an ludens, ob fraudem acquisiueris, dubio perseuerante post diligentiam adhibitam, ad restitutionem teneris, si à principio dubitasti; quia in dubio non potes acquirere: & melior tunc est conditio alterius, bona fide possidentis; si autem post bonæ fidei possessionem semel inchoatam cœpisti dubitare, ad restitutionem non teneris, propter hoc idem principium.



DVBITATIO XXXIX.

An, in dubio, vtrum priuilegium concessum fuerit, præsumatur concessum? vbi multa alia de priuilegijs?

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium in dubio an fuerit concessum; præsumitur negatiuè.*
2. *Priuilegium semel concessum in dubio an reuocatum fuerit, præsumitur negatiuè.*
3. *Priuilegium in dubio an sit reale, vel personale, si re diligenter examinata dubium non potest vinci, reale esse censetur si à principio bona fide incœpit, secus si à principio dubitatum fuit Beneficium Principis latè est interpretandum.*
4.
5. *Priuilegium si deroget iuri communi licet multi DD. existiment esse reale, & sic latè interpretandum, tamen iudicandum est illud esse personale, & sic strictè interpretandum.*
6. *Priuilegium si deroget iuri communi, & etiam iuri tertio censendum est per omnes personale, sicut per omnes restringendum.*

 Espondetur *ex dictis ibidem*; In dubio, an priuilegium concessum fuerit, præsumitur negatiuè, ob regulam traditam: quapropter asserenti incumbit illud probare, & ostendere. *Vide cap. penult. de priuilegijs.* 1

Item in dubio, an priuilegium semel concessum, reuocatum fuerit, præsumitur etiam negatiuè, propter eamdem regulam. Parisius *lib. 2. consl. 61. in fine.* Alciatus *respons. 19. num. 4.* & alij, quos citat, & sequitur Sanctarellus *ver. resol. tom. 1. quæst. 16. num. 11.* 2

Item in dubio, an priuilegium sit reale, vel personale; si postquam cœpisti bona fide possidere, dubitare incipis, & re diligenter examinata dubium non potes vincere, reale illud esse poteris iudicare, quia in dubijs melior est conditio possidentis; Et ita docet Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 1. num. 6.* & 8. & Cabedus *par. 2. decis. 93. num. 4.* Si autem à principio possessionis dubitasti (quamuis Tapia *de constit. Principum, 6 3. num. 31.* & alij censeant, iudicandum tunc esse reale; & Sanchez è contra *lib. 8. de matrim. disp. 27. num. 4.* & Cabedus vbi supra teneant esse personale) ego tamen distinguendum esse arbitror. 3

Aut priuilegium est omnino fauorabile,

quia nec iuri communi, nec iuri tertio contrarium eſt, & [illegible] debet tunc reale, & ſic cenſeri. Atque ita docent Pontius, *de matrim.* lib. 8. *cap.* 15. § 1. *num.* 7. Suar. *de legib.* lib. [illegible] *cap.* [illegible] *num.* 18 & alij, ratio eſt,
4 quia beneficium Principis latè eſt interpretandum, [illegible] *de conſtit. Principum*, & fauores ſunt ampliandi.
5 Aut priuilegium derogat iuri communi tantum, & tunc, licet multi Doctores cenſeant [illegible] illud eſſe reale, & ſic latè [illegible]; tamen puto contrarium; iudico [illegible] tunc eſſe perſonale, & ſic [illegible] interpretandum. Colligo *ex cap.* 1, §. [illegible] *de filijs presbyter. in* 6. vbi reſtringitur [illegible] ex eo, quia à iure communi exorbitat.
6 Aut tandem priuilegium derogat iuri communi, & etiam iuri tertio, & tunc per omnes [illegible] eſt perſonale, ſicque per omnes [illegible] gendum.



DVBITATIO XL.

Quid dicendum in dubio, an hæres ſit fideicommiſſo obligatus?

SVMMARIVM.

1. *Hæres in dubio non cenſetur fideicommiſſo obligatus, [illegible] bona hæreditaria alienare, liber [illegible] cenſeri debet in dubio [illegible] foro interno, quam externo.*



Reſpondetur ex dictis ibidem; In dubio, an hæres ſit fideicommiſſo obligatus, quo minus poſſit bona hæreditaria alienare, ſed tranſmittenda ſint ex mente teſtatoris ad agnatum proximiorem, liber cenſeri debet, non ſolum in foro interno, ſed etiam in externo: tum ob regulam traditam, quia ſcilicet factum (qualis eſt fideicommiſſi obligatio in hærede) non præſumitur, niſi demonſtretur: tum quia, cùm ſit hæres bonorum illorum poſſeſſor, in dubio melior eſt conditio ipſius hæredis poſſidentis: tum quia onus non eſt apponendum, vbi non apparet. Atque ita in terminis noſtri caſus docet Homobonus, *de bonis conſult. moral. volum.* 2. *par.* 7. *reſponſ.* 26.




DVBITATIO XLI.

Quid dicendum in dubio, an puer, qui emiſit votum, iuramentum, vel promiſſionem, & emiſerit habens vſum rationis?

SVMMARIVM.

1. *Puer in dubio an emiſerit votum, iuramentum, vel promiſſionem, & habuerit vſum rationis, cenſetur non habuiſſe, ſic votum, vel iuramentum non tenent.*
2. *Prædicta procedunt in puero vouente non completo ſeptennio, ſecus ſeptennio expleto.*
3. *Rationis vſus adeſſe non ſolet ante ſeptennium completum.*
4. *Dubium an ſeptennium puer compleuerit etiam præſumetur negatiuè, & ſic non tenet votum &c.*
5. *Votum ceſſante dubio licet ante ſeptennium emiſſum fuiſſe conſtet, probabilius affirmatiuè censendum eſt obligatorium eſſe ob vſum ratio-*
6. *nis, qui tunc adeſſe ſolet: tamen non omnino improbabiliter præſumi poteſt oppoſitum maximè extantibus coniecturis in contrarium contra præſumptionem præualentibus.*
7. *Votum ſi dubitetur emiſſum ex deliberationis defectu, v. g. ex aliqua animi perturbatione, ob metum mortis ex morbo, vel naufragio, vel ob iracundiæ calorem, in his caſibus defectus non præſumitur, & ſic votum eſt obligatorium.*
8. *Excipe niſi adſint coniecturæ, quæ vel ſuperent, vel æquiualeant in oppoſitum.*
9. *Idem dic in caſu, quo quis eſt certus ſe emiſiſſe votum ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, contra DD. docentes in tali caſu præſumi debere non adfuiſſe vouentis animum ſe obligandi.*
10. *Votum, vel iuramentum in caſu, de quo agitur non eſt Pontifici reſeruatum.*
11. *Votum, quo quis dubitat de voti valore ex quouis capite aliquale quomodocumque naſcatur dubium, vt ſi quis vouerit expleto ſeptennio, dubitat vero an tunc habuerit vſum rationis, & ſic de alijs, non eſt Pontifici reſeruatum.*
12. *Amplia, omnia quæ dicta ſunt de voto procedere etiam ſi dubitans in eam partem magis inclinet quod. v. g. votum vel iuramen-*
13. *tum emiſerit & c. contra tenentes in tali caſu teneri ſaltem ad partem pro ratione huius maioris propenſionis.*



Reſpondetur, *ex dictis ibidem*: in dubio, an puer, qui emiſit votum, iuramentum, vel promiſſionem, &c. emiſerit habens vſum rationis, præſumitur negatiuè: & ſic quod iuramentum, vel votum, &c. non teneat.

2 Et quidem si vouens septennium non com-
3 pleuerat, conueniunt Doctores. Ratio, quia ante septennium completum vsus rationis adesse non solet: quare, quod is adfuerit, vt pote quid facti, non præsumitur, nisi probetur.

4 Item, si dubium est, an septennium compleuerit, etiam præsumitur negatiué, & sic quod votum, vel iuramentum, &c. etiam non teneant Ratio, quia septennium fuisse completum (quando vsus rationis adesse solet), cùm etiam sit quid facti, etiam non præsumitur nisi demonstretur.

5 Si autem certum est, septennium fuisse completum (quamuis probabilius tunc præsumendum sit affirmatiuè; & sic quod votum, vel iuramentum, &c. teneat. Ratio, quia in illa ætate consueuit adesse vsus rationis, sicuti ex comuni docet Suar *de relig. to. 2. lib. 4. cap.*
6 *6. num.* 10. & Sanchez *vbi supra, num.* 13. tamen non omninò improbabiliter præsumi potest oppositum: & sic, quod etiam in tali casu votum, vel iuramentum, &c. non teneat, cum propter regulam traditam; tum quia in dubio melior est conditio possidentis; & onus non est apponendum, vbi non apparet; Atque ita tenet Sot. *de iustit lib. 7. q. 3. art. 2. docum. 1. vers. sed est hic* Beia *par. 1. cas.* 49. & alij, quos affert Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 9. num.* 12. *in 4. arg.*

7 Quorum setentia probabilis saltem tunc est, quando in contrarium adsunt tales, & tantæ coniecturæ, vt præualeant contra præsumptionem ætatis, & sit sufficiant ad formandum probabile iudicium de defectu vsus rationis: vel saltem æquiualeant præsumptioni ætatis; & sic rem reddant dubiam, & incertam. Vide quæ dicam infrà *dubit.* 41. & 42.

Quod si dubium vsus rationis in emissione voti oritur ex deliberationis defectu: vt quia v. g. emissum fuit ex aliqua animi perturbatione, ob metum mortis ex morbo, vel naufragio: vel ob iracundiæ calorem, &c. in his casibus, quoniam rarò contingit defectus deliberationis, contingisse defectus non præsumitur, nisi demonstretur iuxta alteram nostram regulam ibidem suprà *dubit. 2. in fine traditam.*

8 Excipe, nisi adsint coniecturæ, quæ vel superent, æquiualeant in oppositum, vt mox supra dicebatur in casu præcedenti.

Idemque propter easdem rationes, & cum eadem exceptione dico *in casu, quo quis est cer-*
9 *tus, se emisisse votum*, sed dubitat, an habuerit animum se obligandi.

Quamuis non desint Doctores (inter quos Alphonsus de Leone *in tract. de potest. Confess. par. 1. recollect. 17. concl. 8. num.* 93.) qui doceant, etiam in tali casu præsumi debere, non adfuisse vouentis animum se obligandi, forsan propter nostram eamdem regulam; quia scilicet factum non præsumitur, nisi probetur: & in dubio melior est conditio possidentis: & onus non est apponendum, vbi non apparet.

10 At, quidquid sit de hoc de quo vide *cit. dubit.* 41. & 42. illud saltem dicendum est quod votum, vel iuramentum, &c. in tali casu non sit Pontifici reseruatum. Ratio, quia reseruatio, cùm sit odiosa restringenda est solum ad casus certos vt dicebatur.

Similiter etiam dicendum est quod non sit 11
Pontifici reseruatum votum, quotiescunque de voti valore ex quouis capite aliquale quomodocumque nascitur dubium, vt si quis vouit expleto septennio, sed dubitat, an tunc habuerit vsum rationis, & sic de alijs &c. Vide Suar. *de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 26. num. 6.* Sanchez *lib. 4. moral. c. 40. num. 26. & c. 44. num. 3.*

Aduerte tamen hic, quod omnia, quæ ad- 12
huc dicta sunt in casu de dubio, intelligēda etiā sint in casu, quod qui dubitat, in eam partem magis inclinet, quod votum, vel iuramentum, &c. emiserit, quod vsum rationis, animum obligandi &c habuerit. Ratio, quia licet in his casibus pro voto, vel iuramento, &c. fortiores vrgeant rationes: ita vt homo possidens libertatem in partem eorum magis inclinet: si tamen non adsunt adeò efficaces, vt talis partis assensum certum moraliter generent, sed adhuc rem dubiam relinquant, certa dubitantis possessio huic inæqualitati præponderat: & sic ad illa non tenetur. Atque ita contra Rebellium *par. 2. lib. 1. q. 2. sect. 2.* Filliuc. *to. 2. tract. 21. c. 4. num.* 165 & Sanchez *de matrim. to. 1. lib. 2. disp. 41. num. 34.* (qui docent, quòd, quamuis vouens in tali casu non tenetur integrè ad votum, tenetur 13
saltem ad partem, pro ratione huius maioris propensionis) tenent Sanchez se retractans *lib. 1. moral. cap. 10. num 36.* Lorca *in 1. 2. disp. 38. membr. 3.* Garsia *de benefic. tom. 2. par. 7. cap. 2. num.* 23. Fernand. *par. 1. cap. 2. §. 2. num.* 4. Palaus *tom. 3. disp. 3. punct. 9. num.* 2. & idem de dubitante in materia iustitiæ docuit Vasq. 1. 2. *disp. 66. cap. 7. num.* 42. & Salas 1. 2. *tom. 2 tract. 8. disp. 1. sect. 23. num.* 231. & alij passim.



DVBITATIO XLII.

An, tenearis promissione, voto, vel iuramento, si dubites, adfuisse animum promittendi, vouendi, vel iurandi?

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum, votum, aut promissio quando verba habent sensum ambiguum non tenent.*
2. *Iuramentum, votum, aut promissio cum verba prolata non patiuntur dubiam significationem, sed certam ex nonnullorum sententia licet non teneat, secus tamen est in Auctoris sententia.*
3. *Factum licet non præsumatur, tamen præsumitur si illud faciendum erat.*

4. *Abſit vt quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradu ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.*
5. *Verba ſunt ſigna intentionis, dum contrarium non probatur, nemo enim præſumitur dicere quod non ſentit.*
6. *Probato facto præſumitur adfuiſſe omnia requiſita ad illud.*
7. *Profeſſus probata profeſſione præſumitur habuiſſe legitimam ætatem, & neganti incumbit onus probandi.*
8. *Limita ſupradictam doctrinam non procedere in iuramento metu extorto, quia cum habeat ſufficientem cauſam ſimulandi ob vim ſibi factam,*
9. *præſumitur ſimulatio quod tamen Auctori non probatur quia præſumere ſimulationem in iurante, eſt præſumere delictum.*
10. *Dubitans an cum ambiguitate, vel reſtrictione mentis iurauerit non tenetur iuramento, neque in tali caſu præſumitur delictum cum habeat ſufficientem cauſam æquiuocandi.*

1 Suppono, dubium oriri poſſe ex duplici capite. Primò ex eo, quòd verba probata habent ſenſum ambiguum (nam aliquando accipiuntur in ſenſu vero promiſſorio, aliquando non: aliquando enim denotant promiſſionem veram, aliquando propoſitum: item aliquando iuramentum aliquando ſimplicem aſſertionem, vt ſi dicas per fidem, vel conſcientiam meam hoc faciam) ſecundò ex intentione, an ſcilicet habueris animum promittendi, vel ſimulandi: hoc ſuppoſito.

2 Reſpondetur in primo caſu, perſeuerante dubio non teneris voto, iuramento, vel promiſſione, ita Suar. *tom. 2. de relig. lib. 2. de iuram. cap. 33. num. 3. & lib. 4. de voto, cap. 6. num. 2.* & probatur: quia tunc dubium eſt, an ſit votum ſicque fauendum eſt libertati, ſicuti ſupra dicebam: & colligitur *ex c. clericus de iureiur.* vbi clericus, qui iurauit ſeruare ſtatuta ſuæ Eccleſiæ, præſtito iuramento, aliud deinde ſtatutum factum eſt, promiſitque per idem iuramentum factum, ſe ſeruaturum nouum illud ſtatutum, & reſpondit Papa, licèt tranſgredi non debuerat, quod promiſit, non tenetur ad illius obſeruationem ex debito præſtiti iuramenti: cum dubium eſſet an, iuramentum antiquum ad præſentem materiam extenderetur.

3 At in ſecundò caſu, cum verba prolata non patiuntur dubiam ſignificationem, ſed certam, & dubitatur, an habueris intentionem iurandi, & promittendi, vel ſimulandi: Aut dubitatur, an ſciueris, iuramentum, votum, vel promiſſionem obligare (quamuis tunc aliquis putare poſſet, in tui fauorem faciendam eſſe interpretationem, quia poſſides tuam libertatem, dum non conſtat, ligatum te fuiſſe: ſed cum dubius ſis de intentione promittendi, non tibi conſtat, ligatum te eſſe, quia non conſtat de promiſſione, quæ ad ſui conſtitutionem, & eſſentiam requirit intentionem, tùm quia dubius, an ſit impoſita lex, vel factum fuerit votum, lege. & voto non teneris, at qui dubitat de intentione, dubitat de voto, promiſſione, iuramento: cùm hæc nequeant eſſe ſine intentione, ergo) tamen dicendum eſt, te teneri: ita Suar. *lib. 2. cap. 33. num. 4. & lib. 4. cap. 6. num. 4.* Sanch. *lib. 1. diſp. 9. n. 13.* Nauar. *lib. 3. conſil. tit. 34. de voto, conſil. 4. in fin* Sylu. *verb. iuramentum, 4. quæſt. 7.* & Cordub. *ſum. quæſt. 147.*

Probatur, quia ex dictis *dubit. 2.* licet factum non præſumatur, niſi demonſtretur, tamen præſumitur, ſi illud faciendum erat: ratio, quia non debet præſumi delictum, niſi probetur, *ex c. abſit. 11. quæſt. 3. Abſit, vt quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradu ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt. ex l. merito ff. pro ſocio.* vbi Doctores, & Menoch. *conſil. 99. num 12. & conſil. 101. num. 54.* Alciat. *in tractat. de præſump. reg. 3. præſump. 1. num. 1. &* Maſcard. *de probat. verb. delictum, concluſ. 496. num. 1.* At ſi in tali dubio animus abſuiſſe præſumatur, delictum præſumitur, ergo non eſt præſumendus abſuiſſe. 4 5

Secundò quia verba ſunt ſigna intentionis, dum contrarium non probatur (nemo enim præſumitur dicere, quod non ſentit, *l. abeo ff. de ſupellect. legat.* & tradit Bald. *in c. mandatum, de præſcript in princ. & in rubr. de Teſtib. & in l. voluntas C. de fideicom.* Menoch. *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 35. num. 2. & ſeqq. & lib 3. præſump. 1. num. 37.* & Tiraqull. *in l. ſi vnquam. verb. libertis, num. 17. & ſeqq.*) ergo dum non, probas abſuiſſe intententionem, præſumendum eſt, ex verbis adfuiſſe. 6


Tertiò, quia probato facto, præſumitur adfuiſſe omnia requiſita ad illud, Sanch. *lib. 1. diſp. 9. num. 13. ex* Abb. *in c. 1. de his, quæ vi, num. 9. & c. in præſentia de probat.* vbi probata profeſſione, præſumitur profitens habuiſſe legitmam ætatem, neganti incumbit onus probandi: ergo cùm conſtet de voto: iuramento, vel promiſſione, præſumitur adbuiſſe animus ad illam requiſitus. At oppoſita patet ex dictis. 7 8

Cæterum ſupradictam doctrinam limitant Abb. *in c. ſi verò, de iureiur. in fine,* Angel. *verb. iuramentum, 5. num. 10.* Syl. *verb. iuramentum, 4. quæſt. 7. diſp. 4* & Seraphin. *de priuileg. iurament. priuileg. 110. num. 16.* vt non intelligatur de iuramento metu extorto: tunc enim aiunt, non præſumi in dubio, iurantem habuiſſe intentionem iurandi, vel ſe obligandi: quia cùm habeat ſufficientem cauſam ſimulandi ob vim ſibi factam, præſumitur ſimulationem adfuiſſe. 9

Sed hæc limitatio mihi non probatur: quia præſumere ſimulationem in iurante, eſt præſumere delictum, quod non præſumitur: præcipuè cùm non cedat in fauorem promittentis, cui magis faues affirmando, eſſe obligatum promiſſione, quàm eſſe delinquentem ſimulatione Felin., *in c. ſi verò de iureiur. in fin.* Alex. *ibidem num. 42.* Imol. *in c ad audientiam, de his, quæ vi, num. 5.* Couar. *4. decret. 2. par. cap. 3. §. 3. num. 3. in fin.* Gutier. *de iuram. 1. par. cap. 17. num. 20.* Sanchez *lib. 1. diſp. 9. num. 13.* & Suar. *lib. 1. de iuram. cap. 33. num. 6.* 10

Qui tamen, & rectè aduertit, ſi dubites, an cum ambiguitate verborum, vel reſtrictione mentis iuraueris, te non teneri iuramento: quia tunc dubitas de iuramento: neque in ta-

li casu præsumitur, te delictum commisisse, cùm habeas sufficientem causam æquiuocandi: quamuis, vt cum fundamento tale dubium habere possis, debes prius nosse æquiuocare: aliàs non potes confugere ad æquiuocationem, si ipsam prius ignorabas apponere.



DVBITATIO XLIII.

An, tenearis promissioni, voto, vel iuramento, si dubites adfuisse deliberationem?

SVMMARIVM.

1. *Promissio vt annulletur non potest desumi efficax argumentum à tenera ætate, potest enim puer ante septennium esse doli capax, & proinde valere votum, & iuramentum, sicut & sponsalia.*
2. *Votum, iuramentum, & promissio facta ante septennium non valent, & in casu dubio nulla reputantur, quia non leuis coniectura est defecisse vsum rationis.*
3. *Votum, iuramentum, & promissio facta post septennium, quia ius præsumit perfectum vsum rationis, valida debent reputari.*
4. *Opinio Sanch. & aliorum stat pro parte affirmatiua, hoc est votum, iuramentum, & promissionem valere, putant enim præsumendum esse septennium expletum, eo quod præsumptio in tali casu desumenda sit à communiter accidentibus.*
5. *Actus valor pro quo stat possessio in dubio semper præsumitur.*
6. *Dubitans de perfecto vsu rationis in casu, de quo agitur, & nesciens se expleuisse septennium, non tenetur ad votum, nec iuramentum, nec promissionem in sententia Auctoris.*
7. *Votum, iuramentum, aut promissio non præsumitur cum de constituentibus illa dubitatur.*
8. *Votum, iuramentum, & promissio in dubio interpretari debent in fauorem iurantis.*
9. *Textus in cap. in præsentia de probationibus declaratur non obstare, quia testes inducti ad probandam ætatem defecerunt in probationibus.*
10. *Votum, iuramentum, aut promissio non præsumuntur facta in somno, ebrietate, aut phrenesi, sed tempore sanæ mentis, ac proinde valere, secus dicendum in amentibus, quando amentia continuo aliquo tempore durat.*
11. *Qualitas, quæ naturaliter homini inest, præsumitur adesse, dum de contrario non constat.*
12. *Votum. iuramentum, & promissio facta tempore somni, ebrietatis, & phrenesis non valent.*
13. *Habens pollutionem nocturnam si dubitet an habuerit perfectum vsum rationis, de quo non præsumitur, censetur mortaliter non peccasse ob defectum perfectæ libertatis.*
14. *Votum, iuramentum, & promissio regulariter loquendo præsumitur facta tempore sanæ mentis, sed cum restrictione nisi ex alijs coniecturis contrarium colligatur.*
15. *Vsus rationis præsumitur in casu dubio in ijs, quæ spectant ad fauorem personæ, non tamen in ijs, quæ sunt ei oneris, & obligationis.*
16. *Votum, iuramentum, & promissio facta tempore subitæ passionis, vel alterius perturbationis, quia vere dubius est de suo vsu rationis, non valet, regulariter tamen hoc dubium non datur.*
17. *Iræ calor raro, vel nunquam vsum rationis tollit, quin operatio inde orta habeat sufficientem libertatem ad bonum, & malum.*
18. *Iræ calore cessante licet quis aliquid non faceret, ex quo Sanctus Antonius arguit de obligatione, Auctor tamen stat in contrarium, cum multa fiant calore iracundiæ deliberatione ad peccatum mortale sufficienti.*

SVppono, quod deliberatio deesse potest, Primò ex tenera ætate. Secundò ex impedimento naturali, & accidentali, vt ex somno, phrenesi, vel ebrietate, Tertiò ex subita passione. Hoc supposito.

1 Respondetur, Ex tenera ætate præcisè non potest desumi efficax argumentū ad annullandam promissionem: potest enim puer ante septennium esse doli capax, vt colligitur *ex. c. Iuuenis de sponsalib.* ac proindè valere votum, & iuramentum, sicut & sponsalia: At quia
2 ante septennium raro perfectus vsus rationis contingit, ideò regulariter nec votum, nec iuramentum, nec promissio ante septennium facta valere reputantur; at in casu dubio inualida reputari possunt, quia non leuis coniectura est, defecisse vsum rationis; è contra verò
3 transacto septennio, quia ius præsumit perfectum vsum rationis, nisi contrarium probetur, valida debent reputari, vti *dubit.* 40. dicebam, & docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 9. *num.* 12. *&* 14. *& lib. de vot. cap.* 1. *num.* 14. & Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de voto, cap.* 6. *num.* 6. *& seqq.*

At quid dicendum in dubio, an expleueris septennium?

4 Nnonulli (vt Sanch. *cit. cap.* 1. *num.* 14.) putant, præsumendum esse, te expleuisse septennium, sicque votum, iuramentum, &c. valere; quia sic communiter accidit, cùm rarò fiat votum, vel iuramentum, &c. ante septennium, & præsumptio debeat sumi ex communiter contingentibus; tùm quia constat de voto, vel iuramento, &c. excusatio autem est dubia; ergo est iudicandum pro voto, &c. tùm quia in dubio semper defendendus est valor actus, pro quo stat possessio: tùm *ex c. in præ-*
5 *sentia de probat.* vbi allegantī, votum emisisse in minori ætate, neque probanti sufficienter, declaratur valuisse; tùm quia ex Baldo *in l. si maior in in fin. C. de commun. diuid.* cùm quis vult eludere edictum propter inhabilitatem ætatis, debet probare talem inhabilitatem, & *in*

in conſ. 66. num. 5. vol. 3. ei. qui ex ætate petit reſtitutionem de aliqua læſione, vel reſciſſionem alicuius contractus incumbit onus probandi dictam minorem ætatem ex qua reſcinditur talis actus, ergo.

6 Nihilominus probatur mihi, tanquam probabilis etiam contraria ſententia, nempe dubitantem de perfectu vſu rationis & neſciens expleuiſſe ſeptennium, non teneri voto vel alia quacumque promiſſione ſic Sot. *de Iuſt. lib. 7. quæſt. 3. art. 2.* vbi ait, quoties votum eſt factum ante legitimum tempus pubertatis, non obligare in conſcientia, niſi vouens ſit ita certus, quòd tunc habuerit vſum rationis, vt nulla aut tenuiſſima apud viros prudentes fiat dubitatio contrariæ opinions; ſequitur Vega *tom. 4. ſum. caſ.* 47. *Capua lib. 2. deciſ. cap. 31. in fin.* Lieza *caſ. 49. in ſumma*, & alij, quos referebam ſupra *dubit.* 40.

Moueor, non ob rationem Soti, quæ ſi quid probaret, probaret etiam, vota facta poſt ſeptennium toto tempore ante pubertatem, non eſſe reputanda valida; ſed moueor (vt omittam rationes adductas *ſupra citat. dubit.*

7 40.) quia tunc ſupponitur votum, iuramentum, aut promiſſio; cùm de conſtituentibus

8 illa dubitetur; tum quia votum, iuramentum, & promiſſio in dubio interpretari debent in fauorem iurantis *l. quidquid ff. de verb. oblig.* & colligitur *ex c. ex parte de cenſib.* & docet ibi Gloſ. & Abb. tùm quia eſto pro valore actus debeat eſſe præſumptio, *c. Abbate de verb. ſignificat. & l. qui tutus ff. de reb. annuis*; hoc tamen intelligi debet, quand non eſſet damnoſus & oneroſus *l. qui iuraſſe §. ſi pater, ff. de iureiur* & docet ibi Gloſſ & Abb. & Felin. *in c. fin num. 13. de præſumpt.* & alij paſſim.

9 Non obſtat text *in citat. c. in præſentia*, vbi iudicatum fuit in fauorem actus: id enim factum fuit, quia ab ipſo profitente exhibiti fuerunt teſtes ad probandum, in minori ætate profeſſionem feciſſe qui teſtes cùm eſſent inducti ab ipſo profitente, debebant probare, vt dicit Gloſ. quare cùm in probatione defecerint, Papa valorem profeſſionis præſumpſit. Adde fauore religionis, cui erat ius acquiſitum debebat iudicari, profeſſionem valere, quia in dubijs poſſeſſio fauet, vti ſuprà dicebam.

Quoad ſecundum impedimentum (nempè *ſomnum, ebrietatem, vel phreneſim*) quod ſolet vſum rationis impedire; dubium eſſe poteſt, vel an votum, iuramentum, & promiſſio facta ſint tempore ſomni, ebrietatis, phreneſis, vel tempore ſanæ mentis. Secundò poſito, quod facta ſint tempore ſomni, ebrietatis, phreneſis, an tunc fuerit plenus ſomnus, plena ebrietas, phreneſis, quæ tollat vſum rationis, & libertatem hominis?

10 Et in priori dubio Sanch. *lib. 4. moral. cap. 1. num.* 15. putat, votum, iuramentum, & promiſſionem præſumendum eſſe, facta fuiſſe tempore ſanæ mentis ac proinde valere; quia ſomnus, ebrietas, phreneſis breui tempore durant, ergo non poſſunt tunc temporis votum, iuramentum, &c. facta eſſe præſumi

11 (ſecùs dicendum in amentibus, quando amentia continuò aliquo tempore durat, idem Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 8. num. 17.*) tùm quia dum conſtat de voto, iuramento, vel promiſſione, excuſatio eſt dubia; ergo poſſidet votum, iuramentum, vel promiſſio; tùm quia qualitas quæ homini naturaliter ineſt præſumitur adeſſe, dum de contrario non conſtat, Gloſ. *in c. ſi fortè de elect. in 6.* Gloſ & DD. *in c. ijs, qui fidem, de ſponſalib.* Alciat. *in tract. de præſumpt. reg. 1. in princ.* Menoch. *lib. 1. de præſumpt. quæſt. 14. num. 3.* & Maſcard. *de Probat. verb. qualitas, concluſ.* 1254. *num.* 86. tùm quia præſumptio ſumitur ex communiter contingentibus *l. nam ad ea ff. de legib.* & tradit Decian *reſponſ. 1. num. 256. lib. 1.* Riminald. ſenior *conſ. 2. num. 8. vol. 1.* & Maſcard. *de Probat. verb. præſumptio concluſ.* 1230. *num.* 42. ergo cùm contingere non ſoleant vota, iuramenta, vel promiſſiones tempore ſomni, ebrietatis, ut phreneſis, ſed tempore ſanæ mentis, iudicandum eſt in dubio, tempore ſanæ mentis contigiſſe, ac proinde valere.

In poſteriori autem dubio putat Sanch. votum, iuramentum, & promiſſionem non obligare: quia cùm ſomnus, ebrietas, & phreneſis ſoleant a mente alienare, præſumptio ſtat pro alienatione. 12

Ego quidem in hoc poſteriori dubio, puto veram ſententiam Sanch. quam confirmat Suar. *lib. 4 de voto cap. 6. num* 9. exemplo illius, qui noctu habens pollutionem dubitat, an habuerit perfectum vſum rationis, qui non præſumitur mortaliter peccaſſe, ob defectum perfectæ libertatis: ergo ſimiliter ob eiuſdem defectum non præſumitur valide vouiſſe, iuraſſe, vel promiſſe. 13

In priori autem dubio puto, graues rationes debere adeſſe, vt promittentem reddant dubium tempore ſomni, ebrietatis, vel phreneſis factum eſſe votum, iuramentum, aut promiſſionem quia pro contraria parte ſtat præſumptio ſupradicta ex communitèr contingentibus At ſi promittens verè dubius exiſtit (eo quod non recordetur benè de promiſſione: neque actus oſtenditur ita benè geſtus, vt tollat dubium) puto, promiſſionem, votum, & iuramentum non valere, ſed poſſe ſic dubitantem, depoſito dubio, illa non ſeruare: quia tunc verè dubitatur, an ſit promiſſio, votum & iuramentum: cùm dubitetur an adſit aliquid eſſentialiter requiſitum ad illa, qualis eſt libertas: ergo in fauorem libertatis eſt iudicandum. Vide Suar. *lib. 4. de relig. cap. 6. num. 9.*

Non obſtant oppoſita: concedo enim, votum, iuramentum, & promiſſionem, regulariter loquendo, præſumi fuiſſe facta tempore ſanæ mentis: ſed cum reſtrictione; niſi ex alijs coniecturis contrarium colligatur. Neque eſt opus, vt certò colligatur, ſed ſufficit, ſi ita colligatur, vt dubium vinci non poſſit: in caſu enim dubio præſumitur vſus rationis in ijs, quæ ſpectant ad fauorem perſonæ, non tamen in ijs, quæ ſunt ei oneris, & obligationis, *ex reg. iur. in 6. quod in gratiam alicuius conceditur, non debet in eius odium retorqueri.* Vide Suar. *loc. ſupra cit.* 14 15

Quoad tertium impedimentum ſubitæ paſſio- 16

nis, iræ, vel alterius perturbationis, puto cum Suar. *cit. c.* 6. *num.* 10. quòd si sic promittens verè dubius est de suo vsu rationis, non est obligatus; quia est dubius de valore actus, ac proinde de obligatione; affirmo tamen, eum regulariter sic dubium esse non posse,
17 quia raro, vel nunquam calor iræ vsum rationis tollit, quin operatio inde orta habeat sufficientem libertatem ad bonum, & malum; aliàs occidens alium iratus excusaretur à peccato, Abb. *in c. dudum de conuersion. coniugat. num.* 8. Alex. de Neu *in c. sicut ex litteris de Iureiur. num.* 18. Felin. *ibidem num.* 13. & alij, quos citat, & sequitur Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 8. *num.* 10. & Pontius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 2.

18 At, si cessante calore iræ, nullo modo promissionem faceres, sed potius factæ te pænitet, & si Anton. *in c. sicut ex litteris de Iureiur. num.* 9. & Abb. *in c. si verò eod. tit. num* 7. affirment, te obligatum non esse; mihi tamen probatur oppositum, quia (sicuti rectè dicit Sanch. *num.* 9. & Pontius *num.* 6.) multa calore iracundiæ fiunt deliberatione ad peccatum mortale sufficienti, quæ in calore secluso, non admitterentur; est tamen probabilis coniectura, vt in casu dubio intelligatur, defuisse deliberationem; sic Tabiena *verb. votum* 1. *quæst.* 1. *num.* 2. & Sanch. *loco supra citat.*

DVBITATIO XLIV.

An in dubio lex, de qua constat, in aliquo casu cesset?

SVMMARIVM.

1. *Lex, de qua constat, in dubio non cessare videtur, & sic homo ab eius obligatione non eximitur.*
2. *Dubitans an lex prohibens edi carnes in quadragesima, exerceri opera seruilia in die festo in aliquo casu ratione alicuius circumstantiæ, tenetur à superiore dispensationem petere, si contra talem legem prohibentem operari velit.*
3. *Excipe ex probabili si prædictam legem, vel præceptum in aliquo casu, ratione scilicet circumstantiæ exequi homini sit magnum incommodum; vel inde grauius mali periculum subeat.*
4. *Epicheiæ datur locus in genere, suadet enim temperandum esse legis rigorem iuxta præsumptam intentionem legislatoris.*
5. *Epicheiæ datur locus in specie si scilicet legem exequi alteri legi grauiori dubitetur contrariari, tunc enim licitum est legem grauiorem exequi, & legem minus grauem omittere.*
6. *Epicheia est legis emendatio, seu interpretatio, & dicitur actus intellectus, & voluntatis.*
7. *Interpretatio prædicta non licet in casu dubio si consuli potest superior quando dubium est de voluntate Superioris, an scilicet voluerit ad illum casum legem suam extendere.*
8. *Epicheia an possit vti in casu vrgenti, quando ad Superiorem non potest haberi recursus affirmant alij, alij vero negant probabilius.*
9. *Pars negatiua limitatur primò nisi adimpletio legis sit valde molesta, & incommoda.*
10. *Limitatur secundò nisi alteri legi grauiori dubitetur contrariari.*



Respondetur *ex dictis ibidem*; in dubio, an lex, de qua constat, in aliquo casu cesset, ratione scilicet alicuius circumstantiæ, dicendum est, illam non cessare; tum ob regulam traditam; quia scilicet factum (ad quod reducitur talis cessatio) non præsumitur, nisi probetur; tùm quia in tali casu, cùm constet de lege, vel præcepto possessio stat pro lege, vel præcepto; tùm quia dubia est exemptio; at dubium ius vinci potius debet à certo: tùm tandem quia quando dubitatur, an præceptum sit derogatum alio præcepto, vel consuetudine, vel sit illud dispensatum, non licet contra præceptum facere, vt supra dicebam; ergo è contra. si constat de lege, vel præcepto, dubium autem est, an in aliquo casu, ratione alicuius circumstantiæ, cesset, & sic homo ab illiùs obligatione eximatur, dicendum est, quod non cesset, & sic, quod homo non eximatur, sed quod lege, vel præcepto teneatur. 1

Quapropter, qui dubitat, an lex prohibens, edi carnes in quadragesima; exerceri opera seruilia in die festo, &c. in aliquo casu, ratione alicuius circumstantiæ, obliget, tenetur is à Superiore dispensationem petere, si contra talem legem prohibentem operari velit. Vide Medin. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 6. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 37. Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 7. Naldum *verb. dubium nu.* 22. Sancium *in select. disp.* 43. *num.* 4. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 21. *num.* 4. Vide etiam, quæ dicebam dubit. 2. 2

Excipe ex probabili, si prædictam legem, vel præceptum in aliquo casu, ratione scilicet alicuius circumstantiæ, exequi, homini sit magnum incommodum; vel inde grauis mali periculum subeat (quod periculum subire, de facto est etiam magnum incommodum.) Ratio exceptionis est, quia ius positiuum non obligat cum tanto incommodo; præsertim in casibus dubijs. Vide Caietan. verbi ieiunium, & verb. præcepti transgressio in fin. Salas. 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 25. *num.* 259. 3

Hinc sequitur primò, quod detur locus epicheiæ in genere, sicuti contra Sotum *de Iustit. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 8. Vasq. *in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 219. *cap* 8. *num.* 43. Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 10. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 37. Sancium *in select. disp.* 43. *nu.* 8. Palaum *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 8. *num.* 4. & Me- 4

ro'lam *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *corollar.* 7. *num.* 118. & alios, docent Sylu. *verb. Papa, quæſt.* 16. *dict.* 2. *& verb. diſpenſatio quæſt.* 4. Cordub. *in quæſt. lib.* 3. *quæſt.* 13. *ante reg.* 1. Io. Salas 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 25. *num.* 260. & Henriq *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 3. *in gl. litt. X.* vbi plus addit, quòd ſcilicet epicheia, vel æquitas ſuadet, in dubio temperandum eſſe legis rigorem, iuxta præſumptam intentionem legiſlatoris; quia in dubio (inquit ipſe) melior eſt conditio poſſidentis libertatem, & innocentiam ſuam.

Sed hoc quod addit Henriq. mihi non probatur ex ijs, quæ ſupra in principio præſentis dubitationis dicebantur.

5 Sequitur ſecundò, quòd detur locus epicheiæ in ſpecie, ſi ſcilicet legem exequi, alteri legi grauiori dubitetur contrariare: tunc enim licitum eſt, legem grauiorem exequi, & legem minus grauem omittere, Suar. *vbi ſupra num.* 12.

At vt quæ dixi, melius intelligantur.

6 Aduerte epicheiam eſſe legis emendationem ſeu interpretationem, quando ſcilicet quis interpretatur, legiſlatorem, vel non potuiſſe vel non voluiſſe ad aliquem actum, etſi ſub verbis legis compræhenſum, obligare, ob occurrentes circumſtantias, ex qua interpretatione ſi voluntas operetur, dicetur vti epijcheia, ac proinde epicheia eſt actus intellectus, & voluntatis, vt rectè dixit Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 6. *num.* 2. *&* 5.

7 Hæc autem interpretatio, ſeù emendatio non licet in caſu dubio, ſi conſuli poteſt Superior. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. *& qu.* 96. *art.* 6. *ad* 2. ibi Caietan. & alij, Med. *Cod. de pœnit. tract. de ieiun. quæſt. de ijs, qui tenentur ad ieiunia*, Sot *lib.* 1. *de Iuſtit. qu.* 6. *art.* 8. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41 *num.* 37. Suar. *cap.* 8. *num.* 10. Vaſq. *de Euchariſt. diſp.* 219. *cap.* 4. *num.* 43. Sanch. *in ſelect. diſp.* 4. *num.* 8. & alij communiter, & probatur (quando dubium eſt de voluntate Superioris, an ſcilicet voluerit ad illum caſum legem ſuam extendere) quia operari cum conſcientia dubia, quando ipſa deponi poteſt, eſt peccatum, ob periculum: At cum dubium eſt, an voluerit Superior obligare, deponi poteſt dubium ex conſilio Superioris: ergo non licet in tali dubio operari ſine conſilio Superioris: ſi verò dubium ſit de poteſtate Superioris (an ſcilicet potuerit obligare) cum clarè non conſtet eius impotentia, iniquum videtur, interpretari non poſſe obligare, & legem deficere, quia pro potentia Superioris, & lege ſtat poſſeſſio.

Difficultas igitur ſolum eſt, an in caſu vrgenti in quo Superior conſuli non poteſt, poſſis vti epicheia?


8 Affirmant Sylu. *verb. Papa quæſt.* 16. *dict.* 2. *& verb. diſpenſatio quæſt.* 4. Cordub. *qu. lib.* 3. *quæſt.* 12. Henriq. *lib.* 14. *de irregular. cap.* 3. *num.* 3. quia videtur nimis durum obligare homines legibus non certis, ſed dubijs: at in tali caſu videtur lex dubia, cum de eius obligatione dubitetur, ergo.

Negant autem probabilius Sot. Med. Vaſq. vterque Sanch. & Suar. *in locis ſupra citatis*

(qui ſubdunt, Syluestrum, Cordubam, & Henriquez loqui non de dubio æquilibri, ſed de formidine, cùm ſcilicet, eſt probabile iudicium, licèt cum formidine, vel non potuiſſe, vel non voluiſſe Superiorem in tali caſu obligare) quia in tali caſu (vt omittam rationes, quas ſupra in principio dubitationis adducebam) lex non eſt dubia, ſed certa (cùm conſtet, verba eius talem caſum compræhendere) ſolum autem eſt dubium, an legiſlator voluerit, vel potuerit illum caſum compræhendere: ergo dum non probatur eius impotentia, vel nolitio, ſtare debet præſumptio pro lege, vtpote poſſidente. Vide, quæ dicebam dubit. 2.

Limita cum Caietano, & Salas *ſupra*, niſi 9 adimpletio legis ſit valdè moleſta, & incommoda ob rationem ibi dictam.

Limita ſecundò cum Suar. *ibidem ſupra*, niſi 10 alteri legi grauiori dubitetur contrariari (tunc enim, inquit, liceret grauiorem legem exequi, omiſſa minori: quia talis concurrentia eſt ſufficiens ratio deponendi practicè dubiam conſcientiam, ne homo ſit perplexus) & ſi probabile etiam putem, ſeruandam tunc eſſe legem, & præceptum certum, omiſſa lege, & præcepto dubio: quia poſſidet præceptum certum, dum non conſtat, alteri legi Superiori contrariari. Qua ratione coniux dubius de morte prioris coniugis, tenetur præſenti reddere debitum, & ſi redditio debiti contraria ſit tam iuri prioris coniugis, quàm temperantiæ; quia lex iuris prioris coniugis, & temperantiæ eſt dubia, & lex dubia non poteſt præualere legi certæ, & poſſidenti, qualis eſt de reddendo debitum petenti coniugi. Item cum eſt dubium, an materia iuramenti, vel voti ſit licita, ait S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 9. *ad* 3. obligare, ſiquidem dicit, poſſe Epiſcopum tunc diſpenſare: ergo à fortiori obligabit præceptum certum, cum ſolum eſt dubium alteri contrariari.



DVBITATIO XLV.

An, in dubio de emendatione rei in caſu ſpectante ad edictum Inquiſitorum, teneatur dubitans illum denunciare?

SVMMARIVM.

1. *Dubitans de emendatione rei in caſu ſpectante ad edictum Inquiſitorum poſitum, præſertim ſi ſit hæreticus, & dogmatizauerit, tenetur illum denunciare.*
2. *Amplia, id procedere etiamſi moraliter conſtet reum eſſe emendatum.*
3. *Denunciatio, quæ fit de ſuſpectis hæreticis non eſt ad Inquiſitorem vt ad Patrem & ſic ad*

correctionem, sed est ad Inquisitorem, vt ad iudicem, & sic ad punitionem propter bonum fidei, & Religionis, quæ maxime fauorabilis est.

4. *Denunciare quis tenetur reum in dubio in casu, de quo agitur etiamsi edictum Inquisitorum fundetur in præsumptione, quia iudicium discernendi circa suspicionem de fide non competit confessario, sed solum Inquisitoribus.*

5. *Iudicium discernendi circa suspicionem de fide confessarij sollicitantis, non competit nisi Inquisitoribus ex Bulla Gregorij XV.*

6. *Idemque dicitur de Bulla Sixti V. quæ similiter fundatur in præsumptione, vt in Chiromanticis, Negromanticis, & alijs, qui ex inspectione rimularum, vel linearum manuum aliqua prædicunt.*

7. *Excipe nisi quis certo sciat, non habere tales pactum vllum cum dæmone: quia tunc non tenetur illos denunciare.*

8. *Lex fundata in præsumptione, cessante præsumptione, quæ cedere debet veritati, non obligat in conscientia.*

9. *Legis ratio si cesset etiam in particulari, cessat in tali casu particulari obligatio legis, contra nonnullos concedentes opinionem Auctoris in foro interno probabilem.*

1 Respondetur, *ex dictis ibidem*, in dubio de emendatione rei in casu spectante ad edictum Inquisitorum (præsertim si sit hæreticus, & præsertim si dogmatizauerit) tenetur dubitans illum denunciare: Atque ita ex communi docet Emanuel Moura, *opusc.* 1. *de incant. & ensalm. sect.* 2. *cap.* 16. *num.* 13. vbi cum Suario *tract. de fide, disp.* 40. *sect.* 4. *num.* 13. Azorio *p.* 1. *lib.* 8. *c.* 19. *q.* 9. Salonio 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. Royas *singul.* 3. *num.* 33. Paramo *de orig. Inquis. lib.* 3. *q.* 8. *num.* 90. Sancio *in select. disp.* 11. *num.* 52. Sanctarello *in tract. de hæresi c.* 9. *num.* 11. Bonacina *in tract. var. disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 9. *& punct.* 2. *num.* 3. & alijs contra Sotum *lib.* 3. *q.* 5. *art.* 5. Nauarr. *c.* 25. *num.* 33. Tanardum *in director. confess. p.* 3. *cap.* 31. Molfessium *in summ. tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 24. *num.* 21. Genuensem *in praxi cap.* 18. *num.* 6. Fagundez *tract.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 17. Naldum *verb. accusare, num.* 1. Finellium *tract de cas. reseru. cas.* 2. *num.* 8. Arugnam *in tract. de confess. solic. q.* 13. *num.* 15. & ibi Freitam *num.* 34. Megalium 1. *par. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 26. Portel. *in addit. ad dubia Regular. verb. solicitare fœminas, num.* 18. & Victorellum *in notis ad Manuale Nauarri cap.* 25. *num.* 33. & Peirinum *tom.* 2. *const.* 4. *Gregor. XV.* §. 6. *num.* 31.
2 qui probabiliter subdit, quod non solum in tali casu, sed etiam in casu, quod moraliter constet, reum esse emendatum, sit ille denun-
3 ciandus Ratio, quia denunciatio non est ad Inquisitorem, vt ad patrem, & sic ad correctionem (qua cessante, tanquam fine, cessat denunciandi obligatio: quod est fundamentum alterius sententiæ) sed est ad Inquisitorem, vt ad Iudicem, & sic ad punitionem, propter bonum fidei, vel Religionis, quæ maximè fauorabilis est.

Ex cuius fauore moti Io. Valerus *in diff. vtriusque fori verb. Hæresis diff.* 1. *num.* 4. Freitas *vbi supra q.* 21. *num* 26. & alij docent, quod etiamsi edictum Inquisitorum fundetur in præ- 4
sumptione, in dubio teneatur etiam homo reum denunciare, quia in tali casu propter rationem dictam causæ magni fauoris, seu maximè fauorabilis iudicium discernendi circa suspicionem de fide, quæ, supposita Pontificis, vel alicuius Inquisitorum edicti præsumptione, resultat, discutienda non competit confessario, vel alteri personæ priuatæ, sed solùm Inquisitoribus: v. g. cùm Bulla Gregorij XV. fundetur in præsumptione (vt patet ex illis verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes, &c.*) iudicium discernendi, circa suspicio- 5
nem de fide confessarij solicitantis, non competit, nisi Inquisitoribus.

Idemque dicitur de Bulla Sixti V. quæ simi- 6
liter fundatur in præsumptione vt in Chiromanticis, Negromanticis, & alijs, qui ex inspectione rimularum, vel linearum manuum aliqua prædicunt.

Excipe, nisi quis certò sciat, non habere 7
tales pactum vllum cum dæmone: nam tunc non tenetur is illos denunciare. Ratio, quia lex fundata in præsumptione, si cesset præ- 8
sumptio (cùm præsumptio cedere debeat veritati) non obligat in conscientia, tum quia, quando cessat ratio legis, etiam in particulari, cessat in tali casu particulari obligatio legis, 9
vt infra *tractatu sequenti* diffusè dicetur, & multis exemplis explicabitur. Qua de re vide, quæ dicentur ibi: vide etiam Doctores, quos citat, & sequitur Homobonus *par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *q.* 53. Valerus *in loco supra citat.* Riccius *par.* 3. *decis.* 278. *num.* 6. & Granad. *par.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *par.* 2. *disp.* 15. *sect.* 2.

Quamuis contrarium asserant aliqui, qui tamen nostram opinionem in foro interno probabilem concedunt, vt Becanus, *in summ. Theol. moral. par.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 9. *concl.* 4. vbi ait, quod quamuis leges humanæ, quæ v. g. irritant contractum, fundentur in præsumptione, tamen validæ sint, & obligent in vtroque foro, tam interno, quam externo; tametsi contingat, præsumptionem in aliquo casu falsam esse. Quæ doctrina, inquit ipse, certa est in foro externo, dubia autem in foro interno, cum multi probabiliter contrarium teneant, sic ille.





DVBITATIO XLVI.

An, in dubio, vtrum ſecutus partus ſit adulterinus, teneatur adulter ad quidquam?

SECTIO I.

Dubitationis reſolutio.

SVMMARIVM.

1. *Partus ſecutus an in dubio ſit adulterinus, non tenetur adulter ei alimenta præſtare, & ſic reſtaurare damna, quæ conſequuntur adultera, marito, vel hæredibus legitimis ex ſuſtentatione eius, vel ex hæreditatis portione cum eo.*
2. *Adulter in caſu de quo agitur non tenetur ad vllam damni compenſationem, niſi ei moraliter certum ſit, eſſe ſuam prolem illam, quæ nata eſt ex adultera: moraliter autem certum non eſt, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario.*
3. *Adulter ſecundum aliquos tenetur quando probabiliter credit eſſe ſuam prolem, quæ nata eſt ex adultera, quando tamen ita credit vt non habeat probabilem rationem dubitandi de contrario.*
4. *Alimenta præſtanda ſunt ab vtroque, ſi certum ſit partum eſſe adulterinum, ſed dubium cuius nam ſit ex duobus adulteris.*
5. *Filius non habet integrum ius contra vtrumque adulterum, & ideo deficiente vno vel nolente alere, alter in integrum non eſt obligatus contra nonnullos.*
6. *Mater, ſi Patres adulteri in diuitijs, & nobilitate inæquales exiſtant, poteſt à ditiori, & nobiliori (ſi ad ipſum ſpectat alimentorum præſtatio) plus alimentorum exigere ſecundum probabile.*
7. *Ditior, & nobilior tenetur præſtantiora alimenta filio præſtare.*

1 Reſpondetur, *ex dictis ibidem*: in dubio, an ſecutus partus ſit adulterinus, non tenetur adulter ei alimenta præſtare, & ſic reſtaurare damna, quæ conſequuntur adulteræ, marito, vel hæredibus legitimis ex ſuſtentatione eius, vel ex hæreditatis portione cum eo. Ratio, quia factum (quale eſt, quod filius ſit illegitimus) non præſumitur, niſi demonſtretur: tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: nemo enim tenetur aliquid ſoluere, & re ſua ſeipſum ſpoliare, niſi ei conſtet, ſe debere; tum quia non eſt apponendum onus, vbi non apparet.

Itaque adulter non tenetur ad vllam damni compenſationem, niſi ei moraliter certum ſit, eſſe ſuam prolem illam, quæ nata eſt ex adultera: moraliter autem certum non eſt, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario: id enim tantum moraliter certum cenſetur, quod prudenter ita creditur, vt contrarium nullo modo videatur probabile: talia enim paſſim humano more moraliter certa dicuntur: & in hoc conueniunt Doctores: quamuis enim quidam dicant, adulterum teneri, quando probabiliter credit, eſſe ſuam prolem, quæ nata eſt ex adultera: hoc tamen non eſt generatim intelligendum, ſed quando ita credit, vt non habeat probabilem rationem dubitandi de contrario: fieri enim poteſt vt quis probabiliter credat eſſe ſuam prolem, & etiam probabilitatem habeat, non eſſe, quo caſu certum eſt non teneri. Ratio, quia poteſt homo, relicta opinione probabiliori, ſequi opinionem probabilem, quin & minus probabilem: nam adhuc probabiliter operatur, atque adeo prudenter, & ſic ſine peccato. 2 3

Si autem certum eſt, partum eſſe adulterinum, ſed dubium, cuiuſnam ſit ex duobus adulteris, ab vtroque præſtanda eſſe alimenta, docet Vaſq. 1. 2. *diſp* 66. *cap.* 8. *num.* 7. Turrian. *in opuſc. Theolog. tom.* 1. *opuſc.* 10. *diſp.* 5. *dub.* 3. Martinez 1. 2. *tom.* 1. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2. Azor. *to.* 2. *lib.* 2. *c.* 19. *quæſt.* 8. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20 *num.* 12. quin addunt, quod quolibet patre adultero deficiente, vel nolente filium alere, alter in integrum ſit obligatus: at hoc vltimum mihi non probatur: quia in quemlibet non habet filius integrum ius. Atque ita ſentiunt Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vn. ſect.* 24. *num.* 148. & Palaus *tom.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 4. *num.* 15. 4 5

Porrò, quod alter ex ijs (de quibus dubitatur, vtrum ſit pater) ditior, aut nobilior exiſtat, nihil refert ad hoc, vt ipſi potius, quàm alteri filius attribuatur, ac proinde ipſi potius, quàm alteri obligatio alimentorum incumbat. Ratio, quia id materialiter, & impertinenter ad contrahendam talem obligationem ſe habet. Et ita docet Vaſq. 1. 2. *diſp.* 66. *cap.* 8. *num.* 48.

Illud tamen probabile eſt, quod ſi patres adulteri in diuitijs, & nobilitate inæquales exiſtant, poſſit mater à ditiori, & nobiliori (ſi ad ipſum ſpectat alimentorum præſtatio) plus alimentorum exigere. Ratio, quia ditior, & nobilior tenetur præſtantiora alimenta filio præſtare. Atque ita docent Salas, & Palaus *in locis ſupra cit.* Vide *ſupra Dubit.* 22. 6 7




SECTIO II.

Quid dicendum, si suasit, vel procurauit adulter, vt adultera prolem ab ipso susceptam marito supponeret.

SVMMARIVM.

1. *Adulter si quo modo suasit, vel procurauit, vt adultera prolem ab ipso susceptam marito supponeret, fingeretque esse mariti prolem, quæ nascitur, tenetur absque dubio simul cum adultera de damno secuto nempe de alimentis, & hæreditate.*
2. *Consilium quando est in commodum solum executoris, executor tenetur primo, consultor secundario in defectum. At si est in commodum vtriusque, vterque tenetur æquè primo pro rata, in solidum vero ex defectu alterutrius.*

1 Respondetur, si quo modo suasit, vel procurauit adulter, vt adultera prolem ab ipso susceptam marito supponeret, fingeretque esse mariti prolem, quæ nascitur, tenetur absque dubio simul cum adultera de damno secuto: nempe de alimentis, & hæreditate. Ratio est, quia vterque est causa totius damni: porro vterque tenetnr æquè primo pro rata; adulter quia vtriusque nomine suasit: adultera, quia vtrius-
2 que nomine fecit; quando enim consilium est in commodum solum executoris, executor tenetur primò, consultor secundariò, in defectum. At si est in commodum vtriusque, vterque tenetur æquè primò pro rata, in solidum verò ex defectu alterutrius, vt dicitur in materia de restitutione.



SECTIO III.


Quid dicendum, si adulter agnoscat, esse suam prolem, quæ nata est ex adultera.

SVMMARIVM.

1. *Adulter si agnoscat esse suam prolem, quæ nata est ex adultera, vel saltem de hoc nullam habet iustam rationem dubitandi, tenetur per omnes restituere saltem ea, quæ impensa sunt*
2. *in alimenta prolis à tertio ætatis anno, & deinceps quamdiu Pater tenetur filium alere, hoc est donec filius de alimentis sibi potest prouidere.*
3. *Mater tenetur alere filium à tempore partus vsque ad tertium annum inclusiuè.*

Respondetur, si adulter agnoscat esse suam prolem, quæ nata est ex adultera, vel saltem de hoc nullam habeat iustam rationem dnbitandi, tenetur per omnes restituere, saltem ea, quæ impensa sunt in alimenta prolis à tertio ætatis anno, & deinceps (quamdiu pater tenetur filium alere) quamuis non suaserit adulteræ partus adulterini suppositionem. Ratio, quia pater à tertio ætatis anno tenetur filium alere, & deinceps, donec filius de alimentis sibi possit prouidere (sicut à tempore partus vsque ad tertium annum inclusiuè tenetur mater.) Atque ita colligitur, *ex l. nec filium*, *Cod. de patria potest*, *& ex cap. 2. de conuers. infidel.* & probat ibidem Glos. & sentiunt communiter Doctores: & si contrarium senserit Sotus *in loc. supra citat.*

(margin: 1 2 3)



SECTIO IV.

An, si adulter non fuerit auctor suppositionis, teneatur sarcire damnum legitimis filijs (siuè natis, siuè nascituris) obueniens illis ex successione filij illegitimi?

SVMMARIVM.

1. *Adulter licet non fuerit auctor suppositionis tenetur secundum aliquos, secundum alios non sarcire damnum legitimis filijs siuè natis, siuè nasciturus.*
2. *Adultera si procuret sibi abortionem, non censetur adulter causa homicidij nisi suasisset, vel adiuuaßet.*
3. *Adulter non censetur auctor suppositionis, siquidem non coniecit matrem nolentem, sed volentem, vnde ipsa debet sibi imputare quod in illa necessitate constituta sit.*
4. *Amplia, probabile eße id procedere etiamsi per iniuriam, illam in talem necessitatem coniecisset, quoad obligationem erga hæredes, secus autem de damno circa ipsam.*



Affirmat communis opinio Doctorum.

At, non improbabiliter negant, 1
Sotus *supra* & Henriq. *lib. 2. de matrim. cap. 11.* vbi pro eadem sententia citat Pennam. Et ratio esse potest; quia adulter in tali casu non est verè causa huius damni: non enim illud actione sua attingit, nec etiam in-

tendit, ſed ex aliena actione illud prouenit, nempè ex matris ſuppoſitione, & fictione, quæ illum tanquam legitimum, marito ſuo ſupponit, cuius fraudis adulter non eſt auctor, nec conſultor, vt ſupponitur.

2 Confirmatur; quia ſi adultera procuraret ſibi abortionem, non cenſeretur adulter cauſa homicidij, niſi ſuaſiſſet, vel adiuuiſſet: Ergo ſimiliter non cenſebitur cauſa ſuppoſitionis, nec cauſa damni, quod ex illa ſequitur, niſi in caſu, quod ſuadeat, vel adiuuet. Conſequentia patet à pari, & probatur: quia vtrumque ſequitur ex ſola adulteræ voluntate, adultero materiam tantum, id eſt prolem, circa quam vtrumque fit, ſuppeditante.

Dices, cenſeri adulterum auctorem ſuppoſitionis: quia matrem in eam neceſſitatem coniecit, vt neceſſario deberet prolem ſupponere, ne ſeipſam proderet.

3 Reſpondetur, non ideo debere cenſeri adulterum ſuppoſitionis auctorem, ſiquidem non coniecit illam nolentem, ſed volentem: vnde ipſa debet ſibi imputare quod in ea neceſſitate conſtituta ſit.

4 Adde probabile eſſe, quod etſi per iniuriam, illam in talem neceſſitatem conieciſſet (quamuis teneretur ei de damno, quod inde ipſa pateretur) non tamen obligatum in hæredibus, quibus cum illegitimus opera matris hæreditatem diuidit: vt ſi conſtituam, v. g. aliquem in neceſſitate vendendi ſupellectilem, & ille ratione iſtius inopiæ faciat iniuriam tertio, non ego tenebor tertio, cum ille iniuriam occaſione talis inopiæ fecit, ſed ei, cui ego iniuriam intuli.



SECTIO V.

An, in dicto caſu adultera ſolùm teneatur ad compenſationem damni, quod ſequitur ex ſuppoſitione.

SVMMARIVM.

1. *Adultera, in caſu de quo agitur, ſi adulter non fuerit auctor, neque conſultor ſuppoſitionis, tenetur ipſa ſola ad compenſationem damni, quod ſequitur ex ſuppoſitione.*
2. *Adultera, in caſu, de quo agitur, tenetur quantum fieri poteſt, ſine ſuæ famæ diſpendio, & vitæ periculo procurare ne legitimi hæredes ratione adulterini partus aliquid damni patiantur.*
3. *Adultera, in caſu, de quo agitur, ſi habet paraphernalia tenetur ea relinquere legitimis in compenſationem damni.*
4. *Item ſi quid lucri (ad quod diligentiam præſtare tenetur) ex ſuo labore capiat.*
5. *Item debet ſolitos ſumptus diminuere, quantum commodè poteſt, ſpectata conditione ſtatus.*
6. *Item ſi prædictis modis ſatisfacere non poſſit tenetur eum inducere ad religionem capeſſendam ſi ad eam idoneus videtur.*
7. *Adultera ſi modis recenſitis plenè poſſit damnum compenſare, non tenetur ad aliud, ſed poteſt permittere, vt illegitimus cum legitimis ſuccedat.*
8. *Illegitimus non eſt incapax hæreditariæ ſucceſſionis, quando eius nomine illa portio cæteris eſt compenſata, & eſto, ſit incapax, poteſt tamen permitti vt ſuccedat, ne ipſa infametur.*
9. *Adultera etiamſi nullo modo poſſit compenſare damnum, non tenetur prodere ſuum crimen marito, aut proli, niſi moraliter certa ſit de damno auertendo contra nonnullos.*
10. *Adultera quamdiu prudenter dubitat an profutura ſit reuelatio, non tenetur famam ſuam, detegendo crimen, prodigere, multoque minus quando parum eſt credibile profuturam eſſe.*
11. *Adultera, quod non habeat iuſtam rationem dubitandi an reuelatio profutura ſit, raro accidit.*
12. *Filius matri dicenti ipſum eſſe illegitimum, non tenetur credere, licet ſciat ipſam adulteram fuiſſe.*
13. *Turpitudinem propriam allegauti non creditur.*
14. *Nemo, qui ſua, & publica opinione eſt legitimus, tenetur cum tanto ſuo incommodo ſe reputare illegitimum.*
15. *Filius tenetur in caſu, de quo agitur hæreditatem non adire, ſi omnino conuincatur per teſtes omni exceptione dignos, vel conſtet Patrem toto illo tempore abfuiſſe.*
16. *Qui alterum infamauit, tenetur reuocare, ſecus ſi infamator certus eſt nihil ſe profuturum.*
17. *Nemo obligatur ad actum inutilem.*
18. *Adultera non dat damnum famæ, ſed pecuniæ, illudque tenetur reſarcire cum diſpendio pecuniæ, non cum diſpendio famæ.*
19. *Adultera etiamſi certa ſit per reuelationem ſuam hæredibus indemnitatem obuenturam, non tamen tenetur crimen ſuum detegere, ſi inde periculum vitæ, vel famæ ſibi impendere putaret.*
20. *Vita eſt res Superioris ordinis, quæ nunquam neceſſario exponenda eſt pro rebus inferioris conditionis.*
21. *Dominiorum diuiſio ceſſat in periculo vitæ, ita vt licitè quis re aliena tanquam ſua in tali caſu vti poſſit, nec teneatur eam reſtituere quamdiu periculum durat, vide ibi exempla allata.*
22. *Vita neque exponenda eſt, etiamſi ampliſſima hæreditas, aut primogenitura, aut regnum ad illegitimum deuolueretur.*
23. *Adultera tenetur etiam cum vitæ periculo impedire illegitimi ſucceſſionem in Regno, ſeu in Principatu, ſi ipſe ſit perditis moribus, &*
24. *ex eius dominatu timeretur mala Reipublicæ adminiſtratio, & legitimus ſit optimæ ſpei, ſecus autem eſt in ſucceſſione priuatæ hæreditatis.*

25. *Bonum commune semper debet præferri priuato.*

26. *Fama nunquam est exponenda propter ea, quæ sunt conditionis inferioris.*

27. *Homo etiam infimæ sortis non tenetur vitam exponere pro maximis thesauris restituendis, vel pro fama etiam illustris viri reparanda.*

28. *Fama apud homines pecunia æstimari non solet, & si quis oppositum faceret contra rectam rationem faceret.*

29. *Ad vitæ perfectionem licet pertineat pecuniæ renunciatio, non tamen ad eamdem spectat renunciatio famæ.*

30. *Limita, prædicta habere locum in muliere honestæ conditionis, & quæ pro tali passim habetur, hæc enim propriè est bona fama: nam si sit suspecta, secus forsan dici potest cum Soto.*

31. *Mulier non censebitur se infamare si maritus, & pariter filius sit vir valde bonus, ipsique rem silentio sint tenturi, neque idcirco mulierem osuri, aut probris vexaturi.*

32. *Detegere etiam crimen alterius vni, vel duobus viris secutis non est peccatum mortale in sententia aliquorum.*

1 RESpondetur, in dicto casu (quod scilicet adulter non fuerit auctor, neque consultor suppositionis) adultera solum in opinione Soti, & Henriq. tenetur ad compensationem damni, quod sequitur ex suppositione. Ratio, quia ipsa solum in tali casu videtur esse causa talis damni.

2 Itaque tenetur, quantum fieri potest, sine suæ famæ dispendio, & vitæ periculo procurare, ne legitimi hæredes ratione adulterini partus aliquid damni patiantur: Atque ita communiter Doctores docent.

3 Vnde:, si habet parapherna, tenetur, ea relinquere legitimis in compensationem damni. Item si quid lucri (ad quod diligentiam

4

5 præstare tenetur) ex suo labore capiat. Item debet solitos sumptus diminuere, quantum commodè potest, spectata conditione status:

6 Quod si his modis satisfacere non potest, tenetur eum inducere ad Religionem capessendam, si ad eam idoneus videtur. Ratio: quia, cùm sit in culpa, omnibus modis tenetur præcauere damnum marito, & hæredibus.

7 Si autem his modis potest plenè damnum compensare, non tenetur ad aliud, sed potest permittere, vt illegitimus cum legitimis succedat. Ratio, quia tunc nullum damnum sequitur legitimis hæredibus.

Dices illegitimus per leges ciuiles est incapax hæreditariæ successionis: at hæ leges obligant in conscientia, ergo &c.

8 Respondeo, non esse incapacem quando eius nomine illa portio cæteris est compensata, & res est omninò occulta. Neque in hoc casu leges illæ sunt accipiendæ.

Adde, esto sit incapax, tamen potest permitti, vt succedat, ne ipsa infametur, præsertim quando alij inde damnum non sentiunt propter compensationem factam, vel faciendam.

Aduerte primo, quod etiamsi nullo modo 9
possit mater compensare damnum non tenetur prodere suum crimen marito, aut proli, nisi moraliter certa sit de damno auertendo. Ita Doctores communiter contra Adrian. *q.* 1. *de restit.* §. *sed restat*, & Paludan. *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *art.* 1. qui putant, eam teneri se prodere, quamuis existimet, se nihil effecturam, quia, inquiunt, fieri potest, vt filius ei credat, & forte credet.

Sed contra istos probattur. quod dixi: quia in dubio melior est conditio possidentis: Ergo quamdiu prudenter dubitat an profutura sit 10
reuelatio non tenetur famam suam, crimen protegendo prodigere. multoque minus, quando parum est credibile profuturam esse.

Porrò, rarò accidit, quod adultera non 11
habeat iustam rationem dubitnndi, an reuelatio profura sit.

Primò; quia filius matri dicenti, ipsum esse 12
illegitimum, non tenetur credere, & si sciat ipsam adulteram fuisse, vt docet *Gl. in cap. officij, de pœnitent. & rememission.* & fatentur omnes Canonistæ *in c. per tuas de probation.* & Iuristæ *in l. si posthumus, ff. de liber. & posthumis.* Et ratio est, quia allegandi turpitu- 13
dinem suam nulla debetur fides, vt in regulis iuris dicitur, quod intellige, quando adest alterius præiudicium, vt in casu nostro contingit.

Adde, quod, cùm ipse & sua, & publica 14
opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo in commodo, se reputare illegitimum, nisi conuincatur; Itaque quamdiu subest aliqua ratio suspicandi fraudem, vel errorem, non tenetur credere.

Secundò, quia mater potest sibi persuadere, filium, etamsi credat animo, tamen verbis negaturum, nec ideo cessurum hæreditate, sed potius omnia litibus mixturum.

Quod, si filius omnino conuincatur (vt quia 15
mater Testibus omni exceptione dignis probat, patrem toto illo tempore absuisse) tenetur hæreditatem non adire.

Dices ex Adriano, & Paludano *vbi supra*, 16
qui alterum infamauit, tenetur reuocare quamuis non putet aliquem sibi crediturum; Ergo similiter mulier tenetur se filio aperire, quamuis &c.

Respondeo; si infamator certus sit, nihil se profuturum, non tenetur, etiam in casu, quod ad id per censuram cogitur. Ratio, quia ad 17
actum inutilem nemo obligatur, quod si autem est dubius, tenetur, quia ipse infame intulit damnum, quod proinde cum famæ dispendio resarciri debet: at non sic est in casu nostro, quia mulier damnum non intulit, sed solum causam dedit, ex qua sequeretur damnum, illud- 18
que non damnum famæ, sed pecuniæ; Vnde ex ratione adducta tenetur solum impedire illud, si potest, cum dispendio pecuniæ, non tamen cum dispendio, vel Periculo famæ, quod & mox infra clariùs apparebit.

Aduerte secundò, quod, quamuis certa 19
spes esset per reuelationem criminis, damno hæredum occursum iri, non tamen tenetur mulier crimen suum detegere, si inde periculum vitæ, vel famæ sibi impendere putaret.

Prior pars de periculo vitæ, est communis
20 sententia Doctorum: & probatur, quia vita est res Superioris ordinis, quæ (vt mox infra dicetur) nunquam est necessariò exponenda pro rebus inferioris conditionis: tum quia vita nullo pretio est æstimabilis, ergo propter pecuniæ restitutionem non tenetur quis vnquam illam prodigere, aut periculo exponere: tum
21 quia in periculo vitæ cessat dominiorum diuisio, ita vt licitè re aliena, tanquam tua vti possis, nec tenearis eam restituere, quamdiu periculum durat: vt si in fuga ad vitam saluandam, v. g. alienum equum conscenderis, & ille perierit: segetes alienas consumpseris, &c.

22 Hinc fit, vt etiamsi amplissima hæreditas, aut primogenitura, aut Regnum ad illegitimum deuolueretur, non tamen ad hoc impediendum vita exponi debeat: nunquam enim potest esse tanta bonorum externorum quantitas, vt ipsam per se solam præferri vitæ oporteat.

23 Quod, si illegitimus esset perditis moribus, ita vt ex dominatu eius timeretur mala Reip.
24 administratio: legitimus autem esset optimæ spei, teneretur adultera in tali casu, etiam cum vitæ periculo impedire illegitimi successionem: hoc autem non prouenit ex obligatione, qua tenetur impedire damnum legitimi hæredis, sed qua tenetur impedire malum
25 Reipublicæ: cùm bonum commune semper debeat præferri priuato: estque hæc obligatio potius ex lege charitatis, vel iustitiæ legalis, quàm iustitiæ commutatiuæ.

Altera pars de periculo famæ est Scoti *d. 15. quæst. 2.* Gabr. *ibidem qu.* 2 Caiet. *quæst. 62. art. 6. & opusc. 31. respons.* 14. Nauarr. *c. 16. num.* 44. *& c* 17 *num.* 89. *& c.* 18. *num.* 47. Couarr *reg. peccatum*, 1. *par. num.* 7. Innoc. Abb. & aliorum Canonistarum *in c. officij de pœnit. & remiss.* Castr. *lib.* 2. *de potest. legis pœn. c.* 11. Med. *Cod. de rest. qu.* 3.

Probatur primò, *ex cit. cap. officij, de pœnit. & remiss.*

26 Secundò, quia fama est Superioris ordinis, quæ iuxta regulam Caiet. & Nauarri nunquam est necessariò exponenda propter ea, quæ sunt conditionis inferioris.

Hinc fit, vt homo etiam infimæ sortis, non
27 teneatur vitam exponere pro maximis thesauris restituendis, vel pro fama, etiam illustris viri, reparanda.

28 Tertiò, quia fama apud homines pecunia æstimari non solet: & si quis oppositum faceret, contra rectam rationem faceret: *melius enim est nomen bonum quàm diuitiæ multæ*, Pro-
29 uerb. 22. vnde fit, vt etiamsi ad perfectionem vitæ pertineat pecuniæ renunciatio, non tamen ad eamdem spectat renunciatio famæ, & boni nominis: hæc enim ad ædificationem proximi, & rectam officij administrationem sunt necessaria.

30 Aduerte tertiò quod, quæ modo dixi, intelligenda sunt de muliere honestæ conditionis, & quæ pro tali passim habetur: hæc enim propriè est bonæ famæ: nam si sit suspecta, vel adeo vilis, vt ipsius fama prudentum iudicio parui momenti sit, locum habere potest sententia Sot *lib.* 4. *qu.* 6. *art.* 3. & aliorum docentium, famam iudicio prudentum componendam esse cum hæreditatis æstimatione.

Quod tamen contra ipsos de vera fama, 31
qualem honestæ conditionis, & vitæ mulier possidet, non facilè admitterem.

Item, si maritus, & pariter filius, sit vir valde bonus, ipsique rem silentio sint tenturi, neque idcirco mulierem osuri, aut probris vexaturi, non censebitur mulier se infamare, quamuis crimen illis detegat, iuxta doctrinam Caietani 1. 2. *q.* 73. *art.* 2. *dub.* 1. Pet. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 335. & Martini Nauarri, *cap.* 18. *num.* 33. docentium, quod vni, vel duobus viris secretis crimen, etiam alterius, detegere, non sit peccatum mortale: 32
vnde si hæ circumstantiæ adsint, & simul sit certa spes damni auertendi (quod sanè rarissimum est) tenebitur mulier se ipsam prodere.



DVBITATIO XLVII.

An, homicidium, vel furtum consulens, aut furem, vel homicidam socians, vel alio modo adiuuans, dubitans tamen, an alius absque suo consilio, vel adiutorio furtum, homicidiumvè præstaret, tenearis de damno secuto?

SVMMARIVM.

1. *Nemo in dubio præsumitur delictum commissurus.*
2. *Homicidium, vel furtum commissurus quis non præsumuur in casu, de quo agitur sine consilio alterius maximè stante actione iniusta, & damno causato.*
3. *Contrarium defendunt grauissimi DD. quia in dubio maximè in materia iustitiæ melior est conditio possidentis.*
4. *Consulentes, vel associantes furem, vel homicidam, moraliter ipsis constare debet causam esse damni dati.*
5. *Consulentes, vt excusentur à restitutione damni dati debent habere quasdam rationes, quales sunt v. g. si delictum committens esset inimicus capitalis, vel mortem prius minatus fuerit, vel præparauerit omnia necessaria ad homicidium.*
6. *Consulentes vt eximantur à restitutione damni dati sufficit vt homicida aßerat se non fuiße motum ex consulentis consilio, quod præcisè non probat nisi homicida sit fide dignus.*
7. *Associantes an teneantur in casu de quo agitur dubium difficilius censetur.*

1 QVidam (vt Sanchez, *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 17.) ex nostro principio affirmant; quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus, *ex l. marito ff. pro socio*, & tradit Felin. *c.* 1. *de offic. deleg. num.* 13. *& cap. sicut dignum, de homicid. num.* 11. Decius *in reg. consilij* 47. *num.* 9. *ff. de reg. iur.* non ergo homicida, vel fur ille præsumi debet commissurus delictum, nisi tuum consilium, vel adiutorium præcessisset; tùm quia in hoc dubio possessio est contra te, non pro te; nam constat de tua actione iniusta, quæ apta est damnum causare, constat etiam de damno causato; ergo tibi incumbit onus probandi non causasse; sicque dum non probas, iudicandus es causasse. Bald. *in l. data opera C. qui causari non possunt*, *num.* 52. Angel. *l.* 1. *in princip. ff. de eo, per quem factum est*, & Ananias *in c. ad audientiam, de homicid. num.* 10.

2

3 Alij (vt Syl. *restitutio* 3. *quæst.* 6. *dict.* 2. *in princ.* Io. Med. *C. de restitut. quæst.* 7. Petr. Nauar. *de restit. lib.* 3. *c.* 4. *dubit.* 4. *nu.* 48. Henriq. *lib.* 14. *de irregular. cap.* 3. *num.* 4. Tabien. *verb. restitutio quæst.* 23. *num.* 24. Sayr. *in claui Regia lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. Rebell. *de obligat. Instit.* 1. *par. lib.* 2. *quæst.* 14. Sà *verb. restitutio num.* 25. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *num.* 9.) ex eodem nostro principio negant; quia *ly causasse*, est factum, factum autem non præsumitur, nisi demonstretur; tum quia in dubio (præcipuè in materia iustitiæ) melior est conditio possidentis; tùm quia non est æquum, te obligari satisfactionem certam exhibere, cùm certum non sit, damnum dedisse (supponitur enim, quòd verè dubium sit.) Vide, quæ dicebam *Dubit.* 14. Vtraque opinio probabilis.

4 Cæterum ex eo solùm, quòd consuleris, vel associaueris furem, vel homicidam, tibi moraliter constare debet, causam esse damni dati; quia communiter sic consulentes; vel associantes cooperatores sunt, vt rectè dixit Carbon. *tract. de restit. quæst.* 66. & sic in consulentem transfertur onus probandi, suo consilio damnum non causasse: quia dum constat de malo consilio, præsumit ius, causam fuisse, vt ex Felino, & Decio *in c.* 1. *de offic. delegat.* & Baldo, alijsque *in l. data opera ff. qui accusari non possunt*, docet Mascard. *de Probat. tom.* 1. *concl.* 419. *num.* 9. & Sanchez *lib.* 1.

5 *moral. cap.* 10. *num.* 44. Vnde, vt dubius esse possis de damno dato, debes habere quasdam rationes (quales sunt, v. g. si delictum committens esset inimicus capitalis, vel mortem prius minatus fuerit, vel præparauerit omnia necessaria ad homicidium, vel quod ipse consulens apud delinquentem nullius sit authoritatis, &c.) in quibus casibus tenon esse obligatum ad restitutionem, affirmat ipse Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disput.* 41. *num.* 17. & Io. Sanch. *disput.* 41. *num.* 14. Vide etiam Salas 1. 2. *tractat.* 8. *disput. vnic. sect.* 23. *num.* 342.

6 Addit Henriq. *lib.* 14. *de Irregul. cap.* 16. *num.* 3. & Sayr. *de censur. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. sufficere, si homicida huic consulenti asserat, se motum non fuisse illius consilio.

At hoc non probat, & rectè, Sanchez, nisi homicida sit fide dignus, aut aliæ coniecturæ concurrant, vt prudens vir arbitretur, fidem illi adhibendam esse. Hæc de consulente. 7

De associante verò, cùm immediatius delicto concurrat, difficilius dubius esse poterit in damnum datum non concurrisse, saltem præbendo animum principali operanti. Vide *supra Dubit.* 14. *& infra tractat.* 6. *cap.* 3. *Dubit.* 10. *in fine.*



DVBITATIO XLVIII.

An, resolutiones casuum præcedentes locum habeant, si quodcumque dubium existat?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Resolutiones casuum præcedentes limitantur locum habere, si proprium dictum dubium existat, vt in neutram partem inclinando intellectus opinari possit.*
2. *Opinans probabiliter, quin etiam minus probabiliter verumque iudicet (quamuis non sine formidine partis oppositæ) an ad ordines suscipiendos habeat requisitam ætatem, potest practicum iudicium prudenter formare, quod in tali casu satis sit sequi quod verisimile est.*
3. *Amplia, prædicta procedere etiam in alijs casibus, cum ob humanæ naturæ imbecillitatem maior certitudo haberi non possit.*
4. *Amplia, prædicta procedere in omni speculatiua probabilitate.*
5. *Intelligibile videtur esse aliqua opinio speculatiuè probabilis, quam in praxi homo amplecti tuto non potest.*
6. *Probabilitas practica differt à speculatiua tanquam effectus à sua causa.*
7. *Opinans speculatiuè aliquid licitè operari se posse propter rationes probabiles, id tuto executioni mandare poterit, alias nihil operabitur, nec alicuius fructus erit illa speculatio probabilis, si ad opus impedita esset.*
8. *Fœminæ quinquagenariæ ex eo, quia citius senescunt à ieiunio liberæ sunt ex speculatiua opinione, quæ tamen in praxi tuta non est.*
9. *Confessarius siue proprius vt Parochus, siue non proprius vt alij tenetur sequi opinionem pœnitentis si illa fuerit ab intrinseco siue ab extrinseco probabilis, etiamsi ipse confessarius illam non sequatur.*

10. *Pœnitens cum ſequatur opinionem probabilem in caſu de quo agitur, non temere, ſed prudenter agit, atque ideo non ponit obicem Sacramento, ſed recte diſpoſitus eſt, ergo neceſſario abſoluendus.*

11. *Confeſſarius non abſoluens pœnitentem tenentem probabilem opinionem peccat, & quia ſine neceſſitate onus graue imponit pœnitenti ad detegenda iterum ſua peccata alteri confeſſario, & quia iniuriam infert Sacramento, quod iam erat incæptum illud non perficiendo.*

12. *Iudices in foro externo ſyndicatui ſubijci non debent ex eo, quod iuxta opinionem probabilem, probabiliori, & communiori relicta ſententiam tulerint.*

13. *Pœna certa neceßario culpam certam ſupponat, neceſſe eſt: eſt enim veluti paſſio, & proprietas eius.*

1 RESpondetur, reſolutiones caſuum præcedentes locum habent, ſi propriè dictum dubium exiſtat, vt in neutram partem inclinando intelle-
2 ctus operari poſſit. Quod ſi verò aliquis probabiliter, quin etiam minus probabiliter, opinetur, verumque iudicet (quamuis non ſine formidine partis oppoſitæ) ſe v. g. ad Ordines ſuſcipiendos requiſitam ætatem habere, poterit practicum iudicium prudenter
3 formare, quod in tali caſu, cum ob humanæ naturæ imbecillitatem maior certitudo haberi non poſſit, ſatis ſit ſequi, quod veriſimile eſt: idemque dicendum in aliis caſibus, puta ſi probabilior opineris, te hominem non occidiſſe, te mortaliter non peccaſſe, vel peccatum confeſſum fuiſſe, &c. Atque ita patet *ex dictis tractatu præcedenti* per totum, & præter alios docet Suar. *tom. 4. diſp. 21. ſect. 9.*

4 Quod de omni ſpeculatiua probabilitate
5 dixerim. Ratio, quia inintelligibile videtur, aliquam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, & in praxi hominem illam amplecti tutò
6 non poſſe: nam probabilitas practica differt à ſpeculatiua, tanquam effectus à ſua cauſa: id enim, quod quis opere exequitur iuſtè, vel iniuſtè, ab eo naſcitur, quod ſpeculatiuè iudicauerit, poſſe fieri licitè, vel illicitè: qui
7 ergo arbitratur ſpeculatiuè, aliquid licitè operari ſe poſſe propter rationes probabiles, id tutò executioni mandare poterit: aliàs nihil operabitur, nec alicuius fructus erit illa ſpeculatio probabilis, ſi ad opus impedita eſſet. Atque ita contra Sanch. *de matrim. lib. diſp. 7.*
8 (vbi ait, quod quamuis fœminas quinquagenarias, ex eo, quia citiùs ſeneſcunt, à ieiunio liberas eſſe, opinio ſpeculatiuè probabilis ſit, non tamen tuta ſit in praxi) docet Sancius, *in ſelect. diſp. 54. num. 11.*

9 Et hoc adeò verum eſt, vt in foro interno confeſſarius ſiue propriùs (vt Parrochus) ſiue non proprius (vt alij) teneatur ſequi opinionem pœnitentis, ſi illa fuerit ab intrinſeco, vel ab extrinſeco probabilis, etiamſi ipſe confeſſarius illam non ſequatur. Ratio, quia cùm
10 in tali caſu pœnitens ſequatur opinionem probabilem, non temerè, ſed prudenter agit, & ſic non peccat: atque adeò non ponit obicem Sacramento, ſed rectè diſpoſitus eſt: ergo neceſſariò abſoluendus: alioquin confeſſarius 11
peccaret: primò, quia ſine neceſſitate onus graue imponeret pœnitenti ad detegenda iterum ſua peccata alteri confeſſario: ſecundò, quia iniuriam inferret Sacramento, quod iam erat incœptum, illud non perficiendo. Atque ita docent Sanch. *lib. 1. moral. cap. 9. num. 24.* Salas *in p. 2. q. 21. tract. 8. ſect. 9.* Valentia *to. 3. diſp. 5. q. 7. punct. 4.* Azor. *to. 1. lib. 2. cap. 17. q. 10.* Suar. *in 3. par. to. 4. diſp. 32. ſect. 5.* Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 25. num. 8.* Sylvius *in 3. par. q. 9. art. 2.* Monteſinus *in par. 2. q. 5. diſp. 29. num. 198.* Villalobos *to. 1. tract. 1. dubit. 12.* Nugnus *in addit. ad 3. par. q. 8. art. 4. dub. 4.* Fernandez *par. 3. c. 6 §. 9.* Coninch. *de Sacram. diſp. 8. dub. 17.* Vaſq. *in par. 2. to. 1. diſp. 62. cap. 7. nu. 40.* & Sancius *in ſelectis diſp. 33. num. 54.*

Item ſecundò hoc adeò verum eſt, vt in 12
foro externo non debeant Iudices ſubijci Syndicatui, ex eo quod iuxtà opinionem probabilem, probabiliori & communiori relicta, ſententiam tulerint. Et ratio eſt eadem, quæ dicebatur: quia qui iuxta opinionem probabilem operatur, prudenter, & ſine culpa operatur: ergo iudicem Syndicare ex eo, quod iuxta opinionem probabilem iudicauerit, eſſet eum ſine culpa punire: quod videtur rationis dictamini non conuenire: cùm pœna, & pœna certa, neceſſariò culpam, & culpam 13
certam ſupponat, neceſſe eſt: eſt enim veluti paſſio, ſeu proprietas eius. Atque ita docet Sanc. *loco ſupra citato, diſp. 44. num. 72.* contra Doctores, quos citat, & ſequitur Io. Valerus *in different: vtriuſque fori, verb. opinio diff. 1. num. 1.*

SECTIO II.

An, ab illa regula, Factum in dubio, niſi demonſtretur, *aliquando recedendum ſit?*

SVMMARIVM.

1. *Regula iſta factum in dubio non præſumitur niſi demonſtretur, limitatur vt non procedat, ſi in oppoſitum ſit fauor fidei, Religionis, vel animæ ſalutis.*
2. *Baptiſmi Sacramentum conferendum eſt etiam puero, de quo examinatis indicijs dubitatur, vtrum vſum rationis adeptus ſit, necne, ſi pereat reluctantibus parentibus infidelibus, ſi commodè expectari non poſſit donec certius appareat de vſu rationis, contra Henriquez, & alios.*
3. *Baptizandus eſt etiam puer ſi baptiſmo ſponte à parentibus offeratur, ille autem reluctetur.*

& consideratis indicijs dubium maneat de eius vsu rationis, si commodius expectari non potest donec certius appareat de rationis vsu contra Suarez, & alios.

4. *Baptismus puero reluctanti quod inualidè conferatur saltem sub conditione (si capax es, siue explicata, siue in mente retenta) minus periculum æstimari debet, quam vt non consulatur maiori periculo damnationis æternæ quod imminet puero, si tunc non baptizetur.*

5. *Sacramentum cum institutum sit in hominum salutem, maior ratio est habenda spiritualis necessitatis proximi, quam reuerentiæ Sacramenti.*

6. *Absoluendus etiam est homo in articulo mortis, si illum signa pœnitentiæ dedisse testificantur, vel vnus testis quicumque ille sit etiam non iuratus, etiamque non Christianus.*

7. *Absoluendus est homo in articulo mortis, si signa, quæ ipse dedit infirmus, ambigua sint, & dubitetur, an illa ex dolore orta fuerint, vel ex angore, & angustia mortis, saltem sub conditione.*

8. *Absoluendus non omnino improbabiliter etiam est homo in articulo mortis, etiamsi nulla signa dedit, dummodo fuerit vir probæ vitæ, & famæ: nam præsumitur tunc fuisse is memor salutis æternæ, & sic actum contritionis, vel attritionis elicuisse.*

1 RESpondetur: à supradicta regula, *Factum in dubio non præsumitur, nisi demonstretur*, recedendum est, si in oppositum sit fauor fidei, religionis, vel animæ salutis: v. g. si puer (de
2 quo, examinatis indicijs, dubitatur, vtrum vsum rationis adeptus sit, nec ne) petat, reluctantibus parentibus infidelibus, Sacramentum Baptismatis, tali casu baptizandus est: si commodè expectari non potest, donec certius appareat de vsu rationis: quia in dubio, vt dicebatur, inclinandum est in fauorem fidei, religionis, & animæ salutis, cùm maior sit hæc iniuria, maiusque detrimentum, si puero, qui fortè cum rationis discretione Sacramentum petit, illud denegatur: quàm sit iniuria, & damnum patris, si puer fortè, nec dum rationis vsum consecutus, ab eius potestate abstrahatur. Atque ita docent Sot. *in* 4. *dist.* 5. *art.* 10. *§. sed alterum dubium est.* Suar. *in* 3. *par. disp.* 25. *de Baptismo sect.* 3. Vasq. *in* 3. *par. tom.* 2. *disp.* 155. contra Henriq. *lib.* 2. *c.* 25. *num.* 3. & alios, qui contrarium docuerunt, moti ex regula dicta: quod factum in dubio non præsumitur, nisi demonstretur: & quia in dubio melior est conditio possidentis, patris scilicet hactenus habentis filium in sua potestate: & sic in dubio non spoliandi iure suo. At quod dixi, propter rationes dictas est potius dicendum.

3 Similiter, si parentes puerum baptismo sponte offerant, ille autem reluctetur: & consideratis indicijs dubium maneat de eius vsu rationis, baptizandus itidem est, si commodiùs expectari non potest, donec certius appareat de rationis vsu: quia in dubio, vt dicebatur, pro salute animæ est pronunciandum: & hæc pars præualere debet, si periculum sit in mora. Atque ita contra Suar. *cit. sect.* 3. *in fine*, & alios (qui contrarium dixerunt, propter regulam datam, *factum in dubio*, &c. propter reuerentiam Sacramenti, ne fortè inualidè administretur) tradunt Sot. & Vasq. *in locis supra cit.*

Ad id, quod aduersarij dicunt de regula, 4
patet ex dictis: ad id autem, quod subdunt.

Respondetur, quod minus æstimari debet periculum, quod baptismus puero reluctanti inualidè conferatur (saltem sub conditione, si capax es, &c. siue explicata, siue in mente retenta) quàm vt non consulatur maiori periculo damnationis æternæ, quod imminet puero, si tunc non baptizetur, vti suppono: nam cùm Sacramentum institutum sit in hominum 5
salutem, maior ratio est habenda spiritualis necessitatis proximi, quàm reuerentiæ Sacramenti: quod ideo in tali, & omni simili casu cedit iuri suo.

Quapropter absoluendus etiam est homo in 6
articulo mortis, si illum signa pœnitentiæ dedisse testificetur vel vnus testis, quicumque ille sit, etiam non iuratus, etiamque non Christianus: sicuti contra Coquetum, *in dissertatione de Confess. per litteras, cap.* 7. & alios docent ex communi Tambran. *de cas. in mortis art. cap.* 4. *dub.* 2. Salas *in par.* 1. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 5. *num.* 57. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 2. §. 7. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 11. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 36. *num.* 8. Bellarm. *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 7. Reginald. *de offic. confess. c.* 11. *num.* 16. Siluius *in* 3. *par. q.* 9. *art.* 2. Pontius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 8. Coninch. *de Sacrament. disp.* 7. *dub.* 10. *num.* 99. Filliuc. *to.* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 120. & alij.

Item absoluendus est homo in articulo mor- 7
tis, si signa, quæ ipse dedit infirmus, ambigua sint, & dubitetur, an illa ex dolore orta fuerint, vel ex angore, & angustia mortis: absoluendus, inquam, est, saltem sub conditione (sic enim vitatur periculum sacrilegij.) Atque ita præter alios docet Sancius *in selectis disp.* 44. *num.* 32.

Item absoluendus non omninò improbabi- 8
liter etiam est homo in articulo mortis, etiamsi nulla signa dedit, dummodo fuerit vir probæ vitæ, & famæ: nam præsumitur tunc fuisse is memor salutis æternæ: & sic actum contritionis, vel attritionis elicuisse, qui quodammodo sensibilis confessori redditur per suam probitatis famam. Atque ita docent Molfesius *in summa tom* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 48. & 49. vbi alios citat: Homobon. *par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 18. *qu.* 84 & Antonias *de literatis in summa edita Romæ*, *par.* 1. *cap.* 35. *num.* 7. vide Dianam *par.* 3. *tract.* 3. *resol.* 8. & si ipse sententiam oppositam communem sequatur.

SECTIO



SECTIO III.

Quid dicendum, ſi in vtramque partem quæſtionis ex diuerſis principijs probabiles rationes occurrunt, vt diſcernere quis non valeat, quarum rationum maius momentum ſit, v. g. ſi in vtramque partem æquale rationabile dubium eſt, an pecuniarum debitor illas ſoluerit, nec nè?

SVMMARIVM

1 *Debitor certus de debito, & dubius de ſolutione tenetur per omnes ad integram ſolutionem.*

2. *Similiter die dubitante an dies ieiunij totus tranſierit, an horas dixerit, an voto, iuramento, aut promiſſioni ſatisfecerit.*

3 *Debitor dubitans de ſolutione, de qua dubitat etiam ſuus creditor ſecundum Tannerum ad nihil tenetur, ſecundum verò Sanchez tenetur ad integram ſolutionem.*

4. *Debitor in caſu de quo agitur ſecundum Doctores non tenetur ad ſolutionem integram, ſed ſolum ad partem ſecundum proportionem dubij.*

1 NOn loquor hic in caſu quòd ſolum debitor dubius eſt de ſolutione: nã in tali caſu debitor certus de debito, & dubius de ſolutione, tenetur per omnes ad integram ſolutionẽ; tum propter regula datam, quod *factũ in dubio*, &c. tum quia cùm creditor poſſideat actionem debiti, non poteſt in dubio illum debitor priuare, ne debito certo æqualis ſit ſolutio dubia.

2 Vnde ſimiliter tenetur per omnes ad debitum, qui dubitat, an dies iejunij totus tranſierit, an horas dixerit; an voto, iuramento, aut promiſſioni, &c. ſatisfecerit, & ſimilia, ſicuti ex communi tradunt Salas. 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vn. ſect.* 23. *num.* 231. Suar. *de Relig. tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 33. *num.* 7. Vaſqu. 1. 2. *diſp.* 66. *cap.* 7. *num.* 43. Sanchez *lib.* 1. *moral c.* 10. *num.* 11. & Sancius *in ſelectis diſp.* 43. *num.* 9. *& alij.*

3 Sed loquor in caſu, quod vterque, ſcilicet debitor, & creditor, dubius eſt de ſolutione, an in hoc caſu debitor ad integram ſolutionem teneatur, necne?

Negat Tannerus 1. 2. *diſp.* 2. *q.* 6. *dub.* 4. *num.* 49. vbi contendit, debitorem in tali caſu ad nihilum teneri; quia vtroque æquè dubitante, non eſt cauſa, cur debitor (qui poſſidet, & ſic melioris eſt conditionis) potius, quàm creditor, ſequi debeat partem tutiorem, quando vterque ſimul in hoc caſu eam ſequi non poteſt.

Affirmat autem Sanchez. *lib.* 1. *moral. c.* 10. *num.* 12. & Merolla *to.* 1. *diſp.* 3. *c.* 3. *dub.* 2. *num.* 65. tum quia factum in dubio non præſumitur, niſi demonſtretur: tum quia creditor iure ſuo, quod ſemel habuiſſe conſtat, in dubio priuari non debet.

His itaque vtrimque ſic ſtantibus, arbitror, 4 quod debitor non teneatur ad ſolutionem integram, ſed ſolum ad partem, ſecundum proportionem dubij. Ratio, quia æquitas non patitur, vt debitor ſine culpa ſua, magno periculo ſubijciatur, bis ſoluendi integrum debitum; creditor autem, qui & ipſe, vt ſuppono, tale dubium non diffitetur, nullo periculo exponatur. Quapropter in hoc caſu neque creditorem condemnarem, ſi integram ſolutionem recipit; neque debitorem, ſi integram ſolutionem facere omittit; idque ob diuerſas probabiles; quibus vtraque pars nititur, *rationes*. Vide, quæ dicebam *Dubit.* 17.



SECTIO IV.

Quid dicendum de teſtamento facto ad cauſam non piam, ſi ei deſint ſolemnitates iure poſitiuo requiſitæ? quando de valore illius ſunt opiniones probabiles hinc, & inde.

SVMMARIVM.

1. *Teſtamentum factum ad cauſam non piam probabile eſt eſſe inualidum non ſolum in foro externo, ſed etiam interno, ſi ei deſint ſolemnitates iure poſitiuo requiſita.*

2. *Teſtamenta, vel Codicilli non ſolemnes omni iure etiam naturali pro infectis habentur etiam in foro interno, exceptis quæ ad pias cauſas pertinent.*

3. *Teſtamentum conditum ſine ſolemnitatibus iure poſitiuo requiſitis probabile eſt ſecundum aliquos eſſe tantum inualidum in foro externo non item in foro interno.*

4. *Hereditas, ſiue legatum omni iure tam Ciuili quam naturali debetur, quàmuis ex teſtamento minus ſolemni relinquatur ceſſante fraude, quia leges ciuiles caſſantes teſtamenta minus ſolemnia, fundantur in præſumptione commiſſæ fraudis.*

5. *Teſtamentis minus ſolemnibus ciuilium legiſlatorum mens non fuit reſiſtere, ſed ſolum non aſſiſtere, ſeu in externo foro actionem denegare.*

6. *Hæres ab inteſtato qui ſibi perſuadet, vel perſuadere debet voluntatem teſtatoris fuiſſe illam, quæ in teſtamento minus ſolemni habetur mortaliter peccat, ſi vel petat adiudicari*

sibi hæreditatem alteri relictam, vel non soluat legata.

7. *Hæres ab intestato, quia vtraque opinio probabilis est non est damnandus in conscientia si retineat ex testamento minus solemni, nec etiam damnandus est, hæres legatarius, &c. si ex eodem testamento minus solemni retineat.*

8. *Hæres ab intestato si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem, & soluere legata.*

9. *Hæres ab intestato in casu de quo agitur si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubij.*

10. *Hæres ab intestato in casu, de quo agitur probabilius est posse totum retinere.*

11. *Legatarij ex testamento minus solemni, si hæres ab intestato retineat hæreditatem, & legata, possunt vti occulta compensatione.*

12. *Hæres ab intestato si fateatur mentem Testatoris fuisse vt hæreditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solueret, aut si oblato iuramento iurare noluerit, cogendus est etiam in foro externo hæreditatem tradere (detracta tamen quarta parte, quæ Trebelliana dicitur) & soluere legatum.*

13. *Testium numerus, & similes solemnitates solum requiruntur in testamentis, vt fidem faciant in foro externo, seu vt falsitas, & omnis deceptio euitetur.*

14. *Legata, quæ in testamento minus solemni relicta alteri sunt, si ab eo possidentur, non solum possunt in foro conscientiæ retineri, sed etiam in externo defendi per legitimam exceptionem, quam sententiam Iason dicit esse communem.*

15. *Testamenta minus solemnia non fuit mens legislatorum reddere irrita in foro conscientiæ, sed tantum in foro externo non assistere, seu non dare actionem.*

16. *Hæres si fateatur voluntatem testatoris fuisse, vt hæreditas, non vt fideicommissum, sed immediatè perueniret ad institutum, recurrendum non est ad fidem testium, vel ad iuris subtilitatem.*

17. *Is, cui in testamento minus solemni relictum est aliquid, non potest illud petere, tanquam ex iustitia sibi debitum ex opposita sententia.*

18. *Is si possidet non potest retinere nisi fortè sit fideicommissum, vel legatum solutum sciens testamentum non fuisse solemne.*

19. *Hæres ab intestato pariter ex opposita sententia potest illud retinere & licet alteri possideat, potest repetere in iudicio.*

20. *Item si non potest repetere ob potentiam aduersarij potest vti occulta compensatione.*

21. *Refertur sententia nonnullorum DD. quæ est media inter prædictas, nempè testamentum minus solemne quadam ratione esse validum, quadam inualidum, & quomodo id intelligatur.*

22. *Sententia prædicta non videtur improbabilis, licet non videatur procedere de mente legislatorum, & cur.*

23. *Sententia Adriani, Angeli, Tabianæ, &c. videtur probabilior.*

24. *Iudex secundum sententiam Soti, & Bannes, & aliorum non improbabilem si lis ad forum ciuile deferatur, debet hæreditatem adiudicare hæredi ab intestato, eumque liberum pronunciare à soluendis legatis ex testamento imperfecto.*

25. *Prædicta procedunt etiamsi constet contrariam fuisse voluntatem testatoris.*

26. *Iudex non de legibus sed secundum leges iudicare debet.*

27. *Hæres ab intestato neque in conscientiæ foro tenetur relinquere hæreditatem, vel soluere legata ex testamento minus solemni contra secundam sententiam.*

28. *Iudicis sententia vt iusta sit non debet repugnare iuri naturali.*

29. *Qui in foro externo iustæ, & receptæ legis beneficio se tueri potest, quominus soluat, is neque in conscientiæ foro de ea re conuentus soluere ex iustitia obligatus est.*

30. *Hæres si in testamento minus solemni institutus, vel legatarius &c. rem sibi relictam absque vi, & fraude possidet, ius possidendi, & retinendi habet donec ciuili condictione indebiti ab eo repetatur, contra primam sententiam.*

31. *Legatum ex testamento imperfecto cum naturaliter debitum sit, per constituti simplicem promissionem firmatur, vt actionem pariat etiam in ciuili foro.*

32. *Idem homo, modò vnius testamenti tanquam minus solemnis, cassationem petere potest, vt ipse ab intestato succedat, modò si ipse institutus hæres sit, vel aliquid ipsi legatum sit in testamento minus solemni, hæreditatem, vel legatum capere, & retinere potest, si nihil contra eum excipiatur.*

33. *Minor viginti quinque annis si absque tutoris auctoritate contraxit, potest excipere, & opponere beneficium legis ciuilis, quamuis contractum seruare teneatur.*

34. *Idem homo si temporis progressu contractum ineat cum minore potest ab ipso petere, & accipere solutionem, si is nulla se exceptione legis defendat.*

35. *Hæres si in minus solemni testamento institutus, item legatarius, fideicommissarius &c. in minus solemni testamento nominatus non potest occultè compensare si hæreditas in externo foro hæredi ab intestato adiudicatur.*

36. *Iudex in causa inter Doctores controuersa debet consuetudinem, seu stylum Curiæ sequi, cum consuetudo sit optima legum interpres, immo stylus Curiæ ius faciat.*

37. *Stylus Curiæ si alicubi est vt hæreditas adiudicetur secundum voluntatem defuncti etiam ex testamento minus solẽni; tunc cessante scandalo, potest institutus hæres simul cum legatarijs &c. quod sibi persuadet relictum ex testatoris voluntate.*

38. *Amplia id procedere etiam si in externo foro id probari non possit.*

39. *Forum externum, si iustum est, non repugnat foro interno, nisi propter defectum probationis, & sic per accidens ob ignorantiam dumtaxat.*

1 Espondetur; quia similiter probabile est, testamentum factum ad causam non piam, esse inualidum, non solum in foro externo, sed etiam interno, si ei desint solemnitates iure positiuo requisitæ; sicuti docet Couarr. *c.* 10. *de testam. num.* 12. (vbi pro se citat Baldum, & Fortunium) Vasq. *in opusc. de testam. c.* 3. *num.* 36. *&* 37. (qui citat Gomesium, & Padillam) Salas. *de legib. tract.* 14. *disp.* 16. *sect.* 12. *num.* 52. Salonius 2. 2. *to.* 1. *q.* 61. *art.* 4. *fol. mihi* 159. Aragonius 2. 2. *q.* 62. *art.* 4 Becanus *to.* 2. *tract.* 3. *c.* 6. *num.* 5. *&* 6. Vegha *to.* 2. *c.* 114. *cas.* 2. Beia *p.* 1. *cas.* 53. Valerus *verb, legatum diff.* 6. *num.* 2. Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 1. *punct* 3. *num.* 5. *& seq.* Naldus *verb. Testamentum num.* 8. & alij; idque ex eo, quia ciuilium legislatorum mens fuit ad euitandas fraudes, quæ sæpe in vltimis voluntatibus contingere solent, auferre hominibus potestatem testandi, præter formam, seu solemnitatem ciuilibus legibus præscriptam; vt proinde testamenta, vel codicilli non solemnes, omni
2 iure, etiam naturali, pro infectis habeantur; & sic ex illis nemo relictam sibi hæreditatem, legatum, &c. in externo, seu in interno foro exigere, vel accipere possit, illis exceptis, quæ ad pias causas pertinent: ijs enim lex ciuilis præiudicare non potest; *vt infra dicetur.*

3 Et ex alia parte, quia probabile è contra etiam est, testamentum modo supra dicto conditum, id est, sine solemnitatibus iure positiuo requisitis, esse tantum inualidum in foro externo, non item in foro interno; sicuti docent Adrianus *quodlib.* 6. *art.* 1. *illatione* 2. Angel. *verb. Heres. num.* 5. Tabien. *ibid. num.* 4. Sylu. *verb. Testamentum,* 1. *q.* 5. *& verb. Hæreditas.* 3. *q.* 7. Io. Med. *Cod. de restit. q.* 23. Lopez 2. *p. c.* 14. S. Antonin. *p.* 3. *tit.* 10. *c.* 3. §. 14. Abb. *c. quia plerique num.* 43. *de immunit. Eccles. & in repetit. c. cum esses, num.* 8. *&* 15. *de testamentis.* Iason. *in l. si post diuisionem num.* 5. *C. de iuris, & facti ignor.* (qui dicit, esse communem) Baldus *in l. cum quis C. eodem.* Imola, Alex. *in l. nemo potest ff. de legat.* 1. Comitolus *in Respons. moral. lib.* 7. *q.* 8. Filliuc. *to.* 2. *tract.* 34. *c.* 7. *num.* 150. Canisius *in regulam* 13. *in* 6. Molfes. *tom.* 2. *tract.* 13. *c.* 2. *num.* 147. Homobonus *par.* 1. *tract.* 7. *c.* 19. *q.* 188. Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 10. Mol. *de Iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 81. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 15. *c.* 7. *sect.* 1. *nu.* 105. & alij. Idque siue ex eo, quia (vt ait Abb. *in loc. supra cit.* & Medin. *in fin. q.* 33. *de*
4 *restit.*) leges ciuiles cessantes testamenta minus solemnia, fundantur in præsumptione commissæ fraudis; quare si constet, eam fuisse testatoris voluntatem, nullamque interuenisse fraudem, tunc hæreditas, siue omni iure, tam ciuili, quàm naturali debitum est (quamuis ex testamento minus solemni relinquatur) ob generalem regulam illam: *leges in præsumptione fundatæ vim suam amittunt, si de contraria voluntate constet*; siue ex eo, quia (vt aiunt Mol. Canisius, & alij *vbi supra*)

Del Bene, p. Pars.

ciuilium legislatorum mens non fuit, testamentis minus solemnibus resistere, sed solum 5
non assistere, seu in externo foro actionem denegare; ad eum modum, quo de promissione simplici, seu pacto nudo dicitur; Quare di- 6
cendum est, ait Mol. hæredem ab intestato, qui sibi persuadet, vel merito persuadere debet voluntatem testatoris fuisse illam, quæ in testamento minus solemni habetur, mortaliter peccare, si vel petat adiudicari sibi hæreditatem alteri relictam, vel non soluat legata alij relicta. Probatur *ex l. vltima C. de fideicom.*

Quia inquam vtraque opinio hæc probabi- 7
lis est, non est damnandus in conscientia hæres ab intestato, si retineat ex testamento minus solemni; nec etiam damnandus est hæres, legatarius, fideicommissarius, &c. si similiter ex eodem testamento minus solemni etiam retineat. Quapropter iuxta priorem sententiam sequentur hæc

COROLLARIA.

Primum, quod hæres ab intestato, si sciat 8
voluntatem defuncti, teneatur restituere hæreditatem, & soluere legata eis, quibus testamento minus solemni debetur.

Secundum, si dubius sit de voluntate te- 9
statoris, debeat cum illis componere pro ratione dubij; sicuti docet Molin. *disp.* 81. quia cum nec ipse, nec alij cœperint bona fide possidere, in dubio par est eorum conditio; probabilius tamen videtur hæredem ab intestato in tali casu posse totum retinere. Ratio est, 10
quia habet ius certum, à quo non debet excludi per ius alterius dubium: hæc enim est ratio cur melior sit conditio possidentis; quia possidens, qui certus est se habere ius possidendi, non tenetur rem nec totam, nec partem eius deserere ob ius dubium alterius.

Tertium, si hæres ab intestato retineat hæ- 11
reditatem, & legata, possint illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, vti occulta compensatione, nam reuera res illæ erant ipsorum. Atque ita docet Syl. *verb. hæreditas* 3. *q.* 7.

Quartum, si hæres ab intestato fateatur 12
mentem testatoris fuisse, vt hæreditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solueret, aut si oblato iuramento, iurare noluerit, cogendus sit, etiam in foro externo hæreditatem tradere (detracta tamen quarta parte, quæ Trebelliana dicitur) & soluere legatum; vt patet primo *ex §. vlt. de fideicommissarijs hæreditatib.* Vbi Iustinianus statuit vt si testator fidei hæredis sui commisit, quod hæreditatem, vel speciale fideicommissum, tibi restituat, & postea nec ex scriptura, nec ex quinque testium numero possit probari hanc fuisse eius voluntatem, possis ei offerre iuramentum; & si iurare noluerit, vel si fassus fuerit, cogatur tibi restituere; nec liceat ad subtilitatem iuris confugere. id est, opponere testamento defuisse debitam solemnitatem. Rationem subdit; ne depereat vltima voluntas testatoris, fidei hæredis commissa, & vt patet secundò, *ex l. quæstionem, C. de fideicom.*
Vbi habetur, quod numerus testium, & simi- 13
les solemnitates solum requiruntur in testamentis, vt fidem faciant in foro externo, sed

vt falsitas, & omnis deceptio euitetur. Et vt patet tertiò, *ex l. etsi inutiliter, C. de fideicom.* Vbi Antoninus sanxit, *Non posse per te repeti fideicommissum relictum à defuncto inutiliter*, id est, in scriptura minus solemni, *si tu sciens voluntatem defuncti, cuius es hæres, illud præstiti-sti.* Rationem subdit: Quia *non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntati satisfactum esse videtur.* Vbi apertè supponitur, voluntatem defuncti, de qua constet per confessionem hæredis, cuius interest, validam esse debere, etiam in foro externo, etsi per scripturam minus solemnem

14 non satis probetur. Vnde colligunt Iuristæ, legata, quæ in testamento minus solemni tibi relicta sunt, si à te possidentur, non solum posse in foro conscientiæ retineri, sed etiam in externo defendi per legitimam exceptionem; quam sententiam Iason dicit esse communem, vt refert Couarr. *vbi supra num.* 19.

15 Ex his videtur, non fuisse mentem legislatorum reddere irrita in foro conscientiæ testamenta minus solemnia, sed tantum in foro externo non assistere, seu non dare actionem: sicut non dant actionem ex nuda promissione, nisi formula stipulationis, vel simili modo vestita promissio fuerit.

16 Quintum, quod idem ob eamdem causam dicendum sit, si hæres fateatur, voluntatem testatoris fuisse, vt hæreditas, non vt fideicommissum, sed immediatè perueniret ad institutum: non enim recurrendum est ad fidem testium, vel ad iuris subtilitatem, quando is, cuius interest, confitetur testatoris voluntatem vt habetur *in d. l. quæstionem, C. de fideicommissis.*

Iuxta autem sententiam priorem sequentur hæc alia in oppositum Corollaria.

COROLLARIA.

17 Primum, quod is, cui per testamentum minus solemne relictum est aliquid, non possit illud petere, tanquam ex iustitia sibi debitum.

18 Secundum, si possidet, non possit retinere, nisi fortè sit fideicommissum, quod testator fidei sui hæredis commiserit; vel legatum, quod hæres iam soluerit, sciens testamentum non fuisse solemne, iuxta ea, quæ dicta sunt supra in quarto Corollario sententiæ oppositæ.

19 Tertium, quod hæres ab intestato possit illud retinere: & si alter possidet, possit repetere in iudicio.

20 Quartum, quod si non potest repetere ob potentiam aduersarij, possit vti occulta compensatione.

21 Aduerte tamen, Sotum *lib. 4. de iustit. q. 5. art.* 3. Bannes. 2. 2. *q.* 62. *disp.* 5. Sà, *verb. contractus, num.* 1. *& verb. Hæreditas, num.* 32. *& verb. Testamentum, num.* 3. Vict. apud Mol. *loc. cit.* & alios apud Couar. *vbi supra num.* 10. tenere quamdam sententiam mediam: nempè testamentum minus solemne, quadam ratione esse validum, quadam inualidum: validum, quia institutus potest capere hæreditatem, si nemo sibi opponat; & retinere, donec iudex illam ei abiudicet: inualidum, quia hæres ab intestato potest illam capere, & retinere, etiamsi sciat voluntatem defuncti aliam fuisse; quod si alter eam occupauerit, potest in iudicio illam petere, & cùm adiudicata fuerit, retinere.

Hæc tertia sententia non est etiam improbabilis: nam dubitandum non est, quin legislatores potuerint ita statuere; nempè vt tale testamentum non esset irritum in conscientia ante Iudicis sententiam, & per illam irritaretur, vel declararetur irritum ex vi legis: verùm non videtur hæc fuisse legislatorum mens: nam si hæres fateatur voluntatem testatoris fuisse, vt alteri traderet fideicommissum, vel legatum, cogetur vi legum soluere, vt *supra* ex multis textibus iuris dictum est. Quapropter secunda sententia Adriani, Angeli, Tabienæ, &c. videtur probabilior. 22 23

Secundùm tamen istam tertiam Soti, Bannes, & aliorum non improbabilem sententiam 24
sequitur primò, quod si lis ad forum ciuile deferatur, iudex debet hæreditatem adiudicare hæredi ab intestato, eumque liberum pronunciare à soluendis legatis ex testamento imperfecto, etiamsi constet contrariam fuisse voluntatem testatoris; est contra secundam 25
sententiam; sed probari potest; quia Iudex non de legibus, sed secundùm leges iudicare 26
debet, *c.* 3. *d.* 4. ex August. *c.* 31. *de vera Relig.* atqui testamentum imperfectum secundùm leges est nullum; *§. ex eo, instit. quibus modis testamentum infirmetur, & C. de testament.* vbi *ex imperfecto testamento voluntatem defuncti tenere nolumus.* Et *l. hac consultissima, C. eod.* vbi citatur. *Non subscriptum à testibus, & non signatum testamentum pro infecto haberi conuenit*; Ergo iudex ita iudicare debet.

Sequitur secundò, quod neque in conscien- 27
tiæ foro hæres ab intestato tenetur relinquere hæreditatē, vel soluere legata ex testamēto minus solemni. Est itidē contra secundā sententiā, sed traditur à Suar. *lib.* 3. *de legib. c.* 32. *num.* 7. & ab alijs; & probari potest; quia iudicis sententia, vt iusta sit, non debet repugnare iuri naturali; at repugnaret tali iuri iudicis 28
sententia, si per illam hæres in conscientia legata, v. g. soluere obligatus (ita vt nulla exceptione se tueri posset) à solutione liber pronunciaretur; Ergo hæres non est in conscientia obligatus. Quare regula tradi solet: *Qui in* 29
foro externo iustè, & receptæ legis beneficio se tueri potest, quominus soluat; is neque in conscientiæ foro de ea re conuentus, soluere ex iustitia obligatus est.

Sequitur tertiò, quod si hæres in testamen- 30
to minus solemni institutus, vel legatarius, &c. rem sibi relictam absque vi, & fraude possidet, ius possidendi, & retinendi habet, donec ciuili conditione indebiti (id est tanquam ciuiliter non debitum) ab ipso repetatur. Est contra primam sententiam: sed traditur à Soto. Sylu. Sà *in loc. suprà citat.* Nauarr. *lib.* 3. *cons.* 1. *de testament. edit.* 2. Et ratio esse potest, quia, iuxta istam tertiam sententiam ex vi testamenti minus solemnis manet obligatio naturalis, quæ per se sufficiens est ad dominium transferendum. Cui doctrinæ fauent Gloss. *in l. cum quis, C. de iuris & facti*

ignorantia, & Iuriſtæ *Inſtit. de actionib. §. de constituta*: cum aiunt, legatum ex teſtamento imperfecto cum naturaliter debitum ſit, per conſtitutam ſimplicem promiſſionem firmatur, vt actionem pariat, etiam in ciuili foro.

31 Sequitur quartò, quod idem homo, modò vnius teſtamenti, tanquam minus ſolemnis caſſationem petere poteſt, vt ipſe ab inteſtato
32 ſuccedat; modo, ſi ipſe inſtitutus hæres ſit, vel aliquid ipſi legatum ſit, in teſtamento minus ſolemni hæreditatem, vel legatum capere, & retinere poteſt, ſi nihil contra eum excipiatur. Reſpondeo, quia hæc dubia, licèt ex diuerſis, non tamen ex oppoſitis principijs oriuntur: nam prius illud teſtamentum oppugnauit, & caſſari fecit, ob beneficium legis ciuilis, quia talia teſtamenta à Iudice infirmanda eſſe decreuit; ex altero autem imperfecto teſtamenro hæreditatem, aut legatum capit ſecutus voluntatem defuncti, ſecundum iuris naturalis æquitatem, ſi hæres non oppoſuit beneficium legis reſcindendi; quippè quod his tantum prodeſſe debet, qui eo vtuntur;
33 ſicut qui minor viginti quinque annis abſque tutoris auctoritate contraxit, poteſt excipere & opponere beneficium legis ciuilis, quominus contractum ſeruare teneatur: ſi autem
34 idem homo temporis progreſſu, cùm ætate maior factus eſt, contractum ineat cum minore, poteſt ab ipſo petere, & accipere ſolutionem, ſi is nulla ſe exceptione legis defendat. Reſpondeo quia leges ciuiles irritantes contractum pupilli, ſicut & minus ſolemne teſtamentum, ſecundùm iſtam tertiam ſententiam, non omnino auferunt obligationem naturalem, quamuis reddant minus efficacem, dum beneficium exceptionis tribuunt; ſin verò pars vna nihil incipiat, aut appponat, altera iure naturali vti poteſt.


35 Sequitur quintò contra Molin *tom. 1. tract. 2. diſp. 81* & alios quod hæres in minus ſolemni teſtamento inſtitutus, item legatarius, fideicommiſſarius, &c. in minus ſolemni teſtamento nominatus, non poteſt occultè compenſare, ſi hæreditas in externo foro hæredi ab inteſtato adiudicetur. Reſpondeo, quia ſi iuſta fuit ſententia iudicis hæreditatem hæredi ab inteſtato adiudicantis, hæres ab inteſtato ius habet illam accipiendi, & retinendi: Quod ſi hæres ab inteſtato hæreditatem iuſtè poſſidet, ſequitur quod hæres minus ſolemniter inſtitutus (ſicut & legatarij, fideicommiſſarij, &c. iniuriam ei faciat, ſi hæreditatem aut partem hæreditatis clam ei auferat.

Porrò, quod Iudex iuſtè iudicet, infirmando teſtamentum minus ſolemne, ſupra probatum eſt.

36 Confirmatur, quia iudex in cauſa inter Doctores controuerſa debet conſuetudinem, ſeu ſtylum Curiæ ſequi, cùm conſuetudo ſit optima legum interpres, imò ſtylus Curiæ ius facit; at communis praxis tribunalium eſt, vt teſtamentum minus ſolemne caſſetur & hæreditas hæredi ab inteſtato adiudicetur; ergo id iuſtè fit, atque adeò hæredi ab inteſtato ius acquiritur.

37 Si tamen ſtylus Curiæ alicubi eſt, vt hæreditas adiudicetur ſecundùm voluntatem defuncti, etiam ex teſtamento minus ſolemni; tunc ceſſante ſcandalo, poteſt inſtitutus hæres ſimul cum legatarijs, &c. occultè compenſare quod ſibi defuncti voluntate relictum eſſe ſibi perſuaſum habet; eſto, in externo foro id probari non poſſit; quia quando in externo foro 37 alicui cauſa abiudicatur, ſolum tunc is propter defectum probationis, ſi veritatem nouerit, non tenetur in conſcientia ſe conformare ſententiæ, niſi propter ſcandalum vitandum; ſiquidem talis ſententia fundatur in præſumptione, quæ cedit ſemper veritati.

Si tamen cauſa aperta eſt, nullaque probatione indigens, tunc Iudicis ſententia, ſi iuſta eſt, iuri naturali, ac conſcientiæ non poteſt repugnare, vt per ſe patet. Quamobrem talis regula dari conſueuit: *Forum externum, non repugnat foro interno, niſi ſi iuſtum eſt, propter defectum probationis, & ſic per accidens, ob ignorantiam* dumtaxat. Vide Sanchez *lib. 1. moral. c. 10. num. 18. & lib. 7. c. 25. num. 8.* 38 39



SECTIO V.

An idem dicendum ſit de teſtamento facto ad cauſam piam?

SVMMARIVM.

1. *Teſtamenta, & legata facta ad cauſam piam, ſunt quæ præcipuè, & directè facta ſunt ob Dei, & Sanctorum honorem, vel animæ ſpiritualem ſalutem, puta quæ Eccleſijs, alijſque pijs locis, vel in captiuorum redemptionem, in pauperum, vel Religioſorum (quamuis conſanguinorum) ſuſtentationem.*
2. *Relictum Epiſcopo, vel alij Eccleſiaſtico Prælato in dubio cenſetur intuitu Eccleſiæ relictum, niſi qui reliquerit propinquus fuerit, & præſumptio laboret pro perſona.*
3. *Teſtamentum, ſeu legatum, fideicommiſſum, & c. factum ad cauſam piam eſt validum tum in foro interno, tum in foro externo, etiamſi ei deſint ſolemnitates, quas requirit ius ciuile,*
4. *dummodo tamen habeat quod eſt de iure gentium nempè quod duo teſtes adſint.*
5. *Parochi præſentia non requiritur ad validitatem teſtamenti facti ad pias cauſas, dummodo adſint duo teſtes.*
6. *Iura ſæcularia cauſis Eccleſiaſticis, ſiue ad ſupernaturalem hominis finem, ſpiritualemque ſalutem directè ſpectantibus, nullum præiudicium afferre poſſunt niſi à Pontifice approbata, & recepta ſint.*
7. *Iura canonica diſponentia ad validitatem teſtamenti, legati & c. ad cauſas pias requiri duos teſtes, non ideo requirunt quaſi ſine illis diſpoſitio ſit nulla in foro conſcientiæ, ſed vt probari poſſit in foro externo.*
8. *Teſtamentum legatum & c. ad cauſas pias vt*

sit validum etiam in foro externo non requiritur hæredis institutio.

9. *Testamentum ad causas profanas licet sine solemnitatibus à iure requisitus sit nullum, legata tamen in eo contentæ valida sunt.*

10. *Legata profana posita in testamento ad pias causas minus solemni, valent, suntque soluenda ex communi Doctorum sententia.*

11. *Accessorium sequitur naturam sui principalis, & conuenit subsistente principali subsistere etiam accessorium.*

12. *Hæredis declaratio nutu facta licet ciuili iure irrita sit (quãuis non item legatum) tamen quatenus attinet ad causas pias, tam in testamento, quàm in legato sufficit quocumque signo externo voluntas defuncti declaretur.*

13. *Mutus, aut surdus voluntatem suam vltimam ad causas pias potest quomodocumque declarare.*

14. *Testamentum, & quæcumque alia vltima voluntas ad causas pias manu testatoris scripta valida est, licet nullus testis adfuerit, modo sufficienter constet esse testatoris scripturam.*

15. *Testium interuentus in testamento ad causas pias non requiritur ad substantiam testamenti, sed ad probationem, si illud probationis genus haberi non potest.*

16. *Vnius tantum testimonium etiam in dispositione ad pias causas non attenditur neque in foro interno, neque externo iuxta illud, vnus testis, nullus testis.*

17. *Parochus si post mortem Parochiani producit schedulam legata ad pias causas continentem, quam Parochianum illum antequam moreretur, scripsisse, vel dictasse asseuerat, voluntas legantis executioni mandanda sit, si manus eius agnoscitur, vel duobus testibus probari possit.*

18. *Parocho enuncianti defuncti legata non creditur soli, secus si habet testem, quare non excipiat vltimas voluntates ad pias causas non adhibitis duobus testibus maribus, aut fœminis.*

19. *Vnus testis sufficit cum Parocho licet legatum sit pro sua Ecclesia.*

20. *Rector, aliusve beneficiatus, aut Religiosus potest esse testis in causa Ecclesiæ suæ.*

21 *Testamentum inceptum non tamen perfectum ob mortem superuenientem, licet non valeat de iure ciuili, valet tamen quoad legata pia expressa.*

22. *Limita, prædictam conclusionem non procedere in testamento, quod à Patre, matre, aliove vtriusque sexus ascendente inter liberos conditum est.*

23. *Testamentum imperfectum imperfectione quadam extrinseca, quæ scilicet consistit in defectu solemnitatum legalium, nihil officit testamento inter liberos*

24. *Amplia, id locum habere, tametsi Pater liberos suos inæqualibus portionibus instituerit: nam talis inæqualis diuisio habet vim prælegatorum.*

25. *Amplia, id locum habere erga liberos Principis rescripto, multoque magis subsequenti matrimonio legitimatos.*

26. *Immò etiam erga naturales, si mater non illustris fœmina testetur, quia comparatione matris, filij naturales quasi legitimi habetur.*

27. *Legalis solemnitas in testamento inter liberos, ideo non requiritur, & ob fauorem liberorum, & quia ob mutuam charitatem cessare debet inter eos omnis suspicio fraudis.*

28. *Testamentum inter liberos imperfectum imperfectione quadam magis intrinseca non subsistit.*

29. *Amplia, vt neque subsistat si testator vnum ex liberis in testamento præterijt, vel si solo nutu voluntatem suam inter liberos testandi, vel bona sua diuidendi significauit.*

30. *A testamento ad pias causas ad testamentum inter liberos non valet absolutè argumentum.*

31. *Testamentum, legatum &c. ad pias causas validum est & si alterius arbitrio committatur, v. g. instituo hæredes Pauperes, quos Titius elegerit.*

32. *Qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, non videtur decedere intestatus.*

33. *Testator si dixerit secundum quosdam, committo omnia bona mea arbitrio, vel dispositioni Titij: tunc Titius est solo nomine Hæres, & tenetur totam hæreditatem in causas pias distribuere.*

34. *Institutio hæredis ad causas profanas collata in arbitrium tertij irrita est*

35. *Idem dic de legato in alterius arbitrio posito.*

36. *Voluntas captatoria ostenditur quæ sit, neque dicitur omnino ea, quæ in arbitrium alterius confertur, talis enim dispositio non est irrita, sed valet saltem in testamento militis.*

37. *Captatoriæ voluntates illæ dicuntur, quæ fiunt cum conditione aptata ad alterius animum captandum.*

38. *Legata ad pias causas præstanda sunt, etiamsi hæreditas adita non fuerit.*

RÆspondetur; ea, quæ vsque adhuc dicta sunt, dicta esse de testamento facto ad causam non piam; non autem de testamento, itemque legatis factis ad causam piam, id est, quæ præcipuè, & directè facta sunt ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel animæ spiritualem salutem; puta, quæ Ecclesijs, alijsve pijs locis, vel in captiuorum redemptionem, in pauperum, vel Religiosorum (quamuis consanguineorum) sustentationem, in satisfactionem pro peccatis, in mortuorum suffragia, &c. relicta sunt. Qua de re Abb. *in rubr. de testam. num. 9. & c. relatum*, 1. *num.* 7. Bart. *in l. si quis Titio, ff. de legat.* 2. Tiraquel. *in præfat. tract. de priuilegijs piæ causæ.* Silu. *verb. legatum,* 4. *q.* 1. & 2. Nauarr. *in Apol. de redit. Eccles. q.* 1. *mon.* 26. Mol. *disp.* 134. Comitol. *in respons. moral. lib.* 7. *q.* 4. *num.* 1. 1

Quin adde, si Episcopo, vel alij Ecclesiastico Prælato aliquid fuerit relictum, in dubio censeri debere intuitu Ecclesiæ relictum; nisi qui reliquit, propinquus fuerit, vt præsumptio sit, intuitu personæ relictum fuisse; Atque ita habetur *in c. reliquisti de testam.* 2

Quæ, inquam, vſque adhuc dicta ſunt, dixerim, dicta eſſe de teſtamento facto ad cauſam non piam, non item de teſtamento, &
3 legatis factis ad cauſam piam: Nam teſtamentum (idemque dico de legatis, fideicommiſſis, &c.) factum ad cauſam piam eſt validum, tum in foro interno, tum in foro externo, etiamſi ei deſint ſolemnitates, quas requirit ius ciuile; v. g. ſi non adſint ſeptem teſtes, vel non omnes teſtes ſint mares, & puberes, vel non omnes teſtes ſint rogati, vel ſi non omnes teſtes ſubſcripſerint, &c. quæ habentur *in l. hac conſultiſſima*, 21. *C. de te-*
4 *ſtam.* dummodo tamen habeat quod eſt de iure gentium, nempè, quod duo teſtes adſint. Ita Bart. alijque Doctores *in l.* 1. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Abbas, & alij *in cit. cap. relatum*, 1. *de teſtam.* Couarr. *cap.* 11. *de teſtam. nu.* 9. Clarus §. *Teſtamentum*, *q.* 6. *num.* 1. Tiraquel. *de priuileg. piæ cauſæ, priuileg.* 3. *&* 164. Nicol. Euer. *tom.* 1. *conſil.* 27. *&* 28. & alij communiter; & colligitur apertè *ex cit. cap. relatum*, 1. *de teſtam.* vbi Alexander III. mandat, vt iudex cauſas, in quibus agitur de ijs, quæ relicta ſunt Eccleſiis, tractent non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Canones duobus, vel tribus dumtaxat legitimis teſtibus requiſitis: quoniam ſcriptum eſt, *Deut.* 17. *In ore duorum vel trium ſtet omne verbum.*

Et hoc etiam in foro ciuili ſeruandum eſſe, docet Clarus ſupra, & alij Doctores.

5 Neque requiritur præſentia Parochi, vt quidam volunt: Nam Pontifex dicit, non niſi duos legitimos teſtes requirendos eſſe: potuit autem Pontifex hac in rè legibus ciuilibus derogare, quia poteſtatis Eccleſiaſticæ (cuius plenitudo eſt in Pontifice) eſt ordinare hominum actiones ad finem ſupernaturalem (qui eſt ſalus animæ) & conſequenter poteſt tollere omnia, quæ curſum bonorum operum ad ſalutem animæ pertinentium impediunt: ſed iſtæ leges in cauſis pijs impedirent curſum bonorum operum; ergo &c. Vnde regula eſt,
6 quod iura ſæcularia cauſis Eccleſiaſticis, ſiue ad ſupernaturalem hominis finem, ſpiritualemque ſalutem directè ſpectantibus, nullum præiudicium afferre poſſunt, niſi à Pontifice approbata, & recepta ſint, iuxta *cap. Eccleſia de conſtit.*

Porrò quod ſolemnitates teſtamentorum ciuili iure introductæ, receptæ non ſint in caſu noſtro, conſtat *ex cit. c. relatum*, 1. *de teſtam.* & fatentur omnes.

7 An autem, vt tale teſtamentum ſit validum in foro interno, neceſſarij ſint etiam duo teſtes?

Reſpondeo negatiuè; quia ſufficit in his teſtamentis, & legatis, id quod iure naturali eſt ſufficiens; nempè, quod ſit poteſtas in diſponente; capacitas in cuius fauorem diſponitur, & libertas in ipſa diſpoſitione. Et probatur; quia nulla ſolemnitas iuris ciuilis in his teſtamentis eſt neceſſaria, vt patet *ex cit. cap. relatum*, 1. *de teſtam.* neque etiam ſunt neceſſarij duo teſtes iure canonico: quia ius Canonicum non requirit eos, vt diſpoſitio ſit validda in foro conſcientiæ, ſed vt poſſit probari in foro externo, quantum ſatis eſt, vt iudex pro eo ſententiam ferat, vt colligitur *ex d. c. relatum.*

COROLLARIA.

Ex dictis ſequitur, quod in tali teſtamento, 8
vt validum ſit, etiam in foro externo, non requiratur hæredis inſtitutio. Ratio, quia hæc eſt tantum neceſſaria iure ciuili; at vt teſtamentum ad pias cauſas validum ſit, nihil requiritur ſolo iure ciuili introductum; ergo, Ita Clarus *quæſt.* 6. *num.* 8.

Secundò ſequitur, quod etſi teſtamentum 9
ad cauſas profanas defectu ſolemnitatis ſit inualidum, tamen legata pia in illo contenta valida ſint. Ita Couarr. *cap.* 11. *num.* 4. Ratio eſt, quia caput *relatum* loquitur generatim de omnibus ad piam cauſam relictis; vnde etiam comprehendit legata.

Tertiò ſequitur, quod legata profana poſi- 10
ta in teſtamento ad pias cauſas minus ſolemni, valeant, ſintque ſoluenda; eſt ſententia communior Doctorum apud Couarr. *c. relatum*, 1. *num.* 2. Mol. *diſp.* 134. Tiraquell. *priuileg.* 8. Clarus §. *Teſtamentum q.* 6. *num.* 9. Ratio eſt, quia ſolemnitas, quæ ſufficit ad inſtitutionem hæredis, etiam ſufficit ad legata illi appoſita: acceſſorium enim ſequitur naturam 11
principalis; & conuenit, ſubſiſtente principali, ſubſiſtere etiam acceſſorium.

Quartò ſequitur, quod, etſi ciuili iure hæ- 12
redis declaratio nutu facta, irrita ſit, *l. iubemus C. de teſtam.* (quamuis non item legatum, *l. nutu*, *ff. de leg.* 3. & ex communi docet Couarr. *c. cùm tibi*, *de teſtam. num.* 4. *&* 5.) tamen quatenus attinet ad cauſas pias, tam in teſtamento, quàm in legato ſufficiat, quocumque ſigno externo voluntatem defuncti declaratam eſſe. Ratio, quia iure naturali, ac gentium plus non requiritur; at hoc ſufficit in illis diſpoſitionibus, vt ſupra dicebatur, ergo, &c.

Imò qui natura mutus, ac ſurdus eſt, vo- 13
luntatem ſuam vltimam ad cauſas pias poteſt quomodocumque declarare: ſicuti docet Abbas *in rubr. de teſtam. num.* 9. Clarus §. *Teſtamentum*, *q.* 6. *num.* 7. vide etiam Gloſſ. *in cit. c. cùm tibi.*

Quintò ſequitur, quòd validum ſit teſta- 14
mentum, & quæcumque alia vltima voluntas ad cauſas pias, manu teſtatoris ſcripta, & ſi nullus teſtis adfuerit: modò ſufficienter conſtet, eſſe teſtatoris ſcripturam. Ita Tiraq. *priuileg.* 4. Ratio, quia (*vt ſupra dixi*, & docet idem Tiraquell. *priuileg.* 2. Couarr. *cit. c. relatum*, 1. *num.* 12. Mol. *diſp.* 134.) interuentus 15
teſtium non requiritur ad ſubſtantiam teſtamenti, ſed ad probationem, ſi aliud probationis genus haberi non poteſt, *cit. c. relatum.* 1. *& c. licet vniuerſis*, *de teſtibus*, vbi dicitur: *licet quædam ſint cauſæ, quæ plures, quàm duos exigant teſtes; nulla tamen eſt cauſa, quæ vnius teſtimonio, quamuis, legitimo terminetur.* Similia habentur *in c. veniens. cap. cùm à nobis*, *eodem tit.* Et ratio eſt, quia valde expediebat bono communi ad impediendas hominum fraudes certam regulam ſtatuere; quæ proptereà omnium gentium conſenſu recepta eſt, vt

neque in externo, neque in conſcientiæ foro, quiſquam cum ſuo, vel alterius præiudicio
16 ſtare teneatur ſolo dicto vnius, quantumuis probati, & omni exceptione moioris teſtis; ſed ad minus duorum conteſtatio opus ſit; alioquin plures fraudes contingerent; quare (vt videre eſt apud Nauarr. *lib. 5. conſ. 3. num. 2. de accuſat.*) dici ſolet: *Vnus teſtis nullus teſtis.*

Hinc ſi hæredi conſtat, voluntatem teſtatoris fuiſſe, vt aliquid in piam cauſam daretur; eſto, in foro externo id probari non poſſit, tamen in conſcientiæ foro ſatisfacere tenetur: non enim tunc probatione opus eſt, quando de veritate conſtat; eſtque hæc magna aliquorum deceptio iuriſtarum, qui exiſtimant, debitorem obligatione ſoluendi liberum eſſe, ſi de eo debitum probari non poſſit.

17 Ex his dicendum eſt, quod ſi Parochus poſt mortem Parochiani producit ſchedam legata ad pias cauſas continentem, quam Parochianum illum, antequam moreretur, ſcripſiſſe, vel dictaſſe, aſſeuerat, voluntas legantis executioni mandanda ſit, ſi manus eius agnoſcitur, vel duobus teſtibus probari poteſt.

18 Quod ipſemet Parochus legata annotauit, non creditur ei ſine alio teſte; Quare Parochi, alijque confeſſarij vltimas huiuſmodi diſpoſitiones nōn excipiant, niſi adhibitis duobus teſtibus maribus, aut fœminis; quamuis
19 etiam vnus teſtis cum Parocho ſufficiat, licet legatum ſit pro Eccleſia ſua. Ratio, quia Re-
20 ctor, aliuſve beneficiatus, aut religioſus poteſt eſſe teſtis in cauſa Eccleſiæ ſuæ.

Quod ſi tandem Parochianus in teſtamento, vel coram teſtibus, voluntatem ſuam declarauit; velle ſe quædam ad pias cauſas erogari, ſicuti v. g. confeſſario ſuo demandauerat, debet audiri confeſſarius, & ſecundùm eius relationem executio fieri, modò talia indicia afferat, vt veriſimile ſit, defunctum ea ipſi demandaſſe. Ita Couarr. *cap. cùm tibi, num. 23. de teſtam.* Nauarr. *lib. 3. conſ. 16. de teſtam. edit. 2.*

21 Sextò ſequitur, quod, ſi moriturus cœpit facere teſtamentum, vel codicillum, &c. & morte præuentus non abſoluit (licèt ſecundùm alia irritum ſit, *l. ſi is, qui. ff. qui teſtam. facere poſſunt.*) valeat tamen quoad relicta pia, quæ in ſua illa imperfecta diſpoſitione iam expreſſerat: nam quamuis voluntatem ſuam mutare potuerit teſtator, cùm tamen re ipſa nullam mutationem ſignificauerit, naturali, & canonico iure firma manet. Ita Bart. *l. in teſtamento. ff. de fideicommiſſ.* Abb. *in c. 1. & penult. de ſucceſſ. ab inteſtato.* Tiraquell. *priuil. 7.* Couarr. *c. relatum 1. num. 14.* Vaſq. *tract. de teſtam. c. 1. num. 17.* Mol. *cit. diſp. 134.* contra Fachin. *lib. 4. controuerſ. c. 3.* & alios. Et ratio eſt fauor cauſæ piæ, quæ meritò fauorabilis eſt in omni caſu.

22 Non ſic tamen philoſopheris in teſtamento, quod à patre, matre, aliove vtriuſque ſexus aſcendente inter liberos conditum eſt: nam quamuis hoc (vtpotè priuilegiatum) ratum cenſeri debeat, licèt imperfectum, & iuris ſolemnitate deſtitutum ſit; ſicuti ſtatuit Conſtantin. Imper. *In l. vlt. C. famil. Herciſcundæ;* & poſtea Theodoſ. Imper. *in l. hac conſultiſſima, C. de teſtam.* tamen id communiter intelligunt Doctores, ſi ſit imperfectum imperfe- 23
ctione quadam quaſi extrinſeca, quæ ſcilicet conſiſtit in defectu ſolemnitatum legalium, puta ſi ſeptem teſtes, ijque rogati, ac mares ſimul collecti non ſint: talis enim imperfectio nihil officit teſtamento inter liberos: ſicut ex communi docet Claruſq. 9. Mol *diſp. 128.* Fachinæus *tom. 2. lib. 4. controu. c. 1. & 2.* Nicol. Euerard. *vol. 1. conſ. 27.* Andreas Gaill. *lib. 2. obſeru. 112. & 116.*

Qui addunt primò, in tali caſu id locum 24
habere, tametſi pater liberos ſuos inæqualibus portionibus inſtituerit: nam talis inæqualis diuiſio habet vim prælegatorum, ſicuti colligitur *ex l. ſi cognatione, iunct. gl. verb. voluntatem, C. famil. Herciſcundæ:* quamuis contrarium doceat Couarr. *in c. Raynutius §. 1. num. 3.*

Addunt ſecundò, locum etiam id habere er- 25
ga liberos, Principis reſcripto, multoque magis ſubſequenti matrimonio legitimatos: vt ait Clarus *q. 12.* Fachin. *c. 3.* imò etiam er- 26
ga naturales, ſi mater, non illuſtris fœmina, teſtetur: quia comparatione matris, filij naturales quaſi legitimi habentur, *§. nouiſſimè Inſtit. ad S. C. Orphit.* vbi Gl. *verb. Hæreditatem,* Andr. Gaill. *cit. diſp. 112. num. 20.*

Ratio autem, cur legalis ſolemnitas in te- 27
ſtamento inter liberos non requiratur, partim eſt; quia liberorum, quibus naturali iure hæreditas debetur, per ſe magnus fauor eſt; partim, quia ob mutuam charitatem ceſſare debet inter eos omnis ſuſpicio fraudis, ad quam cauendam iuris ſolemnitates in teſtamentis requiruntur.

At, ſi teſtamentum inter liberos imperfe- 28
ctum eſt imperfectione quadam magis intrinſeca, quæ ſcilicet conſiſtit in eo, quod voluntas teſtatoris non fuerit plenè, ac perfectè declarata (vt modò ſupra de teſtamento ad pias cauſas dicebatur) tale teſtamentum inter liberos non ſubſiſtit; & non tam factum, quàm cœptum cenſeri debet; ſicuti docent communiter Doctores. Clarus *q. 9.* Mol. *diſp. 120* Fach. *c. 4* Eademque ratio eſt ſi teſtator vnum 29
ex liberis in teſtamento præterijt, vel ſi ſolo nutu voluntatem ſuam inter liberos teſtandi, vel bona ſua diuidendi, ſignificauit; vt ex communi docet Mol. ibidem. Clarus *q. 8.* vbi ait: *Et ſic vides, non valere abſolutè argumentum à teſtamento ad pias cauſas ad teſtamentum* 30
inter liberos: nam teſtamentum ad pias cauſas nutu conditum valet; ſecus autem teſtamentum conditum inter liberos.) Sic ille.

Septimò ſequitur, quod validum ſit teſta- 31
mentum, legatum, &c. ad pias cauſas, & ſi alterius arbitrio committatur, v. g. inſtituo hæredes pauperes, quos Titius elegerit: vel lego centum puellæ in dotem, ſi Titius, vel ſi hæres meus voluerit. Ita communiter Doctores *in c. cùm tibi de teſtam.* Clarus *q. 6. num. 5.* qui citat Bart. & alios. Ita etiam Tiraquell. *priuil. 64.* Mol. *diſp. 134. in fin. & diſp. 157. §. legatum.* Et ratio eſt, quia iure gentium talis diſpoſitio eſt valida, ergo &c. Et confirmatur ex *c. cùm tibi, de teſtam.* vbi dicit Innoc. III. *qui extremam voluntatem in alterius diſpo-* 32

ſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus. Quod Doctores intelligunt in cauſis pijs; & ita exponitur *in Summario illius cap.*

33 Adde ſecundùm quoſdam, ſi teſtator ita dixerit: *committo omnia bona mea arbitrio, vel diſpoſitioni Titij*; tunc Titium eſſe ſolo nomine hæredem, & obligatum eſſe totam hæreditatem in cauſas pias diſtribuere: quæ videtur eſſe Deciſio *cit. cap.* cùm tibi, interprete Innocent. & Abb. *cit. num.* 4. & conſentit Clarus, & Couarr. *locis ſupra cit.* Ait enim Innocent. III. *Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere*
34 *inteſtatus*; quia, vt in rubr. dicitur, talis videtur teſtatus ad cauſas pias. Irrita tamen eſt diſpoſitio ſimilis ad cauſas profanas: irrita enim eſt inſtitutio hæredis, collata in arbitrium tertij, *l. illa institutio, l. ſi quis ſempro-*
35 *nium, ff. de hæred. inſtituendis*. Item irritum eſt legatum in alterius arbitrio poſitum, *l. captatoriæ, ff. de legat.* 1. Vide Mol. *to.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 137. Couarr. *cit. cap. cum tibi, num.* 13. *&* 17. Vbi contendit, captatoriam volunta-
36 tem non dici eam omnem diſpoſitionem, quæ in arbitrium alterius confertur: talis enim diſpoſitio non omnino irrita eſt, cùm valeat ſaltem in teſtamento militis, ſecundùm Gloſ. *in l. captatorias, C. de teſtam. militis*, & in libertatis conſtitutione, *l. fideicommiſſaria, ff.*
37 *de fideicom. libert.* Sed eas voluntates captatorias eſſe, quæ fiunt cum conditione aptata ad alterius animum captandum, v. g. inſtituo hæredem Titium, ſi & ipſe me, vel fratrem meum hæredem inſtituerit: vel qua ex parte Titius me hæredem inſtituerit, ex ea parte mihi hæres eſto: talis enim inſtitutio non valet, neque ratione teſtamenti neque ratione alterius vltimæ voluntatis, etiamſi miles ita diſpoſuiſſet, *l. captatorias, C. de teſtam. militis.* Ratio eſt, quia bonis moribus aduerſatur eiuſmodi conditio aptata ad deludendum: nam qui conditionem oppoſuit, poſtquam ab altero inſtitutus eſt, voluntatem ſuam mutare poterit; cùm vltima voluntas (vt dici ſolet) deambulatoria ſit vſque ad mortem, & ſic firma non ſit ante mortem, ſed ſolum poſt mortem.

38 Octauò ſequitur, quod legata ad pias cauſas præſtanda ſint, etiamſi hæreditas adita non fuerit: vt quia, v. g. hæres ante mortuus eſt, vel quia hæreditatem repudiauit, &c. Ita ex communi Abb. *cit. c. relatum* 1. *de teſtam. num.* 6. Couarr. *in c. Reynaldus*, §. 3. *num.* 23. *& ſeqq.* Tiraq. *priuileg.* 35. contra Fachin. *lib.* 6. *controu. cap.* 82. Et ratio eſt, quia quod legata peti non poſſint, hæreditate non adita, eſt ſolemnitas iure ciuili introducta, *l. eam quam, C. de fideicom.* at hæc ad cauſas pias non ſe extendit, vt ſupra dicebatur, ergo, &c.

SECTIO VI.

An quæ dicta ſunt de teſtamentis ad cauſam non piam, extendi debeant etiam ad contractus?

SVMMARIVM.

1. *Contrahentes iuxta ſecundam ſententiam Adriani & c. ſi habiles ſint per ſe ad contrahendum, & adſit conſenſus eorum plenus, contractus eſt validus in foro conſcientiæ licet iura loquentia de matrimonio excipiantur.*
2. *Matrimonium clam celebratum licet poſt Tridentinum non valeat vt matrimonium, probabilius tamen in ſententia aliquorum valet, vt ſponſalia de futuro.*
3. *Sponſus, qui matrimonium clandeſtinum irrite contraxit, in nullo foro cogi poterit, vt in futurum contrahat, niſi ad hoc ipſum ritè ſe obligauerit.*
4. *Electioni ad Prælaturam ſi adſit legitimum ſuffragium eorum, qui habent ius eligendi, & alienationi rei Eccleſiaſticæ auctoritas perſonarum, qua illam facere poſſunt; hi actus erunt validi in foro conſcientiæ, quamuis aliquæ ſolemnitates per Canones requiſitæ deſint.*
5. *Poſſidens per contractum minus ſolemne iuſtè poſſidet ſecundum probabiliorem, donec à iudice ſpolietur, nec tenetur vitium contractus alteri parti indicare.*
6. *Excipe electionem Prælatorum, hanc enim ſi ei deſit ſolemnitas neceſſaria dicitur irrita propter rei momentum, quia iuriſdictio ſpiritualis per eam conferri debet; alij tamen DD. nullam faciunt exceptionem.*
7. *Durum eſt vt qui rem habet ex conſenſu eius, qui poterat illam tradere, cogatur ſponte eam cedere; ex eo quod non eo loco, vel tempore, vel coram illis teſtibus, quos lex præſcribit, tradita fuerit.*
8. *Actus & contractus, quibus deeſt ſolemnitas, ſine qua lex illos abſolutè irritos decernit iuxta contrariam ſententiam adhuc probabilem, non inducunt obligationem naturalem, niſi fortè alibi explicetur in iure illam ſolemnitatem ſolum requiri ad probationem in iudicio.*
9. *Obligatio naturalis non poteſt elidi niſi beneficio reſtitutionis.*
10. *Contractus quando inducit obligationem naturalem poteſt ei accedere fideiuſſor.*
11. *Lex quando irritum reddit contractum ob defectum ſolemnitatis, facit hanc pertinere ad formam eſſentialem contractus, & adimit contrahentibus poteſtatem aliter ſe inuicem obligandi.*

Respondetur, ea, quæ dicta sunt de solemnitate testamentorum ad causam non piam, iuxta secundam sententiam Adriani, Angeli, Tabienæ, &c probabiliorem, à quibusdam Doctoribus extendi ad contractus, donationes, beneficiorum, & officiorum collationes, electiones, præsentationes, & similes actus (qui ex dispositione iuris ciuilis, vel canonici requirunt certas solemnitates, v. g. vt celebrentur certis verbis, certo loco, vel tempore per tres tractatus, coram certo numero testium, &c.) Si enim hi actus solo defectu solemnitatis laborent, ob quem iure positiuo decernantur irriti, non ideo in opinione ipsorum desinunt valere in foro conscientiæ; Atque ita docent ij iuris Doctores, qui tenent testamentum minus solemne valere (vt fatetur Couar. *vbi supra num.* 10.) & omnes Theologi supra citati pro secunda sententia.

1. Vnde in ista sententia si contrahentes sint per se habiles ad contrahendum, & adsit plenus consensus eorum, contractus erit validus in foro conscientiæ.

Nec obstat, quod contractus matrimonij sit irritus sine Parocho, & testibus; quia Tridentinum, *Sess.* 24. *c.* 1. *de reformat.* expressè reddit illos inhabiles ad sic contrahendum; & præterea satis significat, omnino irritum illum reddere in foro conscientiæ, ita vt non valeat, non solùm vt matrimonium; sed neque etiam valeat, vt sponsalia, sicuti docent Nauar. *lib.* 4. *cons.* 3. *de clandestina desponsat. edit.* 2. & Sanchez. *lib.* 1. *disp.* 20. nixi verbis illis Concilij: *Ad sic contrahendum eos Sancta Synodus omnino inhabiles reddit.*

2 Quamuis contrarium probabilius doceant Veracrux, *appendice ad speculum, dubi.* 9. Henriq. *lib.* 11. *c.* 5. *num.* 4. Coninch. *disp.* 21. *dub.* 4. *concl.* 2. nempè matrimonium clam celebratum, licet post Tridentinum non valeat, vt matrimonium, valere tamen vt sponsalia de futuro. Ratio, quia ad eorum valorem nulla testium &c. solemnitas requiritur; nec verba illa Concilij adducta probare quidpiam videntur, cùm supplenda sit vox *matrimonium*, quæ proximè antecesserat; vt proinde sensus sit, Attentantes matrimonium contrahere sine Parocho, & testibus, inhabiles reddi ad sic contrahendum, & huiusmodi matrimonij contractus irritos esse.

3 Interim tamen propter auctoritatem Doctorum sponsus, qui matrimonium clandestinum irritè contraxit, in nullo foro cogi poterit, vt in futurum contrahat, nisi ad hoc ipsum expressè se obligarit; si scilicet contractus non valet, tanquam matrimonium, valeat eo modo, quo potest valere, nempè vt sponsalia, sicuti rectè notauit Sanchez vbi supra *num.* 6.

4 Similiter, si electioni ad Prælaturam adsit legitimum suffragium eorum, qui habent ius eligendi; & alienationi rei Ecclesiasticæ auctoritas personarum, quæ illam facere possunt, hi actus erunt validi in foro conscientiæ, quamuis aliquæ solemnitates per canones requisitæ desint: Pro quo facit lex *cum amplius solutum, ff de reg. iuris*, vbi dicitur: *Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus*; & expressè docet Silu. verb. *Electio*, 1. *num.* 11. vbi sic ait: *Si electio tenuit iure naturali, puta quia interuenit consensus eligentium; sed non tenuit iure positiuo, quia omissa fuerunt substantialia, secundũ Innocentium, quem communiter sequuntur Doctores in c. quod sicut de elect. si confirmetur electus, verus Prælatus, & non tenetur in foro conscientiæ resignare.* Sic ille.

Hanc sententiam, tanquam probabiliorem, amplectitur Bannes. *disp.* 3. *ad quæst.* 62. *pag.* 100. vbi docet, eum, qui per contractum minus solemnem possidet, iustè possidere, donec à Iudice spolietur; nec teneri vitium contractus alteri parti indicare. Ratio ipsius est, quia leges positiuæ, tam Ecclesiasticæ, quàm Ciuiles, quæ faciunt irritos contractus minus solemnes, non sunt, nisi iuxta hanc moderationem, receptæ; nimirum, vt nemo teneatur rem, quam sic habet, ante sententiam dimittere. Itaque per huiusmodi contractus transfertur quidem dominium, sed infirmum, & reuocabile. Excipit tamen electionem Prælatorum: hanc enim, si ei desit solemnitas necessaria, ait esse irritam, propter rei momentum; quia iurisdictio spiritualis per eam conferri debet: alij tamen Doctores nullam faciunt exceptionem. 5

6 Hæc sententia est satis probabilis, maximè spectato vsu, qui passim est receptus: non enim consuetum est, vt quis ea, quæ tales contractus habet, restituat, nisi cogatur per sententiam Iudicis: Durum enim est, vt qui rem habet ex consensu, qui poterat illam tradere, cogatur spontè eam cedere; ex eo quod non eo loco v. g. vel tempore, vel coram illis testibus, quos lex prescribit, tradita fuerit. 7

Nihilominus contraria sententia est adhuc probabilis, & iuri conformior; nimirum huiusmodi actus, & contractus, quibus deest solemnitas, sine qua lex illos absolutè irritos decernit, non inducere obligationem naturalem; nisi fortè alibi explicetur in iure, illam solemnitatem solum requiri ad probationem in iudicio, sicut esse videtur in testamentis; Ita ferè tenent reliqui Doctores, & Couarr. *in c. quamuis pactum p.* 2. §. 4. *num.* 7. & Sarmiento *de redditib. p.* 1. *c.* 2. *n.* 3. & alij. 8

Primò, quia non est dubitandum, quin potestas ciuilis, & Ecclesiastica possint talem irritationem, & nullitatem actibus inducere, vt ij nullam omnino vim habeant; ergo dicendum est, eas reipsa id facere, quando claris verbis actum irritum, & nullum decernunt, nec indicant vsquam id ad forum externum restringi.

Secundò, quia lex in causæ cognitione, *ff. de minor.* apertè insinuat, multos esse contractus, qui defectu solemnitatis iure requisitæ, ita sint irri, vt ad eos rescindendos non opus sit beneficium restitutionis, sed mero iure possint dissolui, ergo tales contractus, etiam ante sententiam, omni robore carent: ita vt ne naturalem quidem obligationem inducant: obligatio enim naturalis non potest elidi, nisi beneficio restitutionis. 9

Tertiò, quia quando contractus inducit obligationem naturalem, potest ei accedere 10

fideiuſſor, vt colligitur *ex l. fideiuſ. ff. de fideiuſ. & mandat.* Sed multi contractus defectu ſolemnitatis ita ſunt irriti, vt non poſſit ijs accedere fideiuſſor, *l. qui contra ff. de fideiuſſor.* ergo &c.

11 Quartò, quia quando lex irritum reddit contractum ob defectum ſolemnitatis, facit hanc pertinere ad formam eſſentialem coutractus, & adimit contrahentibus poteſtatem aliter ſe inuicem obligandi, ergo &c.



SECTIO VII.

Quid dicendum in contractu minoris, & pupilli?

SVMMARIVM.

1. *Minor, & pupillus ſi oppignorant, vel alienant propria auctoritate rem aliquam immobilem, vel mobilem pretioſam quæ ſeruando ſeruari poteſt nullo modo obligantur, ſicut habet ferè communis ſententia DD. ob defectum ſolemnitatis requiſitæ hoc eſt Tutoris auctoritatis, & Iudicis decreti.*
2. *Minor, & pupillus ſi aliquid bonorum immobilium alienauerint ſine debitis ſolemnitatibus, poſſunt non implere contractum, & ſi impleuerint, rem ſuam repetere abſque beneficio reſtitutionis.*
3. *Reſtitutionis beneficium non eſt neceſſarium quando contractus fuit validus ſaltem quoad obligationem naturalem inducendam.*
4. *Maior quoque cum quo minor contraxit, tenetur etiam ante ſententiam reſtituere volente minore, aut eius curatore.*
5. *Maior non tenetur reſtituere ante ſententiam iudicis niſi minor reſtituat pretium, quod accepit.*
6. *Alter contrahentium tenetur iure naturali, immo etiam iure ciuili, quatenus ex eo factus*
7. *eſt ditior in hoc caſu pretium reſtituere, ſecus ſi non ſit factus ditior, quia tunc iure ciuili non tenebitur, ſed ſolum obligatione naturali, quam tamen poterit excutere vtendo beneficio reſtitutionis in integrum.*
8. *Dolo pupilli ſi res pereat, datur actio aduerſus illum, vt ſoluat, quia cum ſit doli capax tenetur de dolo.*
9. *Minor an in alijs contractibus priuata auctoritate factus naturaliter obligetur nec ne, Doctores ſunt tam pro affirmatiua quam negatiua.*
10. *Minor in ſententia DD. affirmatiuam tenentium non poteſt reſilire, à tali contractu iure ordinario, ſeu ſpectata conditione contractus, poteſt tamen iure extraordinario, ſeu priuilegio reſtitutionis in integrum.*
11. *Tutor, vel Curator ad libitum poteſt reſcindere contractum, quia ipſe adminiſtrationem habet.*
12. *Obligatio naturalis tribuit Creditori ius retinendi, & compenſandi.*
13. *Ex nullo contractu pupilli, vel minoris ſecundum ſententiam DD. ſtantium pro negatiua probabiliter nulla naſcitur obligatio.*
14. *Minor iuxta præfatam ſententiam poteſt rem traditam mero iure abſque beneficio reſtitutionis repetere.*
15. *Beneficium reſtitutionis in integrum propriè non habet locum, quando contractus fuit omnino irritus, tunc enim communi auxilio, & mero iure minor munitus eſt.*
16. *Habens rem à pupillo, vel minore ſecundum horum DD. ſententiam in caſu, de quo agitur, tenetur reſtituere ante omnem iudicis ſententiam.*
17. *Iuramentum minoris ſi acceſſerit contractui, nec ipſe poterit repetere, nec alter tenebitur reſtituere.*
18. *Contractus minoris confirmatur iuramento.*
19. *Contrahens cum minore, & ſi non poſſit reſilire poteſt tamen nolle implere contractum, niſi minor ante procuret conſenſum Curatoris, vel iudicis decretum in caſu, quo illud eſt neceſſarium, vel niſi iuramento confirmet contractum.*
20. *Prædicta intelliguntur de bonis minorum, quorum etſi habeant dominium, non tamen habent adminiſtrationem, vt ſunt hæreditaria, & alia, quæ neque Caſtrenſia, neque quaſi Caſtrenſia ſunt.*
21. *Minores de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus poſſunt omnino validè contrahere ſine auctoritate eorum, quibus ſubſunt.*
22. *Minor, & pupillus licet ſine auctoritate Tutoris, vel Curatoris non poſſint validè contrahere in ſuum incommodum, poſſunt tamen validè contrahere in ſuum commodum.*
23. *Prædicta intellige etiam de pupillo pubertati proximo id eſt, qui habet decem annos cum dimidio (ſi eſt mas) vel nouem (ſi eſt fœmina.)*
24. *Idem intelligendum eſt de contractu pupilli, vel minoris cum maiore: ſi enim minor cum minore, vel habente priuilegium minoris contrahat, non illum ſibi obſtringit.*
25. *Contractum pupilli, & minoris cum maiore claudicare ampliatur etiam ad quoſdam alios caſus.*
26. *Contractus Eccleſiæ, quo quis rem immobilem, vel mobilem pretioſam, quæ ſeruari poterat ſine debita ſolemnitate alienauit eſt ipſo iure irritus.*
27. *Contractus prodigi cui datus eſt Curator, ſine eius auctoritate, & debita ſolemnitate irritus eſt.*
28. *Contractus Religioſi abſque expreſſa, vel tacita ſuperioris licentia irritus eſt.*
29. *Idem dic de contractu fraude, vel metu inique extorto, probabile tamen eſt in huiuſmodi euentu, alterum, re adhuc integra, non teneri implere contractum, niſi per ſententiam iudicis compellatur.*
30. *Beneficium reſtitutionis conceditur pupillo, & Minori (id eſt, qui nondum vigeſimum quintum annum impleuit) ſi interim in aliquo contractu non ſatis prudenter celebrato damnum acceperit.*
31. *Idque procedit ſi contractus ſit celebratus de conſenſu Tutoris, vel Curatoris, &*

etiam auctoritate iudicis.

32. *Pupillus vel minor si læsus est ex venditione, quæ rem vendiderit minoris iusto pretio, poterit agere ad iustum pretium, & si oportebat rem non vendere, poterit agere contra quemuis possessorem ad eam recuperandam.*

33. *Item si læsus est ex mutuo accepto; vt quia pecuniam illam amisit, vel malè consumpsit, potest vti beneficio restitutionis in integrum, & solum soluere id, quo factus est ditior.*

34. *Item si læsus est in solutione pecuniæ tibi facta à debitore; potest etiam petere restitutionem in integrum: si enim debitor ei soluit sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris, solutio ipso iure est nulla in foro externo, secus autem, in foro interno.*

35. *Debitor si ideo soluit minori, quia accessit voluntas iudicis, qui compulit illum soluere, perfectè manet liber, nec potest aduersus eum restitutio in integrum peti.*

36. *Pupillus & minor si donauit rem notabilem censetur læsus, & potest petere restitutionem in integrum, secus si motus fuerit ex rationabili causa.*

37. *Item si læsus est ex quasi contractu, vt quia damnosam hæreditatem acceptauit, etiam cum auctoritate Tutoris, vel Curatoris.*

38. *Item si læsus est imprudenti resignatione, vel permutatione beneficij, petere etiam potest restitutionem in integrum, etiam si beneficium sit iam collatum alteri.*

39. *Priuilegium præfatum competit primo minoribus vsque ad annum vigesimum nonum completum, non durat illud quatuor annis integris post expletum annum vigesimum quintum, quo desinunt esse minores.*

40. *Priuilegium præfatum restitutionis in integrum conceditur Ecclesijs, alijsque pijs locis: hæc enim instar minorum habent quadriennium à celebrato contractu, vel quasi contractu.*

41. *Ecclesia si valde enormiter læsa est ex contractu, conceditur plusquam quadriennium.*

42. *Ecclesiastici tamen in suis contractibus, quos priuato nomine faciunt, non habent hoc priuilegium.*

43. *Restitutio in integrum conceditur Reipublicæ cuiusuis oppidi.*

44. *Restitutio in integrum conceditur supremis Principibus quoad bona Principatus alienata.*

45. *Item conceditur Vniuersitati studiorum.*

46. *Item conceditur interdum rudibus, & rusticis, & mulieribus, quia ignorant iura.*

47. *Minor, qui factus maior 25. ratificauit contractus initos in minori ætate, licet læsus fuerit, non restituitur in integrum si contractus mero iure valuit.*

48. *Secus si cõtractus non valuit ipso iure (vt quia defuit decretum, in casu, in quo illud requirebatur) ratificatio confirmat quidem contractum, & tollit etiam beneficium restitutionis in integrum competens ratione minoris ætatis; non tamen tollit beneficium, seu ius competens maioribus.*

49. *Restitutio in integrum non datur, si minor contractum iuramento confirmauit, quamuis alioquin contractus per se irritus, & nullus esset.*

50. *Iuramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur: secus tamen si fraude, &*

51. *metu, quia tunc obtenta iuramenti absolutione, poterit restitutionis beneficium implorare.*

52. *Tutor sub cuius Cura est pupillus potest reuocare in irritum iuramentum ipsius, sicut per ipsum irritari potest & votum.*

53. *Restitutio in integrum dupliciter peti potest, primò implorando officium iudicis citata parte: secundò excipiendo contra eum, qui petit solutionem.*

54. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.*

55. *Exceptio restitutionis semper durat quamdiu solutio facta non est; postquam autem facta est requiritur sententia iudicis & ideo (vt quidam sentiunt) licita non est occulta compensatio.*

56. *Minor non censetur læsus ex eo, quod re ipsius vendita, præsentet se alius, qui plus offerat: si enim iusto pretio vendita est, eoque tempore, & modo, quo prudens venderet, non potest minor petere restitutionem in integrum.*

57. *Secus si vendita sit infra iustum pretium vel non debiti tempore & c.*

58. *Idem dicas in locatione, conductione, & alijs contractibus.*



SI minor, & pupillus oppignerant, 1
vel alienant propria auctoritate rem aliquam immobilem, vel mobilem pretiosam, quæ seruando seruari potest, nullo modo obligantur; sicuti habet ferè communis sententia Doctorum, ex eo, quia ad alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ pupilli, vel minoris, requiritur pro solemnitate non solum auctoritas tutoris, vel curatoris, sed etiam decretum iudicis; alioquin alienatio est irrita; & deducitur *ex l. 7. 11. & 15. C. de prædijs minorum.*

Itaque si tale aliquid quis eorum alienauit, 2
vel oppignorauit sua auctoritate, nullo modo obligatur; ac proinde potest non implere contractum; & si impleuit, rem suam repetere, absque beneficio restitutionis (hoc enim be- 3
neficium non est necessarium, nisi quandò contractus fuit validus, saltem quoad obligationem naturalem inducendam.) Maior quo- 4
que, cum quo Minor contraxit, tenetur etiam ante sententiam rem acceptam restituere, volente Minore, aut eius Curatore: quia per contractum Maior nullum ius acquisiuit.

Non tamen tenetur Maior restituere ante 5
sententiam iudicis, nisi Minor restituat pretium quod accepit: si enim nolit pretium restituere, poterit Maior iure retentionis, aut compensationis rem retinere; vt docet Sarmiento *de redditib. p. 1. c. 2. num. 6.* nam iure naturali tenetur alter contrahentium in tali casu pre- 6
tium restituere; imò ad hoc quoque tenetur iure ciuili, quatenus ex eo factus est ditior; vt patet *ex l. 1. ff. de auctor. tutor.* quod si non 7
sit factus ditior (vt quia amisit, vel consumpsit) iure ciuili non tenebitur, sed solum obligatione naturali, quam tamen poterit excutere, vtendo beneficio restitutionis in integrum,

&

& cogendo Maiorem ad reſtitutionem rei ven-
ditæ, per iudicis ſententiam; qua ſententia
prolata, tenetur eam reddere, amiſſo pretio,
vt habet communis ſententia Doctorum.
8 Si tamen dolo pupilli, res perijt, datur ac-
tio aduerſus illum, vt ſoluat: quia cùm ſit do-
li capax, tenetur de dolo; vti habetur expreſ-
ſe *in l. vnica C. de reputationibus, quæ fiunt in
iudicio, &c.*
9 An autem in alijs, id eſt aliarum rerum con-
tractibus priuata auctoritate factis Minor na-
turaliter obligetur, affirmant nonnulli Docto-
res, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 6. de
matrim. diſp. 38 num.* 21. item Anton. Gome-
zius *de reſtitut. min. num* 1. Nauarr. *lib.* 4. *conſ.*
39. *num.* 11. *de* [illegible]. Lopez 1. *p. c.* 124.
Mol. *diſp.* 224. & Corduba *in ſumma q.* 155.
ex l. ſi pupillus, ff. ad l. Falcidiam; & ex l. 1.
10 *ff. de Nouat.* iuxta quorum ſententiam non po-
teſt minor reſilire a tali contractu iure ordi-
nario, ſeu ſpectata conditione contractus;
poteſt tamen iure extraordinario, ſeu priuile-
gio reſtitutionis in integrum; & hac ratione
(inquiunt) [illegible] Minor non obligari ex
tali contractu, quia non obligatur efficaciter,
ſicut Maior [illegible] hanc obligationem na-
turalem beneficio iuris ciuilis elidere, & hoc
modo explicant iura quæ habent, pupillum,
& minorem ſine auctoritate tutoris, vel cura-
toris non obligari, vt videre eſt apud Sanchez
locis ſupra cit. poteſt tamen tutor, vel curator
11 ad libitum reſcindere contractum, quia ipſe
adminiſtrationem habet. Vnde ſequiturr eum,
qui a pupillo, vel minore habet aliquid per
contractum, vel per donationem ad cuius ac-
tum, [illegible] non requiritur iudicis de-
cretum, non teneri ad reſtitutionem ante ſen-
tentiam Iudicis: nam etſi pupillus, & minor
non poſſint transferre dominium per talem
actum, [illegible] impediente iure ci-
uili, vt habetur *§. [illegible], & fin. In-
ſtit.* [illegible] tamen obligatione na-
turali tenentur ſtare contractu, & rem illam
alteri tradere, & [illegible] permittere poſſide-
ri: vnde alter ius habens, vt hoc ſibi fiat, po-
terit eam retinere donec per remedium reſti-
ſtitutionis iubeatur reſtituere; Ita Mol. &
Sanch. *vbi ſupra*, & conſentiunt Doctores
omnes, qui admittunt in Minore obligatio-
12 nem naturalem: obligatio enim naturalis tri-
buit creditori ius retinendi, & compenſandi;
vt docent iuriſtæ *ex l. 3. §. pupillus, ff. de ne-
got. geſt. & ex l. etiam quod ff. de compenſat.*
13 Alij tamen Doctores, & probabiliter etiam,
ſentiunt oppoſitum, nimirum ex nullo contra-
ctu pupilli, vel minoris vllam obligationem
naſci, & iuxta horum ſententiam poterit Mi-
14 nor rem traditam mero iure abſque beneficio
15 reſtitutionis repetere (tale enim beneficium
propriè non habet locum, quando contractus
fuit omninò irritus: tunc enim communi au-
xilio, & mero iure minor munitus eſt, vt ha-
16 betur *in l. in cauſæ cognit. ff. de Minor.*) & al-
ter tenebitur eam ante omnem ſententiam re-
ſtituere, in hanc opinionem propendent quam-
plures Theologi, & vtraque opinio eſt proba-
bilis.
17 Vbi tamen aduerte, quod ſi contractui ac-
ceſſerit iuramentum Minoris, nec ipſe poterit
repetere, nec alter tenebitur reſtituere; quia
contractus Minoris confirmatur iuramento, vt 18
patet *ex l. 1. C. ſi aduerſus venditionem*: pro-
miſſio enim non reuocandi obligat naturaliter
promittentem.
ADDENDA. Ijs, quæ dicebantur, adde 19
primò, eum, qui contrahit cum Minore, etſi
non poſſit reſilire, poſſe tamen nolle implere
contractum, niſi Minor ante procuret con-
ſenſum curatoris, vel iudicis Decretum, in
caſu, quo illud eſt neceſſarium; vel niſi iura-
mento confirmet contractum. Ratio, quia
alioquin qui cum Minore contrahit, expone-
ret ſe periculo damni; & ex alia parte Minor,
ſi hoc recuſet, non videtur agere bona fide.
Adde ſecundò, prædicta intelligenda eſſe 20
de bonis minorum, quorum etſi habeant do-
minium, non tamen habent adminiſtrationem,
vt ſunt hæreditaria & alia, quæ neque Caſ-
trenſia, neque quaſi Caſtrenſia ſunt: nam de 21
Caſtrenſibus, & quaſi Caſtrenſibus poſſunt
omninò validè contrahere ſine auctoritate eo-
rum, quibus ſubſunt. Ratio, quia horum non
ſolum habent dominium, ſed etiam admini-
ſtrationem. Quod ſi tamen in his grauem læ-
ſionem ſenſerint, poſſunt vti beneficio reſti-
tutionis in integrum, vti infra dicetur.
Adde tertio, etſi pupillus, & minor non 22
poſſint ſine auctoritate tutoris, vel curatoris
validè contrahere in ſuum incommodum, poſ-
ſunt tamen validè contrahere in ſuum commo-
dum, & ſic licet non poſſint ſine auctoritate
eorum, quibus ſubſunt, alijs validè, & effi-
caciter obligari, poſſunt tamen alios validè,
& efficaciter ſibi obligare; ſicuti habet com-
munis ſententia Doctorum. & habetur ex-
preſſe *Inſtit. de auctor. Tutorum, & de inutil.
ſtipulat. §. pupillus*; vbi additur, id intelligen- 23
dum eſſe de pupillo pubertati proximo. id eſt,
qui habet decem annos cum dimidio (ſi eſt
mas) vel nouem cum dimidio (ſi eſt fœmina)
quia tunc, & non antea præſumitur habere
ſufficiens iudicium ad alterum ſibi per contra-
ctus obligandum; ſicut docet Gl. *in d. §. pupil-
lus verb. Infantiæ proximus.* Idem intelligen- 24
dum eſt de contractu pupilli vel minoris cum
maiore: ſi enim minor cum minore, vel ha-
bente priuilegium minoris contrahat, non il-
lum ſibi obſtringit. Ratio, quia eodem priui-
legio ille vtitur: ſecus eſt de maiore.
Vnde dici ſolet, contractum maioris cum
minore claudicare; quia ex altera parte ſolum
eſt obligatio, vti habetur *in l. Iulianus, ff. de
actionibus empti.* Hoc autem ſtatuerunt iura in
fauorem illius ætatis; *vt minoribus ætas in dam-
nis ſubueniret, & in proſperè geſtis non obeſſet*;
vt habetur *in l. non eo minus C. de procurat.*.
Porrò quod dictum eſt, *contractum pupilli*; 25
& minoris cum maiore claudicare, etiam locum
habet in quibuſdam alijs caſibus.
Primò, in contractu Eccleſiæ, quo rem im- 26
mobilem, vel mobilem pretioſam, quæ ſerua-
ri poterat ſine debita ſolemnitate alienauit:
Eccleſia enim eſt inſtar minoris; & ſic contra-
ctus eſt irritus ex parte Eccleſiæ: vnde ipſa po-
teſt reſilire ſi velit; alter tamen, cum quo con-
traxit Eccleſia, non poteſt, ſi Eccleſia nolit, &

petat, eum debito modo ratificari, supplendo solemnitatem omissam, vt docet Sarmiento *de redditib. p.* 1. *c.* 2. *num.* 18.

27 Secundò, in contractu prodigi, cui datus est curator, *l. is, cui bonis, ff. de verb. obligat.* Est enim hic etiam instar pupilli; quamuis ex huius contractu nulla oriatur obligatio, vt patet *ex d. l. is, cui bonis*: sicut nec oritur ex contractu Ecclesiæ, cui deest solemnitas requisita.

28 Tertiò, in contractu Religiosi, absque expressa, vel tacita Superioris licentia: potest enim superior hunc contractum ratificare, vel irritare, provt ei placuerit, siue suo, siue Monasterij nomine Religiosus contraxerit; sicuti præter alios docet Nauar. *comment.* 2. *de Regul. num.* 30. *&* 65.

29 Quartò, in contractu fraude, vel metu iniquè extorto: qui enim fraudem, aut metum passus est, potest perstare, vel resilire, provt voluerit, in pœnam alterius iniustè contrahentis; vt docet Sarmiento *supra num.* 18. *& colligitur ex l. Julianus, ff. de action. empti.* §. *si quis à colludente.* Probabile tamen est, in huiusmodi euentis (quando scilicet contractus fuit irritus) alterum re adhuc integra non teneri implere contractum, nisi per sententiam iudicis compellatur. Vide Lessium *lib.* 2. *c.* 17. *dub.* 5. *num.* 32. *& dub.* 6. *num.* 38.

30 Adde quartò, beneficiū restitutionis concedi pupillo, & minori, id est, qui non vigesimum quintum annum impleuit) si interim in aliquo contractu non satis prudenter celebrato damnum acceperit, sicuti habetur *in l.* 3. *&*
31 5. *C. de in integrum rest. minor.* Idque etiamsi iste contractus sit celebratus de consensu tutoris, vel curatoris, & etiam auctoritate iudicis; vt patet *ex l.* 1. *& seqq. ff. de minorib. & ff. de in integrum restit.* Ratio est, quia consensus tutoris, vel curatoris, & decretum iudicis solum faciunt, vt actus mero iure valeat; non autem excludunt beneficium restitutionis in integrum.

32 Vnde sequitur primò, quod, si læsus est ex venditione, qua rem vendiderit minoris iusto pretio, poterit agere ad iustum pretium. Item si oportebat rem non vendi, poterit agere contra quemuis possessorem ad eam recuperandam; sicuti docet Gomezius *tom.* 2. *c.* 14. *num.* 7.

33 Secundò, si læsus est ex mutuo accepto; vt quia pecuniam illam amisit, vel malè consumpsit, potest vti beneficio restitutionis in integrum, & solum soluere id, quo factus est ditior, sicuti docet Gomezius *vbi supra.*

34 Tertiò, si læsus est in solutione pecuniæ sibi facta à debitore, potest etiam petere restitutionem in integrum: si enim debitor ei soluit sine auctoritate tutoris, vel curatoris, solutio ipso iure est nulla. Vnde debitor non manet liber, nisi pecunia sit salua, vel conuersa in vtilitatem Minoris. Quod tamen intellige in foro externo: non enim in conscientia tenetur spontè soluere secundò, sed potest expectare ad hoc sententiam iudicis. Ratio, quia secundùm opinionem satis probabilem solutio valuit naturaliter. Si verò soluit ei debitor cum auctoritate tutoris, vel curatoris, manet liber ipso iure; sed restituitur Minor, si pecunia sit deperdita, vel consumpta culpa ipsius: in quo casu debitor habet actionem in eos, quorum auctoritate, & mandato soluit. Quod si etiam 35
auctoritas iudicis accessit, qui compulit illum soluere Minori, tunc perfectè manet liber, nec potest aduersus eum restituere in integrum peti: Habentur hæc omnia *in* §. *At ex contrario, Instit. quibus alienare licet, iuncta gl.*

Quartò, si donauit rem notabilem, censetur læsus, & potest petere restitutionem in integrum: quod si ex rationabili causa donauit, 36
v. g. propter obsequia ab altero accepta, quæ decuit sic remunerari; vel propter nuptias, vel sponsalitiam largitatem, &c. spectata qualitate personarum, & consuetudine loci, non restituitur; quia per talem donationem non censetur læsus: nam prudenter, & secundùm rectam rationem fecit, *l.* 1. *C. si aduersus donationem.*

Quintò, si læsus est ex quasi contractu, vt 37
quia damnosam hæreditatem acceptauit etiam cum auctoritate tutoris, vel curatoris (tunc enim ex tacito contractu obligatur defuncti creditoribus, & legatarijs) vel si lucrosam repudiauit, potest etiam petere restitutionem in integrum; Itemque si læsus est in electione, v. g. eligendo partem deteriorem, &c. Ita Gomezius *vbi supra num.* 4. *&* 5.

Sexto, si læsus est imprudenti resignatione, 38
vel permutatione beneficij, petere etiam potest restitutionem in integrum; Ita Couarr. *lib.* 1. *variar. c.* 5. *num.* 3. & alij, quos ibi citat, & sequitur Mol. *disp.* 573. idque etiam verum esse, censent, si beneficium sit iam collatum alteri; quamuis in tali casu contrarium censeant alij, & forsan ita est in praxi.


Adde quintò, hoc priuilegium competere 39
primò minoribus vsque ad annum vigesimumnonum completum: non durat illud quatuor annis integris post expletum annum vigesimum-quintum, quo desinunt esse minores. *l. fin. C. de tempor. in integrum restit.* Ita habet 40
communis sententia Doctorum: Secundò, concedi Ecclesijs, alijsque pijs locis: hæc enim instar minorum habent quadriennium à celebrato contractu, vel quasi contractu; vt communiter etiam tradunt Doctores *ex c.* 1. *&* 2. *de restit. in integrum lib.* 6. Vide ibid. Gl. & Couar. *lib.* 1. *variar. c.* 3. *num.* 10. *&* 11. Quinimò si Ecclesia valde enormiter læsa sit 41
ex contractu, conceditur ei plus, quam quadriennum: vt ibidem docet Couar. Ecclesiastici tamen in suis contractibus, quos priuato 42
nomine faciunt, non habent hoc priuilegium, Couar. *c.* 4 *num.* 3. Tertiò, concedi Reipu- 43
blicæ cuiusuis oppidi. *l.* 4. *quibus ex causis maiores in integrum restit.* Quartò, concedi 44
supremis Principibus, quoad bona Principatus alienata; quia hæc ad Rempubl. pertinent. Quintò, concedi Vniuersitati studiorum, Abb. 45
in c. 1. *de in integrum restit.* & alij multi. Sextò, concedi interdum rudibus, & rusticis, & 46
mulieribus; quia ignorant iura: vt docet Maranta, & alij, quos ille citat; sequitur etiam Mol. *disp.* 574. §. *militibus.*

Adde sextò, etsi minor possit restitui ad- 47
uersus omnes contractus, in quibus læsus est,

durante minori ætate, factos; non tamen reſtitui eum poſſe, ſi maior ipſe factus, id eſt, expleto anno vigeſimo quinto, eos ratificauit. Et quidem ſi contractus, in quo minor fuit læſus, mero iure valuit (vt quia cum debita iuris ſolemnitate celebratus fuit) ratificatio tollit beneficium reſtitutionis, quod ei ratione minoris ætatis competebat; vt patet *ex l. 1. & 2. C. ſi maior factus ratum habuerit*.
48 Si verò contractus non valuit ipſo iure (vt quia defuit decretum in caſu, in quo illud requirebatur) ratificatio confirmat quidem contractum, & tollit etiam beneficium reſtitutionis in integrum, competens ratione minoris ætatis; non tamen tollit beneficium, ſeu ius competens maioribus, quale eſt remedium *legis 2. C. de reſcindenda venditione*, quod datur ei, qui deceptus eſt vltra dimidium iuſti pretij, &c. vt docet Gomezius *ſupra num. 11.* & habetur expreſsè *in l. 1. C. ſi maior factus alienationem factam ſine decreto, ratam*
49 *habuit*. Item non datur reſtitutio in integrum, ſi minor contractum iuramento confirmauit; quamuis alioquin contractus per ſe irritus, & nullus eſſet; vt patet *ex l. 1. & Authent. Sacramenta puberum. C. ſi aduerſus venditionem*; vbi
50 generatim dicitur, *iuramenta puberum ſpontè facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inuiolabiliter cuſtodiantur.*

Ex quibus patet, contractum minoris iuramento confirmari; & ſic in tali caſu minorem fieri inſtar maioris. Si tamen in contractu mi-
51 nor iniuſtitiam aliquam paſſus fuiſſet (vt ſi fraude, vel metu inductus fuiſſet ad contrahendum) obtenta iuramenti abſolutione, quam tunc petere poterit, poterit reſtitutionis beneficium implorare. Idemque dicas, ſi adhuc erat impubes, dum iurauit: impubertas enim eſt ſufficiens cauſa relaxandi iuramentum, ſicut etiam metus. Atque ita docet Couar. *in c. quamuis de pactis. p. 3. §. 1. num.*
52 *4.* Et ratio eſt: quia iudicium pro tunc valde eſt infirmum. Adde etiam, à tutore, ſub cuius cura eſt, in irritum reuocari poſſe tale iuramentum, ſicut irritari poteſt & votum, vt habetur expreſsè *2. 2. q. 5. c. pueri. 15.* qua de re vide Leſſium *lib. 2. c. 42. dub. 12. nu. 61.*
53 Adde ſeptimò, dupliciter peti poſſe reſtitutionem in integrum; primò, implorando officium iudicis, citata parte, vt quando ſolutio facta eſt, vel res ab altero poſſidetur. Secundò, excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem, vel ſibi rem tradi, vel ſe læſum eo contractu, aut actu fuiſſe; vt ex communi docet Gomezius *ſupra num. 8.* Et confirmatur *ex reg.*
54 *iuris 71. in 6.* vbi habetur: *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.* Et *ex reg. 156. ff. eodem*, vbi dicitur: *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.*
55 Porrò hæc exceptio ſemper durat, quamdiu ſolutio facta non eſt: poſtquam autem facta eſt, requiritur ſententia iudicis, vt recuperetur. Vnde occulta compenſatio licita non eſt, vt quidam ſentiunt: & ratio illorum eſt; quia lex ſolum concedit hanc recuperationem, media iudicis ſententia; vt colligitur *ex l. ſi curatore, C. de in integr. reſtit. minor.* oppoſitum *Del Bene, p. Pars.* tamen mihi non videtur omnino improbabile (præſertim ſi iudicis via ſit difficilis) quia idem in ſubſtantia eſt.

Adde octauò, non cenſeri Minorem læſum 56 ex eo, quod re ipſius vendita, præſentet ſe alius, qui plus offerat: ſi enim iuſto pretio vendita eſt, eoque tempore, & modo, quo prudens venderet, non poteſt minor petere reſtitutionem in integrum; vt colligitur *ex l. verum §. ſecundum ff. de minor.* Si verò vendi- 57 ta eſt infra iuſtum pretium, vel non debito tempore, modo, &c. & ſpectatis debitis circumſtantijs, tunc poteſt petere reſtitutionem, & eam vendere pluris plus offerenti: Idem- 58 que dicas in locatione, conductione, alijſque contractibus; qua de re vide plura apud Gomezium *tom. 2. cap. 14.*



SECTIO VIII.

Quid dicendum, ſi mulier fideiubeat pro aliquo?

SVMMARIVM.

1. *Mulier ſi fideiubeat pro aliquo abſque inſtrumento publico, vel per inſtrumentum abſque tamen tribus teſtibus, eſt irritus actus, neq tenetur ſoluere.*
2. *Creditor tenetur mulieri ſic ſoluenti reſtituere ſolutum, niſi iuramento ſuam fideiuſſionem confirmaſſet.*
3. *Fideiuſſio facta à muliere pro marito eſt irrita, & creditor tenetur ei reſtituere ſolutum niſi ea iurauerit.*
4. *Iuramentum ſeruandum eſt quandocumque eius executio non eſt ſaluti noxia.*
5. *Mulier in his duobus caſibus non indiget beneficio S. C. Velleiani.*
6. *Tres teſtes, qui de iure requiruntur in fideiuſſione mulieris neceſſe eſt vt inſtrumento ſubſcribant, quamuis id hodie non ſit in vſu.*
7. *Mulieri, quæ fideiuſſit, competit exceptio S. C. Velleiani per quam elidere poteſt hanc obligationem.*
8. *Mulier quando vti vult priuilegio huius S. C. Vell. ita elidit omnem obligationem, vt etiam*
9. *in foro conſcientiæ non teneatur ſoluere. Solutum tamen tenet, & ei competit exceptio cognito ſuo priuilegio.*
10. *Exceptio S. C. Vell. à muliere opponi poteſt poſt ſententiam definitiuam, qua iubetur ſoluere, modo id faciat ante executionem ſententiæ; quia poſt executionem ſententiæ definitiuæ non datur repetitio.*
11. *Secus ſi executio facta ſit non virtute ſententiæ definitiuæ, ſed virtute inſtrumenti Guarantigij, quod ipſa creditori conceſſerat.*
12. *Mulier non poteſt vti beneficio Velleiani, primò ſi expreſsè huic priuilegio renunciauit,*

Secundò si iuramento fideiussionem confirmauit quia tunc etiam ignorans priuilegium tenetur secundum communiorem.

13. *Simplex renunciatio non sufficit Velleiani, sed requiritur vt fiat coram magistratu, vel cum iuramento.*

14. *Minor viginti-quinque annis, si fideiubeat pro aliquo (quidquid sit, si obligetur naturaliter) petere potest beneficium restitutionis in integrum, & sic obligationem elidere.*

15. *Excipe si fideiubeat pro Patre in carceribus detento quia tunc non præsumitur læsus, quin tenetur id facere, adeo vt si non faciat possit exhæredari, si sit mas octodecim annorum.*

16. *Episcopi, & Clerici habent priuilegium restitutionis in integrum, si fideiubeant in præiudicium Ecclesiæ quia ea est instar minoris.*

17. *Clericus si fideiubeat ob quæstum abijciendus est.*

18. *Clericus fideiubens non tenetur ex fideiussione, nisi quantum ex patrimonio, vel fructibus Beneficij potest; ita vt non restet in egestate.*

19. *Religiosus non potest fideiubere, sicut neque mutuum accipere sine consensu Prælati, & maioris partis capituli, si aliter fiat Conuentus non tenetur, nisi quatenus verum est in eius vtilitatem.*

20. *Prælatus non potest sine consensu maioris partis Capituli, nisi in re parua fideiubere: de hac enim disponere potest ad libitum omni modo honesto.*

1 Espondetur; Si mulier fideiubeat pro aliquo absque instrumento publico, vel per instrumentum, absque tamen tribus testibus, est irritus actus, nec tenetur soluere. Ratio, quia de sunt actui solemnitates à iure requisitæ in ipso; estque communis sententia Doctorum; & habetur *in l. Antiquæ §.*
2 *fin. c. ad S. C. Velleianum.* Vnde creditor tenetur ei restituere, quod sic ipsa soluit, nisi iuramento suam fideiussionem confirmasset; sicuti de pupillo, & minore supra dicebatur.

3 Quinimò addo, si mulier fideiubeat pro marito, est irrita fideiussio, *Authent. si qua mulier C. ad S. C. Velleianum.* Ratio, quiá præsumitur adduci facilè ab illo, cui non audeat contradicere.

Vnde sequitur, si causa huius fideiussionis soluit pro marito, creditor ei tenetur ad restitutionem; quia soluit indebitum, ac proinde non transtulit dominium, cùm non subesset titulus: fuit enim actus inualidus.

Si tamen iuramento actum confirmasset, te-
4 neretur. Ratio, quia iuramentum seruandum est, quandocunque eius executio non est saluti noxia, *c. quamuis pactum de pactis in 6.*

5 In his duobus casibus non indiget mulier beneficio S. C. Velleiani. Ratio, quia in ambobus contractus per se irritus est.

Quod dixi; quia si ipsa pro aliquo fideiubeat instrumento publico, adhibitis tribus testibus, tenetur ciuiliter, & naturaliter; vt habetur *in d. l. Antiquæ §. fin.* vbi requiritur
6 etiam, vt tres isti testes instrumento subscribant; quamuis passim consuetudine receptum sit, vt sufficiat, Notarium publicum præsentibus tribus testibus subscribere.

Competit tamen ei exceptio S.C. Velleiani, 7
per quam elidere potest hanc obligationem, vt habetur *l. 1. & seqq. C. ad S. C. Velleianum*; estque communis sententia Doctorum, vti tradit Gomezius *num. 6.*

Aduerte tamen primò, quod quando mu- 8
lier priuilegio huius S. C. vult vti, ita elidit omnem obligationem, vt etiam in foro conscientiæ non teneatur soluere. Quod si per igno- 9
rantiam huius S. C. soluit, valet quidem solutio, & creditor non tenetur sponte restituere; potest tamen ipsa postea quàm cognouit suum priuiligium, hanc exceptionem opponere, & solutum repetere per condictionem indebiti. Ratio, quia hæc exceptio est fauorabilis, & minimè ad certum tempus limitata; & tunc creditor tenetur restituere; Potest autem hæc 10
exceptio à muliere opponi post sententiam definitiuam, qua iubetur soluere, modò id faciat ante executionem sententiæ, quia post executionem sententiæ definitiuæ non datur repetitio, *l. Julianus. ff. de condictione indebiti.* Vnde tunc creditor non tenetur ei restituere: nam illa non habet amplius ius repetendi, cùm nimis diu expectauerit; potest tamen oppone- 11
re post executionem factam, si hæc facta sit, non virtute sententiæ definitiuæ, sed virtute instrumenti Guarantigij, quod ipsa creditori concesserat, vt docet Gomezius *supra.*

Aduerte secundò, quod mulier non potest 12
vti beneficio Velleiani: primò, si expressè huic priuilegio renunciauit: quisque enim potest renunciare ijs, quæ in suum fauorem sunt inducta. Non sufficit tamen simplex renunciatio in instrumento (eadem enim facilitate, qua mulier inducitur ad fideiubendum, induci potest ad renunciandum huic priuilegio; & si priuilegium nullius esset momenti, vt docet Gomezius *num.* 17. etsi contrarium *ex praxi* sentiant alij.) Sed requiritur, vt fiat coram magistratu, vel cum iuramento: quan- 13
do enim ætas (vt est in minore) vel fragilitas personæ (vt est in muliere) est causa priuilegij, non sufficit simplex renunciatio, sed requiritur, vt fiat alterutro modo, (vt supra dicebatur) ne priuilegium reddatur frustratorium. Secundò, si iuramento fideiussionem confirmauit: tunc enim tenetur adimplere, etiamsi suum priuilegium ignorauerit, quando iurauit; quamuis Couar. *in c. quamuis pactum par.* 2. §. 3. *num.* 5. cum multis alijs patet oppositum, ex eo, quia iuramentum non se extendit ad incognita; quapropter (inquit ipse) in tali casu est inuoluntarium. Sed quod dixi, est communius (vt ait Gomezius) & probabilius. Ratio, quia etiamsi sciuisset suum priuilegium, adhuc iurasset: ideo enim iurauit, vt sibi omnes vias præcluderet; vnde implicitè renunciauit etiam huic priuilegio; Couarruuiæ tamen sententia probabilis etiam est, & tuta in praxi, vt testatur Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 9. *num.* 15. Tertiò, si pretium pro fideiussione accepit; Sed de hac re vide diffusius Syluestrum *verb fideiussor. num.* 2. & Molinam *disp.* 540.

Aduerte tertiò, quod etiam minor viginti- 14

quinque annis. si fideiubeat pro aliquo (quidquid sit, si obligetur naturaliter) petere potest beneficium restitutionis in integrum, & sic obligationem elidere. Ratio, quia semper præsumitur læsus (vt supra dicebatur) & colligitur *ex l. ait prætor. §. non solum, ff. de minor.* estque communis sententia Doctorum, sicuti refert Gomezius, *vbi supra num.* 19.

15 Excipe, si fideiubeat pro patre in carceribus detento. Ratio, quia tunc non præsumitur læsus; quin tenetur id facere, adeò vt si non faciat, possit exhæredari, si sit mas octodecim annorum, sicut colligunt Doctores, *ex authent. si captiui C. de Episcopis, & Clericis.*

16 Aduerte quartò, quod Episcopi, & Clerici etiam habent idem priuilegium, si fideiubeant in præiudicium Ecclesiæ. Ratio, quia Ecclesia, vt supra dicebatur, est instar minoris; Possunt tamen fideiubere in damnum proprium; quia sic habet consuetudo. Non obstat *c. 1. de*
17 *fideiussor.* vbi habetur: *Clericus fideiussionibus inseruiens abijciatur*: Agit enim de eo, qui huic rei vacat, idque ob quæstum; In casu tamen,
18 quo clericus fideiubet, non tenetur ex fideiussione, nisi quantum ex patrimonio, vel fructibus beneficij potest; ita vt non restet in egestate; vt habetur *in c. Odoardus de solut.*

19 Aduerte quintò, quod Religiosus non potest fideiubere, sicut nec mutuum accipere, sine consensu Prælati; & maioris partis capituli: si aliter fit, Conuentus non tenetur, nisi quatenus versum est in eius vtilitatem, *c. quod*
20 *quibusdam, de fideiussor.* Similiter nec Prælatus potest sine consensu maioris partis capituli, nisi in re parua: de hac enim disponere potest ad libitum omni modo honesto; sicuti videre est apud Siluestrum *verbo fideiussor, num.* 4.



SECTIO IX.

Quid dicendum in alijs casibus; & quæ regula generalis dari possit?

SVMMARIVM.

1. *Supremus Princeps tam Ecclesiasticus, quam secularis ob iustam causam ad bonum publicum pertinentem potest personas quasdam ad contrahendum inhabiles reddere, quæ aliàs habiles essent.*
2. *Supremus Princeps potest contractibus, & testamentis certam formam, & solemnitatem præscribere, quæ ita ad eorum substantiam pertineat, vt absque illa contractus, & testamentum omni robore careant.*
3. *Supremus Princeps potest contractum aliquem iure naturali alioquin subsistentem, iusta de causa penitus prohibere, vel etiam si ita velit, cassare, & annullare sicut contingit in contractu censuali ex parte emptoris redimibili.*
4. *Supremus Princeps quinque modis accidere potest vt contractum, vel quemuis alium actum improbet.*
5. *Primo si lex eius contractum nec prohibeat, nec infirmet, nec ei resistat, sed solum non assistat, & in foro externo actionem non tribuat.*
6. *Secundo si lex prohibeat contractum, sed non infirmet, neque à iudice infirmandum decernat: nam multa facta tenent quæ fieri prohibentur.*
7. *Lex si actum simpliciter prohibeat, nulla facta mentione infirmandi, non infirmare, seu irritare illum censetur.*
8. *Semper in obscuris quod minimum est, sequimur.*
9. *Constitutio Theodosij Imperatoris in l. non dubium C. de legibus, habet locum in legibus Imperialibus non autem in Canonicis, nec in legibus particularium Regnorum.*
10. *Constitutio Antonini Imperatoris, quæ refertur in l. 6. C. de pactis pariter non obstat, cum ibi maximè locutus fuisset de pactis seu promißionibus aliquid agendi contra leges, vel bonos mores ciuiles vel naturales.*
11. *Regula 64. in 6. vbi dicitur quod quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi non obstat, cum multas pariter intelligentias, & limitationes admittat.*
12. *Tertio si lex actum, seu contractum aliquem per seipsam non infirmet, sed per iudicis sententiam infirmandum decernat, idque ita accidet si lex vtatur verbis ad iudicem spectantibus.*
13. *Quartò si lex contractum, alium actum ipso facto, & ante omnem iudicis sententiam irritum reddat; & consequenter iubeat iudici, vt talem etiam per sententiam illum declaret.*
14. *Lex actum infirmat ciuiliter tantum, quando relicta eius obligatione naturali, & non impedita Dominij translatione, actionem in externo foro non tribuit, imò per sententiam iudicis actum iuris quadam fictione, ita infirmandum iubet (omni scilicet eius resciso effectu, & fructu.*
15. *Quintò si lex Ciuilis, vel Ecclesiastica, actum ipso-facto & ante omnem iudicis sententiam, tam ciuiliter, quam naturaliter irritum reddat, vt nullus inde effectus vel obligatio ne in foro quidem conscientiæ oriatur. Vide ibi exempla.*
16. *Forma, quam lex præscribit est substantialis si legislator cum actum instituit, vel eius exercendi potestatem primò confert, formam apponit, cum qua is exerceri debeat. Vide ibi exempla.*
17. *Forma censetur substantialis si Papa Iudici committat vt hominem post trinam admonitionem excommunicet, quamuis in iudice ordinariam potestatem habente sit tantum accidentalis.*
18. *Admonitionis trinæ omissio iudicis ordinarij efficit excommunicationem illicitam, non autem inualidam.*
19. *Absolutio collata excommunicato, antequam parti læsæ satisfactum sit, vel antequam iuramentum præstitum sit de parendo in posterum mandatis Ecclesiæ ab ordinario illicita est non tamen inualida.*

20. *Item dic si etiam delegatus absoluat, modo tamen delegatio ipsi absolutè facta fuerit, secus si facta sit cum limitatione expressâ vide ibi exempla.*

21. *Rei expressio in commissione, seu delegatione, quæ de iure communi inest, non inducit nouam formam, seu conditionem sine qua non; sed solum admonetur commissarius, seu delegatus, quid eum facere oporteat.*

22. *Satisfactio, aut cautio satisfaciendi parti læsæ præmittenda est ante absolutionem spectato iure communi, atque ordinario, pignoratitia scilicet aut saltem iuratoria.*

23. *Excommunicatus si excommunicatione partis satisfactionem exigente, oblitus sit confiteri talem censuram, per generalem absolutionem, quæ datur ad cautelam absolutus remanet à dicta censura, quamuis secus præsumatur.*

24. *Forma accidentalis censeri debet si legislator formam aliquam, vel modum præcipiat obseruari ab ijs, qui jam antea actum, secundùm substantiam exercendi potestatem habuerunt.*

25. *Excipe nisi exprimat vt tali modo, seu forma non obseruata actus inutilis sit, & pro infecto.*

26. *Actus, seu contractus si neque ex materia legis, neque ex verbis, quibus legislator vsus est, satis appareat, mentem eius fuisse actum etiam in conscientiæ foro irritum reddere, sed res maneat in dubio validus censetur, donec enim iudicis rescindentis auctoritas accesserit, tutus est in conscientia.*

1 SVppono, quod supremus Princeps, tam Ecclesiasticus, quam secularis, ob iustam causam ad bonum publicum pertinentem, possit personas quasdam ad contrahendum inhabiles reddere, quæ, seclusa tali constitutione, & iure naturali solum spectato habiles essent ad contrahendum; sicuti apparet in impedimentis matrimonij, contractû pupilli, vt supra, &c.

2 Potest etiam supremus Princeps contractibus, & testamentis certam formam, & solemnitatem præscribere, quæ ita ad eorum substantiam pertineat, vt absque illa contractus, & testamentum omni robore careant; etsi iure naturali solum spectato, firma, & valida forent; sicuti patet in matrimonio clandestino.

3 Denique potest supremus Princeps contractum aliquem; iure naturali alioquin subsistentem, iusta de causa penitus prohibere; vel etiam, si ita velit, cassare, & annullare; sicuti contingit in contractu censuali ex parte emptoris redimibili; qui licet à quibusdã Doctoribus (vt videre est apud Lessium, *lib. 2. c. 22. Dub. 10.*) tanquam immunis ab vsura defendatur, tamen vtroque iure est prohibitus, & cassatus. Hoc supposito.

Respondetur, quod quinque modis accidere potest, vt supremus Princeps contractum,
4 vel quemuis alium actum improbet.

5 Primò, si lex eius contractum nec prohibeat, nec infirmet, nec ei resistat; sed solum non assistat, & in foro externo actionem non tribuat, ob litium v. g multitudinem vitandam: qua ratione nudo pacto lex nec assistit, nec resistit; vt notauit præter alios Abbas *cap. quia plerique, de immunit. Eccl.*

Secundò, si lex prohibeat contractum, sed 6
non infirmet, neque à iudice infirmandum decernat: nam multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, *cap. ad Apostolicam, de regul.* Et in tali casu actus est validus, sed non licitus: qua ratione Clericis negotiatio est prohibita; & prohibitum est matrimonium tempore interdicto celebratum, vel ante publicas denunciationes, vel post votum continentiæ, vel contra fidem priorum sponsaliorum, &c. & sic est illicitum, sed validum. Qua de re vide Glos. *in reg. 64. in 6.*

An autem, si lex actum simpliciter prohi- 7
beat, nulla facta mentione infirmandi, nihilominus infirmare, seu irritare illum censeatur.

Respondeo, ex communiori, & probabiliori sententia negatiuè; Et ratio est, quia actum prohibere, & infirmare diuersa sunt, & inter se separabilia: ergo vnum ex altero inferri non debet, præsertim in materia odiosa; in qua præterea lex non est extendenda vltra proprietatem verborum. Adde iuris regulam 30. *in 6. ex Vlp. ff. de reg. iur. semper in obscuris,* 8
quod minimum est, sequimur. Vide Glos. Margin. *in l. pacta C. de pactis,* & Suar. *lib. 5. de Legib. c. 25. & 29.*

Neque obstat constitutio Theodosij Imper 9
rat. *in l. non dubium, C. de Legib.* vbi sic ait: *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.* Et paulo post: *Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur, licet legislator fieri prohibuerit tantum nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.* Consentit. *l. iubemus. 2. C. de Sacros. Eccles.* §. *sanè.* Eamdenque Theodosij legem citat Gregor. 1. *lib. 7. indict. 2. Ep. 7.* & refertur causa 13. *quæst. 2. c. 13.* in his verbis: *Impeirali constitutione apertè sancitum est, vt quæ contra legem fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.*

Respondetur enim, ita obseruandum esse in legibus Imperialibus actum simpliciter prohibentibus; idque ob specialem illam Theodosij constitutionem, quam tamen Gregorius Papa ad Canonicas leges, aut aliorum Regnorum iura non transtulit, sed solum in Epistola illa explicauit, qualem vim Imperiales constitutiones haberent; sicuti rectè notauit Suarez *citato cap. 29. num. 4.*

Neque obstat secundò: similis constitutio 10
Antonini Imperat. quæ refertur *l. 6. C. de pactis* in his verbis: *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est.*

Respondetur enim, quod non desunt, qui existiment ab Antonino idem, quod à Theodosio, de Imperialibus legibus decretum fuisse. Vel respondetur cum Gl. *in c. vltimo de pactis,* Antoninum locutum fuisse de pactis, seu promissionibus aliquid agendi, contra leges, vel bonos mores ciuiles, aut naturales. Quod clarè indicat Gregorius IX. *in cit. c. vlt.* vbi ait:

Nam etiam ſecundùm legitimas ſanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de iure, vel de facto nullam obligationem inducit: Vt ſi quis v. g. promittat ſe teſtamentum non reuocaturum, adulterium commiſſurum, &c.

11 Neque obſtat tertiò, *reg.* 64. *in* 6. vbi dicitur, quod *quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.*

Reſpondetur enim, quod regula illa multas intelligentias, & limitationes admittit; ſicuti videre eſt apud Gl. *adiuncta*, & Suar. *cit. c.* 29. *num.* 5. vbi rectè ait, dictam regulam iudici præſcribi, cuius proinde officium eſt inſpicere, contra quale ius, & qua ratione contra illud actum ſit, vt intelligat validum, an inualidum debeat pronunciare.

12 Tertio modo accidere poteſt, vt lex actum, ſeu contractum aliquem per ſe ipſam non infirmet, ſed per iudicis ſententiam infirmandum decernat: idque ita accidet, ſi lex vtatur verbis ad iudicem ſpectantibus; v. g. *reſcindatur*, *infirmetur*, *irritetur*, &c. neque aliud addat, ex quo maior vis legis intelligi poſſit; quamquam in corpore iuris ciuilis raræ huiuſmodi leges adinueniantur: nam vt plurimum ſunt ſententiæ latæ, non autem ferendæ propter *ſupra cit.* Theodoſij, & Antonini conſtitutionem.

13 Quarto modo accidere ſolet, vt lex contractum, aliumque actum ipſo facto, & ante omnem iudicis ſententiam, irritum reddat; & conſequenter iubeat iudici, vt talem etiam per ſententiam illum declaret: & huiuſmodi leges ſunt illæ, quæ expreſsè decernunt, actum ipſo facto, vel ipſo iure, nullum eſſe ante omnem iudicis ſententiam; vel adiungunt quid aliud, ex quo id ipſum ſimiliter intelligitur, v. g. *nullam ex eo obligationem naſci, nullam actionem competere, ſed datum reſtituendum; dominium non transferri*, &c.

14 Vbi aduerte, duobus modis legem actui reſiſtere, eumque infirmare poſſe; nempe vel ciuiliter tantum, vel naturaliter etiam: tunc lex actum infirmat ciuiliter tantum, quando relicta eius obligatione naturali, & non impedita dominij tranſlatione actionem in externo foro non tribuit, imò per ſententiam iudicis actum, iuris quadam fictione ità infirmandum iubet (omni ſcilicet eius reſciſſo effectu & fructu, quē contrahens inde percipere) ac ſi ab initio nullus, ſeu infectus fuiſſet.

Atque in hoc ſenſu *citata l. non dubium* à Theodoſio lata fuit, ſicuti notauit Gl. ibi *verb. pro infectis.* Et Suar. *lib.* 5. *c.* 28. Si etiam infirmatur ludus alearum: ſic contractus cum pupillo celebratus: ſic teſtamentum minus ſolemne ſecundùm quoſdam: ſic vltima voluntas mulieris ſecundas nuptias ſortitæ, & bona ex primo matrimonio obuenientia, non eiuſmodi matrimonij liberis ſuis, ſed alijs relinquentis, *iuxta l.* 3. *C. de ſecundis nuptijs*; ſic alienatio prædij dotalis, etiam conſentiente vxore, à marito facta, *inſtitut. quibus modis alienare licet*; ſic pœna ſponſalibus adiecta ſecundùm Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 31. Sic donatio vltra quingentos ſolidos facta ſine inſinuatione apud iudicem; ſic contractus graui metu irritus, & ſimilia.

Quinto modo accidere poteſt, ſi ſcilicet lex 15
ciuilis, vel Eccleſiaſtica actum, ipſo facto, & ante omnem iudicis ſententiam, tam ciuiliter, quàm naturaliter irritum reddat, vt nullus inde effectus, vel obligatio (ne in foro quidem conſcientiæ) oriatur.

Sic lex canonica infirmat matrimonium clandeſtinum; vel initum ex metu graui, vel cum impedimento dirimente: ſic etiam irritat profeſſionem in Religione factam ante decimum ſextum ætatis annum completum, vel ante exactum annum probationis, vt videre eſt in Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de regul.*

Lex ciuilis autem infirmat contractum pupilli cum tutore initum, vt neque naturalis obligatio inde oriatur, iuxta Gl. communiter receptam *in l.* 1. *C. de inutil. ſtipulat.* & colligitur *ex l. Pupillus, ff. de auctorit. tutorum*; & docet Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 38. *num.* 25. Mol. *tract.* 2. *diſp.* 225.

Dices, quibus ſignis cognoſcitur, an forma, 16
quam lex præſcribit, ſit ſubſtantialis (ita vt niſi illa obſeruetur, actus irritus ſit) an verò ſit tantùm accidentalis.

Reſpondeo, ſi legiſlator, cum actum inſtituit, vel eius exercendi poteſtatem primò confert, formam apponit, cum qua is exerceri debeat, cenſetur forma ſubſtantialis. Sic contingit in formis Sacramentorum, ex Chriſti inſtitutione requiſitis: in formis Sacramentalium, puta benedictionum, conſecrationum, ex Eccleſiæ inſtitutione requiſitis: & in iuriſdictione alicui ſub certa forma, vel certo procedendi modo delegata.

Ratio, quia tunc forma non datur iudici, poteſtatem iam habenti, ſed ipſi iuriſdictioni, veluti limitatio adiungitur, quam propterea ſi commiſſarius, ſeu delegatus prætermittat, excedit limites commiſſæ poteſtatis, & ſic nihil efficit. Vide Gl. *in Clem.* 1. *verb. inhibemus, de iur. patron.* Nauar. *c.* 27. *num.* 37. Suar. *lib.* 5. *c.* 31. *num.* 9.

Quare, ſi Papa tibi committit, vt hominem 17
poſt trinam monitionem excommunices, cenſebitur forma ſubſtantialis; quamuis in iudice ordinariam poteſtatem habente ſit tantum accidentalis, cuius prætermiſſio prætereà in ipſo excommunicationem illicitam, non au- 18
tem inualidam efficit, argumento ducto per ſenſum contrarium *ex c. Romana, de ſentent. excomm. in* 6. iuncta Gl. *verb. iniuſtas* & docet Couarr. *in c. Alma. p.* 2. *§.* 9. *num.* 7. & 8. Auila *p.* 2. *c.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 9. Vnde ſimili- 19
ter dicendum, quod, quamuis illicita, valida tamen etiam ſit abſolutio, quam (antequam parti læſæ ſatisfactum ſit, vel antequam iuramentum præſtitum ſit de parendo in poſterum mandatis Eccleſiæ) confert is, qui ordinariam abſoluendi poteſtatem habet, iuxta *c. venerabilibus*, §. *ſanè*, *in fin. de ſent. excomm. in* 6.

Idemque dicendum, ſi, qui abſoluit, ſolum 20
delegatam poteſtatem habebat; modo tamen delegatio ipſi abſolutè facta fuerit; ſecus ſi facta ſit cum limitatione expreſſa, v. g. *alias abſolutio ſit nulla*; *vel aliter non abſoluat*; *niſi ſatisfacta parte, aut præſtito prius iuramento.* Vt per ſe patet, vel etiamſi in delegatione, aut priuilegio dicatur: *Committimus facultatem ab-*

*ſoluendi, ſatisfacta prius parte, aut præſtito iura-
mento*, ſicuti rectè iuxta regulam traditam do-
cent Caiet. *verb. Abſolutio*, Armilla *eodem
verbo, num.* 48. Suar. *de cenſ. diſp.* 7. *ſect.* 5.
num. 42. Coninch. *diſp.* 14. *dub.* 16. *num.*
210. & alij multi contra Auilam.

Qui non improbabiliter contrarium docet,
plures allegans *p.* 2. *c.* 7. *diſp.* 3. *num.* 9. mo-
tus ex eo, quia ex Gl. *in Clem.* 1. *de offic. dele-
gat. verb. Repererit.* Couar. *par.* 1. *c. alma*. §. 9.
num. 8. & §. 11. *num.* 7. Nauarr. *c.* 27. *num.*
37. Sanchez. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 33. *num.*
21 7. in commiſſione, ſeu delegatione expreſſio
rei, quæ de iure communi ineſt, non inducit
nouam formam, ſeu conditionem, ſine qua
non; ſed ſolum admonetur Commiſſarius, ſeu
delegatus, quid eum facere oporteat. Quare
ſi requiſita conditio ſecundum ius ordinarium
ad formam, ſeu ſubſtantiam actus non perti-
net, tunc illicita quidem erit executio dele-
gantis (non obſeruata tali conditione) ſed ta-
men valida; atque ita, inquit ipſe, in tali ca-
ſu res ſeſe habet; ergo &c. nam ſpectato iure
communi, atque ordinario, præmittenda eſt
22 ante abſolutionem ſatisfactio, aut cautio ſa-
tisfaciendi parti læſæ (pignoratitia ſcilicet,
aut fideiuſſoria, aut ſaltem iuratoria, vt ex
communi docet Abb. *c. quæſtione, & c. qua
fronte de appellat.* Silu. *verb. abſolutio.* 3. *num.*
3. Nauar. *c.* 26. *num.* 7. Auila *p.* 2. *c.* 7. *diſp.*
3. *dub.* 6. & 8. Henriq. *lib.* 13. *c.* 28. Sanchez
lib. 2. *moral. c.* 13. *num.* 23. & *lib.* 10. *de ma-
trim. diſp.* 18. *num.* 38. & 42. vbi generalem
regulam tradit, quod ſi iura ſufficientem cau-
tionem requirunt, & aliquis, quia pauper, aut
peregrinus eſt, aliam præſtare non poteſt, ſuf-
ficiat iuramentum, iuxta auth. *generaliter C. de
Epiſcopis & Clericis.* Et ratio eſt, quia nemo ad
impoſſibile poteſt obligari: quod intellige
pro foro externo: nam pro foro conſcientiæ
ſatis eſt etiam propoſitum firmum pœnitentis,
vt rectè docuit Nauarr. *c.* 27. *num.* 278. Hen-
riq. *lib.* 7. *c.* 13. *num.* 2. *in gl. litt.* 3. & *c.* 28.
num. 3. *in gl. lit. A.* & Valerus *verb. abſolutio
diff.* 5. *num.* 3. & *diff.* 11. in fine) ita quod, ſi
iudex ordinariam poteſtatem habens, non ſine
culpa, eam exigere prætermittit, valeat nihil-
ominus abſolutio; ergo idem dicendum eſt, ſi
quis ex delegata poteſtate abſoluit, ſimiliter
non exacta ſatisfactione; præſertim ſi delega-
tio facta fuit per modum gratiæ, quæ latam
habet interpretationem; ſicuti eſt in bulla,
priuilegio, & iubilæo.

Quinimò addit Auila *in loc. ſupra cit. dub.*
9. *concl.* 2. in fine, non eſſe improbabile, quod,
ſi quis excommunicatus, excommunicatione 23
partis ſatisfactionem exigente, oblitus ſit con-
fiteri talem cenſuram, is per generalem abſo-
lutionem, quæ datur ad cautelam, abſolutus
remaneat à dicta cenſura; quamuis præſuma-
tur confeſſor nolle ab illa (non ſatisfacta) ab-
ſoluere, ex eo, quod, ſi pœnitens illam mani-
feſtaret, & confeſſor, non ſatisfacta parte, ab-
ſolueret, mortaliter peccaret.

Si autem legiſlator formam aliquam, vel 24
modum præcipiat obſeruari ab ijs, qui iam an-
tea actum ſecundùm ſubſtantiam exercendi
poteſtatem habuerunt, forma accidentalis
cenſeri debebit. Excepi, niſi exprimat, velle 25
ſe, vt tali modo, ſeu forma non obſeruata,
actus inutilis ſit, vel pro infecto habeatur;
vel adiungat quid ſimile, ex quo eius ſimilis
mens cognaſcatur.

An autem in iſto ipſo vltimo exceptionis 26
caſu intelligendum ſit, actum eſſe nullum,
etiam in conſcientiæ foro, & ante omnem iu-
dicis ſententiam; vel poſtquam iudex actum
ſimul cum effectu eius iuxta legem caſſauit?

Reſpondeo, ſi neque ex materia legis, ne-
que ex verbis, quibus legiſlator vſus eſt, ſatis
appareat, mentem eius fuiſſe, actum etiam in
conſcientiæ foro irritum reddere; ſed res re-
ſtet in dubio, poſteriorem, vt potè benignio-
rem legis ſenſum, præferendum eſſe; Atque
ſic facilius defenditur doctrina Abb. *in c. quia
plerique num.* 31. *de immunit. Eccleſ.* Innocen-
tij ibidem, Sylu. *verb. alienatio.* 9. 13. Nauar.
de ſpol. Cleric. §. 2. *num.* 6. Rodrig. *to.* 1. *reg.*
99. *quæſt.* 27. *art.* 10. Sà *verb. contractus num.*
1. tradentium, quod ſi actus, vel contractus
(vt electio, alienatio rei Eccleſiæ, vel mino-
ris, &c.) ſine cuiuſquam fraude, & iniuria,
prætermiſſa iuris ſolemnitate, celebratus ſit,
in conſcientia ſit tutus, qui electus eſt, vel qui
rem Eccleſiæ, vel minoris emit, donec iudi-
cis reſcindentis auctoritas acceſſit.



TRACTATVS IV. DE CONSCIENTIA SCRVPVLOSA.

DVBITATIO I.

Quid ſit ſcrupulus, & an contrà illum poſſis agere?

SVMMARIVM.

1. *Scrupulus eſt leuis ſuſpicio, ſeu exiſtimatio ex leuibus rationibus orta, qua quis ſcrupuloſus inducitur ad credendum, vel dubitandum eſſe peccatum quod non eſt.*
2. *Scrupulus plerumque trahit origineem ex naturæ infirmitate & melancholia.*
3. *Scrupulum contra agere non ſolum eſt licitum, ſed etiam laudabile.*
4. *Scrupulus non eſt conſcientia, vel dictamen intellectus iudicantis contra quod agere nunquam licitum eſt, ſed vana apprehenſio, cui intellectus indicatiuus, ipſaque voluntas retinere poteſt, & debet.*
5. *Scrupulus eſt apparentia quædam quæ haberi poteſt contra iudicium, ſeu credulitatem de aliqua re.*
6. *Scrupulus non tollit iudicium certum, vel ſaltem probabile de honeſtate actus ſaltem per principia extrinſeca, ſeu ex auctoritate aliorum ſi enim tolleret iudicium iam non eſſet ſcrupulus, ſed dubium.*
7. *Scrupulum contra agere laudabile eſt quia oportet huiuſmodi formidines vt potè friuolas, & ſine ratione natas ſedare.*
8. *Scrupulum contra agere eſt obligatio quandoque, v.g. ſi ex anxietate ſcrupulorum graue damnum ſalutis ſcrupuloſus patiatur, aut officio proprio exercendo ſe inutilem reddat, aut à communione, vel confeſſione, vel alia actione ſub præcepto obligante ſe retrahat.*
9. *Operatio vt recta ſit opus non eſt deponere ſcrupulum, quia ſcrupulus non conſtituit dubium formaliter, neque tollit aſſenſum partis oppoſitæ.*
10. *Agere contra conſcientiam erroneam errore non depoſito eſt malum, quia tollit iudicium certum, vel probabile de honeſtate actus, non tamen eſt malum agere contra ſcrupulum illo non depoſito, quia ſcrupulus non tollit aſſenſum.*
11. *Textus in cap. Inquiſitionis de ſent. excomm. non loquitur propriè de ſententia ſcrupuloſa, ſed dubia tollente contrarium iudicium de honeſtate actus.*
12. *Conſcientia ex leui & temeraria credulitate debet explodi quoad conſenſum in illam, quia non debemus illi acquieſcere; at non eſt opus illam explodi quoad ſenſum.*



Eſpondetur, & dico primò, 1
ſcrupulus eſt leuis ſuſpicio, ſeu exiſtimatio ex leuibus rationibus orta, qua induceris ad credendum, vel dubitandum, eſſe peccatum, quod non eſt peccatum, ita Doctores, quos citat, & ſequitur Salas. 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 29. *num.* 291. Valent. *diſp.* 2. *quæſt.* 14. *par.* 4. *in fin.* Vaſq. *quæſt.* 19. *diſp.* 67. *cap.* 2. *num.* 8. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 2. & *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 2. & alij paſſim. Originem ple- 2
rumque trahit ex naturæ infirmitate, puſillanimitate, & melancholia, interdum ex Dæmonis tentatione, teſte S. Antonino *par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. §. 9. & Nauarr. *cap.* 27. *num.* 282.

Dico ſecundò agere contra ſcrupulum, non 3
ſolum eſt licitum, ſed etiam laudabile, Gerſon. *operum par.* 2. *tract. de Præparat. ad miſſam, conſiderat.* 6. S. Anton. *par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10.

§. 10. Syl. *verb. scrupulus quæst.* 3. Cordub. *lib.* 3. *quæstionum, quæst.* 1. *prop.* 4. Nauar. *sum. prælud.* 9. *num.* 9. *& cap.* 27. *num.* 283. *& c. si quis autem de Pœnit. dist.* 7. *num.* 64. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 80. & alij suprà citati.

4 Probatur, quia scrupulus non est conscientia, vel dictamen intellectus iudicantis (contra quod agere, nunquam licitum est) sed vana apprehensio, cui intellectus, iudicatiuus, ipsaque voluntas resistere potest, & debet, Nauarr. *cit. cap.* 27. *num.* 279. *& lib.* 5. *consil.* 10. *num.* 8. *de pœnit. & remiss* vbi ait, *quod*
5 *scrupulus sit apparentia quædam, quæ haberi potest contra iudicium, seu credulitatem de aliqua re.*

6 Confirmatur, quia scrupulus non tollit iudicium certum, vel probabile de honestate actus, saltem per principia extrinseca, seu ex authoritate aliorum, licet aliquo modo suffocet iudicium illud; (aliàs si tolleret iudicium, iam non esset scrupulus, sed dubium) ergo, stante iudicio certo, vel probabili de honestate actus, stat firma regula honestæ operationis, sicque potest se illi scrupulosus conformare.

7 Quod autem sit laudabile probatur; quia oportet huiusmodi formidines, vt potè friuolas, & sine ratione natas, sedare; sed nullum aliud remedium est efficacius, quàm si scrupulosus illas contemnat: ergo.

8 Adde, agere contrà scrupulum, non solum esse licitum, & laudabile, sed aliquando obligatorium, nempè si ex anxietate scrupulorum graue damnum salutis scrupulosus patiatur, aut officio proprio exercendo se inutilem reddat, aut à communione, vel confessione, vel alia actione sub præcepto obligante se retrahat; Valent. *suprà* Salas *num.* 298. Sanchez *num.* 83. Sayr. *in Clau. Reg. lib.* 1. *cap.* 14. Montesin. 1. 2. *disp.* 29. *quæst.* 6. *num.* 255. & Ioan. Sanch. *in select. disp.* 41. *num.* 7.

9 Ex his sequitur, vt recta sit operatio, non esse opus deponere scrupulum; quia cum scrupulus (vti dicebam) non constituat dubium formaliter, neque tollat assensum oppositæ partis, non obstat rectæ operationi, Nauarr. Vasq. vterque Sanchez, & alij *suprà*.


10 Obijcies: *in c. per tuas, de Simonia,* quidam ordinatus ab Episcopo, qui dicebatur Simoniacus, permittitur in ordine suscepto ministrare, non tamen ab eodem vlterius promoueri, nisi deponat errorem; qui error ex conscientia nimis scrupulosa ortum habuit, (vt ibidem dicitur) ergo non licet agere contrà scrupulum, illo non deposito.

Respondetur, sic ordinatum non habuisse scrupulum, sed errorem, & si talis error ex scrupulo ortum habuerit: agere autem contrà conscientiam erroneam, errore non deposito, est malum; quia tollit iudicium certum, vel probabile de honestate actus, vti dicebam *tract.* 1. non tamen est malum agere contra scrupulum, illo non deposito; quia scrupulus cùm non sit iudicium, sed quædam leuis suspicio, vel formido, non tollit assensum, vt autem scrupulus non veniat in errorem, obsistendum est illi in principio,

Obijcies secundò *in cap. Inquisit. de sentent. excomm.* coniux dubitans de valore matrimonij, si ex leui & temeraria credulitate dubitat, dicitur debere conscientiam hanc leuem, & temerariam explodere, vt scilicet possit debitum non solum reddere, sed etiam exigere: ergo ad rectè agendum necesse est vt etiam deponatur scrupulus. 11

Respondetur cum glossa ibi, debere talem conscientiam leuis & temerariæ credulitatis explodi, quia illa conscientia non scrupulus, sed dubium, vel potius error erat, tollens contrarium iudicium de honestate actus.

Respondetur secundò cum alijs, conscientiam ex leui, & temeraria credulitate natam debere explodi quoad consensum in illam, quia non debemus illi acquiescere: at non est opus illam explodi quoad sensum, seu illam non sentire; quia vix potest agitatus scrupulis, illos ita explodere, vt illorum vexatio non sentiatur. 12



DVBITATIO II.

Quæ remedia scrupuloso sint adhibenda.

SVMMARIVM.

1. *Remedium contra scrupulos est vt se se scrupulosus talem cognoscat non iudicio suo, sed confessarij, vel alterius viri Docti, cui suam conscientiam sæpius detegit, cuiquè iudicio stare debet.*
2. *Confessor si scrupuli sint de rebus efficiendis, eo quod scrupulosus suspicatur, se illas efficiendo peccare mortaliter, debet monere scrupulosum, ne se in illo examine detineat, sed si primo aspectu vt illicitas non cognoscit, certo, & sine formidine teneat esse licitas.*
3. *Scrupulosus quis adeo est aliquando, vt consuli possit, ne quid esse mortale putet, quia scrupulosus non est capax discutiendi rationes.*
4. *Scrupulosus, si aliquando contingat, vt aliquid illicitum efficiat, ei non imputatur ad culpam, quia id ex recta intentione ob vitanda grauia inconuenientia processit.*
5. *Scrupuli si sint de rebus præteritis, an scilicet alicui actui malo scrupulosus consenserit seruanda est regula superius recensita sacerdos non debet permittere repeti confessionem.*
6. *Si scrupuli sint non de peccatis, sed de obligatione inde consurgente an scilicet scrupulosus confessiones fecerit legitimas.*
7. *Scrupulosus non tenetur, secundum sententiam Sà, & aliorum quos citat Sanchez, confiteri nisi quæ potest iurare, & fuisse peccata mortalia, & se nunquam illa fuisse confessum.*
8. *Sacerdos non debet vt plurimum scrupulosi dubitationes admittere, sed illum repellere etiam verbis asperis.*

9. *Sacerdos debet etiam ſemper ſcrupuloſi dubitationes in mitiorem partem interpretari.*
10. *Primùm non conſulat confeſſarium de quibuſcumque dubijs, ſed ſæpe proprijs rationibus, ac regulis à confeſſario ſibi traditis vtatur ad vitandos ſcrupulos.*
11. *Scrupuloſus cum primum animo ſcrupulus excitatur prudente aliqua ratione eum reijciat, nec cogitatione foueat.*
12. *Scrupuloſus confeſſiones non repetat, ſed poſtquam ſemel vel confeſſarij iudicio probabili integre confeſſus fuiſſe viſus eſt, acquieſcat.*
13. *Scrupuloſus perſuadeat ſibi quod cuilibet iudicio, vel conſilio confeſſoris, vel alterius docti, ac probi viri tuto acquieſcere poſſit, & debeat ob damna, quæ ſibi imminent, ſi remedia, & conſilia reſpuat.*
14. *Scrupuloſus ſciat quod aliorum bonorum virorum vita, & conſuetudo poſſit eſſe alijs viuendi regula.*
15. *Sciat etiam quod præcepta præſertim affirmatiua & poſitiua non ſunt accipienda cum tanto rigore.*
16. *Speret plurimum in Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis, nec putet eum tam rigidum legiſlatorem.*
17. *Agnoſcere culpam vbi non eſt, eſt ſignum animi ad bonitatem propenſi, per ſe autem bonum non eſt. Vide [illegible] quomodo apud Sanctum Gregorium ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum id intelligatur.*
18. *Scrupuloſus in articulo mortis conſultius cum Sanchez [illegible] conteneret.*

1 [illegible] ideo, & Dico primò, vt remedia ſcrupuloſo adhibeas, curare debes, vt ille ſe ſcrupuloſum eſſe cognoſcat; vt autem talem ſe eſſe cognoſcat, non iudicio ſuo, ſed iudicio confeſſoris, vel alterius viri docti cui ſuam conſcientiam ſæpius detegit, ſtare debet. Qui Sacerdos ſcrupuloſum illum eſſe cognoſcet, ſi deprehendat, illum ſæpè ſine ratione firma putare peccatum eſſe, quod non eſt. Ita communiter Doctores ſupra citati.

2 Iudicium etiam hominis ſcrupuloſi eſt, ſi contra iudicium ſapientum, imo etiam proprium, quid agere, peccatum non eſſe, tamen inquietus ſit, timens ne fortè peccet, vel peccarit; quare ſcrupuloſus plerumque in aliena cauſa iudicare ſolet ſine formidine, hominemque abſoluere; ſed ſi idem caſus ipſi contingat, ſtatim formidare incipit, peccatum ineſſe.

3 Cæterum ſcrupuloſi vel ſunt in vna materia tantum, vel in pluribus; & de omnibus eſt idem dicendum, vt ex ſequentibus patebit.

4 Dico ſecundò, ſi ſcrupuli ſint de rebus efficiendis, eo quod ſcrupuloſus ſuſpicatur ſe illas efficiendo peccare mortaliter, debet confeſſor monere ſcrupuloſum ne ſe in illo examine detineat, ſed ſi primo aſpectu, vt illicitas non cognoſcat, certo & ſine formidine teneat eſſe licitas; Vaſq. *diſp.* 67. *cap.* 2. *circa fin.* Azor. *lib.* 2. *cap.* 20. *qu. vlt.* Salas *conſ.* 3. & Sanch. *c.* 10. *num.* 82. qui recte addit cum Vaſq. aliquando poſſe quempiam eſſe ita ſcrupuloſum, vt conſuli poſſit ne quid eſſe mortale putet, quin iurare poſſit id eſſe, quia ſcrupuloſus non eſt capax diſcutiendi rationes, cum leues & friuolæ vt grauiſſimæ ipſi appareant; & quo magis diſcutit, eo magis obuoluitur, vt experientia patet.

Quod ſi quando contingat ſcrupuloſum aliquid illicitum efficere, ei non imputatur ad culpam, quia id ex recta intentione ob vitanda grauia inconuenientia proceſſit, nullo modo futurus, ſi id eſſe malum nouiſſet; Caietan. & Corduba, quos citat, & ſequitur Villalob. *tom.* 1. *Summ. tract.* 1. *diffic.* 26.

Dico tertiò, ſi ſcrupuli ſint de rebus præteritis, an ſcilicet alicui actui malo conſenſeris, eadem regula ſeuanda eſt, vt niſi certò & ſine examine noueris conſenſiſſe, reputes non conſenſiſſe; Sanch. *ſupra* & Azorius *lib.* 2. *cap.* 20. *q.* 7. quia peccata mortalia de ſe ita patent, vt primo aſpectu maximè à timoratis cognoſci poſſint. 5

Dico quartò ſi ſcrupulus ſit non de peccatis, ſed de obligatione inde conſurgente, an ſcilicet confeſſiones feceris legitimas, nempè de omnibus peccatis, vel cum ſufficienti examine & dolore, Sacerdos non debet permittere repeti confeſſiones (cum conſtet mediocrem diligentiam adhibitam fuiſſe) quia probabiliter, quia moraliter certò præſumere debet ſcrupuloſum præcepto confeſſionis ſatisfeciſſe. 6

Confirmatur, quia ſi permitteret, confeſſiones repeti, ſcrupuloſus augeret ſcrupulos in infinitum, & facta vna confeſſione, de eadem ipſa iterum vexaretur, an fuerit cum vero dolore, ſufficienti examine, &c.

Hinc Sà *verb. dubium*, *num.* 5. Sanch. *num.* 85. & alij (quos Io. Sanch. *diſp.* 41. *num.* 18. & 20. ſequitur) aiunt ſcrupuloſum non teneri fateri, niſi quæ poteſt iurare, & fuiſſe peccata mortalia, & ſe nunquam illa fuiſſe confeſſum. 7

Dico quintò, non debet Sacerdos vt plurimum ſcrupuloſi dubitationes admittere, ſed illum repellere, etiam verbis aſperis, vti Chriſtus *Matth.* 8. dixit diſcipulis naufragium timentibus, *Quid timidi eſtis modicæ fidei*, ſcilicet fiduciæ, quia alioqui ſcrupulorum fons nunquam extingueretur: Sanch. *nu* 82. Azor. *quæſt.* 7. & Io. Sanch. *num.* 29. 8

Dico ſextò, debet Sacerdos ſcrupuloſi dubitationes ſemper in mitiorem partem interpretari, tùm quia dubia in mitiorem partem interpretanda ſunt, *c. eſtote de reg. iur.* tùm & præcipuè, quia ſcrupulus repræſentat, omnia grauiora eſſe, quàm ſunt, facitque timere, vbi non eſt timor, Azor. & Sanch. *in locis ſuprà citat.* adeò vt ſuprà dixerim, quod ſcrupuloſus non iudicet, eſſe peccatum mortale, vel ſe conſenſiſſe in peccatum mortale, niſi id certò deprehendat, Vaſq. *diſp.* 67. *cap.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *quæſt. vlt.* & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 82. quodque ſolum confiteatur, quæ clarè peccata eſſe cognouerit, non dubia, vel ſcrupulos, Azor. Vaſq. & Sanch. *in locis ſupra citatis.* 9

His adde hæc alia remedia.

Primùm. Non conſulat confeſſarium de quibuſcumque dubijs, ſed ſæpè proprijs ra- 10

tionibus, ac regulis à Confessario sibi traditis vtatur ad vitandos scrupulos; Vasq. *suprà*, & Mol. *tract.* 4. *disp.* 13. *in fin.*) vbi ait, quòd Confessarius scrupuloso interdùm præcipere debeat, vt de tali re, neque cum ipso, neque cum alio vnquam loquatur, sed tanquam inane quid, scrupulum omninò contemnat; interdùm verò si aliam materiam præter scrupulos, non afferat, sine absolutione eum ad S. Eucharistiam dimittat.

11 Secundùm, cum primum animo scrupulus exoritur, prudente aliqua ratione eum reijciat, nec cogitatione foueat: cùm enim scrupulus in apprehensione consistat, quo diutiùs in vtramque partem, adhibitis rationibus, vertitur, eò magis animo scrupulosi imprimetur, adeò vt quid plus postea requiratur ad illum repellendum; quare expedit, scrupulosum negotijs insistere, ne tempus suppetat vacandi scrupulis, Cajetanus *verb. scrupulorum medicina.*

12 Tertiùm, confessiones non repetat, sed postquam semel, vel Confessarij iudicio, vel etiam proprio probabili, integrè confessus fuisse visus est, acquiescat; Nauarr. *in c. fratres, num.* 30. *dist.* 3. *de Pœnit. & in sum. cap.* 21. *num.* 42. Medin. *quæst.* 19. *art.* 6. *in fin.* Sà *verb. dubium num.* 5. & Henriq. *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 4.

Neque propterea exponit se vlli periculo; tùm quia dubium in conscientia scrupulosi apud alios esset moralis certitudo; tùm quia esto, aliqua confessus non fuisset; non tenetur cum tanto damno ad confessionis integritatem quæ neque obligat ob minus incommodum, vel difficultatem, Coninch. 2. 2. *par.* 2. *disp.* 7. *num.* 68.

13 Quartum persuadeat sibi, quòd quilibet iudicio, vel consilio Confessoris, aut alterius docti, ac probi viri tutò acquiescere possit; & scrupulosus debeat, ob damna, quæ sibi imminent, si remedia, & consilia respuat, S. Anton. *cit.* §. 10. *reg.* 5. Cordub. *cit. prop.* 4. Valent. *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *par.* 4. *in fin.* & Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 2. *de Pœnit. & remiss.* vbi subdit *num.* 4. postquam vnius talis viri responsum accepit scrupulosus, non debet alios consulere, nè assuescat anxietates inutiles diutius fouere.

14 Quintùm sciat, quòd aliorum bonorum virorum vita, & consuetudo possit esse alijs viuendi regula, ita vt quòd illi sine peccati formidine faciunt, vel fieri posse, putant, scrupulosus sequi possit, quin & debeat, S. Anton. *reg.* 7. *doctr.* 4. Syl. *quæst.* 4. & Conrad. *de contract. quæst. vlt.*

Sextùm, sciat etiam, quòd præcepta, præsertim affirmatiua, & positiua, v. g. de ieiunijs, horis canonicis, excommunicationibus, irregularitatibus, &c. non secùndùm rigorem intelligenda sint, sed secundùm Epikeiam, S. Anton. Syl. & alij. 15

Septimum, *Sentiat de Domino in bonitate, & simplicitate cordis* Sap. 1. nec putet eum tam rigidum legislatorem, vt bonæ voluntatis hominibus peccata tribuat, pœnásque decernat, neque eum, & Ecclesiam suis præceptis efficere velle, vt homo in amentiam incidat (vt aliquando contingit) S. Anton. & Syl. *locis supra citat.* 16

Objicies illud Gregorij ad Augustin. Anglor. Episcop. *in cap.* 4. *dist.* 5. *Bonarum mentium est, ibi etiam culpam agnoscere, vbi culpa non est.* 17

Respondetur, cum Ioan. Gersone, & Nauarr. *num.* 284. esse quidem hoc signum animi ad bonitatem propensi, per se tamen bonum non esse, sed esse defectum scientiæ, & iudicij.

Respondetur secundò cum alijs, Gregorium ibi culpam sumere latius pro quouis defectu, quem in seipso homo potest cognoscere, & deplorare: proposita enim ibi erat quæstio, an mulier, dum menstrua patitur, ad Ecclesiam, & sanctam communionem accedere possit? Ad quod respondet Pontifex, *si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non iudicanda: bonarum quippè mentium est, ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere; vbi culpa non est quia sæpè sine culpa fit, quod venit ex culpa; vndè etiam cùm exurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi parentis factum est, vt exuriremus.*

Objicies secundò, si nunc morti proximus essem, non auderem cum hoc scrupulo mori. 18

Respondetur cum Syluestro *quæst.* 3. in illo articulo multa faceret homo, quæ tamen opus non est, nec expedit facere in vita; quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret.

Respondetur, secundò cum Sanch. *num.* 81. etiam in illo articulo consultius scrupulosus scrupulos contemneret.

TRACTATVS



TRACTATVS V.

DE RADICE RESTITVTIONIS,

Aliarumque obligationum, & pœnarum, vt excommunicationis,& irregularitatis ex delicto.

DVBITATIO I.

Quotuplex sit radix restitutionis?

SVMMARIVM.

1. *Restitutio non est nisi damni iniustè dati secundum Arithmeticam æqualitatem restauratio.*
2. *Iniuria bifariam diuiditur in materialem, & formalem, & quæ vtraque sit.*
3. *Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, non distributiuæ.*
4. *Restitutio aliquando secundum Nauarram est actus iustitiæ distributiuæ, v. g. si Belli Dux spolia hostium iniquè inter milites distribuat, sed etiam tali casu est actus iustitiæ commutatiuæ habito ad dispensatorem respectu.*
5. *Bona communia sunt in duplici differentia, quædam enim ex iustitia distributiua tendũt in commodum Reipublicæ, qualia sunt publica officia, Ecclesiastica beneficia &c. alia verò sunt quorum distributio per se, & præcipuè tendit in commodum partium.*
6. *Conferẽs beneficia Ecclesiastica indignis postpositis dignis, non tenetur ad restitutionem ipsis dignis, eo quod nullum ad ea propriè, & strictè ius habeant, sed tenetur Reipublicæ, si ex tali collatione damnum aliquod sentiat.*
7. *Restitutio necessaria est ad salutem, quod quidem ex sacra scriptura potissimum probatur.*
8. *Iustitia, & æqualitas seruanda est, ex naturali, & diuino præcepto.*
9. *Restitutionis præceptum est explicitè affirmatiuum, quippe positiuè restituendi actus præcipitur, implicitè autem, & virtute continet præceptum negatiuum.*
10. *Restitutionis præceptum, quod implicitè negatiuum esse dicitur est principaliter intentum, quatenus verò est affirmatiuum est potius accessorium, adeoque naturam imitetur sui principalis, vt statim, & semper obliget.*
11. *Rei alienæ non solum iniusta ablatio, sed etiam destructio, & detentio prohibetur per præceptum (ne furtum facias.)*
12. *Finis cum præcipitur etiam medium, sine quo finis obtineri nequit, & è contra.*
13. *Retentionis rei alienæ vnicum peccatum est, & non restitutionis, quia opponitur vni præcepto iniustè non retinendi, & consequenter restituendi.*
14. *Detentio rei alienæ, quo magis valet, & protrahitur, eo magis peccatum augetur secundum intrinsecam rationem iniustitiæ.*
15. *Restitutionis radices duæ esse dicuntur, vna ex parte rei acceptæ & possessæ, quæ Domino suo restitui debet, altera ex parte iniustæ acceptionis, & læsionis.*
16. *Restitutionis faciendæ mensura ob iniuriam solum materialem ratione rei acceptæ, & am*

sessa, debet esse quantitas possessionis, nempè vt tantum restituas quantum ex re aliena possides, vel inde ditior factus es.

17. *Restitutionis faciendæ mensura ob iniuriam formalem ratione iniustæ damnificationis, debet esse quantitas damni alieni, nempè vt restituas quantum alter læsus est.*

18. *Restituendi duæ radices recensitæ quandoque concurrunt, vt in fure, qui rem alteri iniustè ablatam detinet, apud quem si res furtiua facta sit auctior, seu melior, debet eam ita auctam Domino suo restituere, deductis tamen in foro conscientiæ expensis quas fur fecit vtiliter.*

19. *Fur si apud ipsum res furtiua fuerit facta deterior, tenetur Domino damni æstimationem persoluere.*

20. *Restituendi prædictæ duæ radices aliquandò separantur, pro vt in bonæ fidei possessore.*

21. *Restitutiò facienda non est pro sola iniuria, si nullum damnum illatum sit; quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ.*

1 Vpposito ex communi sententia Doctorum, quòd restitutio non fit, nisi damni iniustè dati secundùm Arithmeticam æqualitatem restauratio. Cùm dicitur *damni iniustè dati*; Aduerte duplicem

2 esse iniuriam, materialem, & formalem: materialis iniuria infertur, cùm quis v. g. rem alienam accepit, vel detinet, probabiliter putans esse suam, vel habere se ius accipiendi, aut detinendi, cùm re vera non habeat. Iniuria verò formalis infertur, cùm quis rem alienam accipit, detinet, destruit, sciens, aut scire potens, ac debens, id agendi se ius non habere.

Cùm dicitur *secundum Arithmeticam æqualitatem*.

3 Aduerte, restitutionem esse actum iustitiæ commutatiuæ, non item distributiuæ, S.Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. & alij communiter, contrà Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de restitut. cap.* 2. *num.* 18. Et ratio est, quia restitutio non est aliud quam damni dati restauratio; & hæc fieri non potest nisi tantumdem, quantum ablatum est, restituetur (quod est proprium iustitiæ commutatiuæ) ergo.

4 Obijcies ex Nauarra, restitutionem aliquando esse actum iustitiæ distributiuæ, v. g. si belli Dux spolia hostium iniquè inter milites distribuit, non secundum merita cuiusque militis, ergo.

5 Respondeo cum Soto *lib.* 4. *qu.* 6. *art.* 1. *ad* 3. Couarr. *reg. peccatum, par.* 2. §. 7. *num.* 6. & Less. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 15. *num.* 73. discrimen esse inter bona communia quæ ex iustitia distributiua distribui solent: nam eorum aliqua in commodum reipublicæ præcipuè tendunt, qualia sunt publica officia, Ecclesiastica beneficia, quæ si postpositis dignis conferantur indignis, propriè non infertur iniuria dignis, eo quod nullam ad ea propriè & strictè ius habent; quare nec restitutio aliqua ipsis debetur, sed potius reipublicæ, si ex inde damnum aliquod passa sit: alia verò bona communia sunt, quorum distributio per se, & præcipuè tendit in commodum partium: vt cum Dux belli spolia hostium inter milites pro singulorum meritis, distribuere debet, tantum peccabit contra iustitiam distributiuam, si ea, vel in proprios vsus conuertat, vel det ijs quibus non competit: restituere tamen tenebitur secundum iustitiam, non distributiuam, sed commutatiuam, vt quantum damnum singuli milites ex iniqua distributione acceperunt, tantumdem eis Dux belli ex proprijs restituat: in qua proinde restitutione non Geometrica, sed Arithmetica, seu omnimoda æqualitas videtur. Cajet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *post disp.* 714. & Vasq. *de restit. cap.* 1. *Dubit. vnic.* 6

7 Suppono secundò, quod restitutio sit necessaria ad salutem, S. Thom. *cit. q.* 62. *ar.* 2. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *ar.* 2. Adrian. *in* 4. *de restit.* & alij communiter. Probatur ex scriptura *ad Rom.* 14. *reddite omnibus debita.* Iob. *cap.* 2. *videte ne fortè furtiuus sit hædus, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere de furto aliquid, aut contingere.* Et Ezech. *cap.* 33. vbi peccati venia, & iustitia non impetratur, nisi rapina restituatur: Vnde Augustinus *epist.* 54. ad Macedonium, & refertur *c.* 1. *caus. q.* 6. *Si res aliena propter quam peccatum est reddi potest, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, si, vt dictum est, restitui potest.*

8 Secundò, probatur ratione, quia naturale, & diuinum præceptum (cuius obseruatio ad salutem est necessaria) extat, vt seruemus iustitiam & æqualitatem, & vitemus iniustitiam & inæqualitatem: & rem inuito Domino rapere, retinere, destruere est iniustitia & iniquitas, quæ alio modo tolli; & iustitia seruari non potest, nisi quod ablatum vel detractum est, restituatur: ergo & ad iustitiam seruandam, & ad salutem consequendam rei ablatæ restitutio necessaria est.

9 An autem restituendi præceptum sit affirmatiuum, vel negatiuum?

10 Respondeo esse explicitè affirmatiuum: quippè quia positiuus restituendi actus præcipitur, implicitè autem, & virtute continere præceptũ negatiuum, rem scilicet, ius, aut debitum alterius non detinendi: ita vt præceptum negatiuum non detinendi, quod continetur, sit principaliter intentum; præceptum autem affirmatiuum sit potius accessorium, ideoque naturam imitetur sui principalis, vt statim & semper obliget, iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. *licet præceptum restituendi secundum formam sit affirmatiuum, tamen includit negatiuum, & ita ad statim obligat, vt omnia negatiua præcepta.* Quod vt melius intelligatur.

11 Aduerte per præceptum, *non furtum facies*, non solum prohiberi rei alienæ iniustam ablationem, sed etiam destructionem, & detentionem. (Quapropter Innocent. *in c. sæpè, de restit. spoliat.* dixit, *quòd non multum interest quoad periculum animæ iniustè detinere, ac inuadere alienum*, vbi gloss. ait *Iura pro eodem reputant*

auferre, & non dare) sed vt alienam rem, seù d[illegible] Domino inuito, adeoque iniustè [illegible] detineris, necesse est restituere (cùm re[illegible] medium sit, quo cessatur à retentio-
12 ne, ergo eodem præcepto, quo prohibetur, ne rem alteri debitam retineas, præcipitur, vt restituas, sicut vniuersim cum præcipitur finis, præcipitur etiam medium, sine quo finis obtineri non potest; & è contrà, cùm præcipitur vt restituas, ideò id præcipitur, quia non licet retinere, dum creditor inuitus est rationabiliter.
13 Vnde sequitur, vnicum esse peccatum retentionis, & non restitutionis; quia opponitur vni præcepto iniustè non retinendi, & con-
14 sequenter restituendi; quod præceptum restituendi, licet sit affirmatiuum, quia tamen connexum est cum negatiuo non retinendi, obligat semper, dum rem retinere non licet, adeo vt quo diutius quis rem alienam detinet, eo magis peccatum continuet, quin & augeat secundum intrinsecam rationem iniustitiæ, si exinde maius damnum creditor patiatur, Vasq, *de restit. cap.* 3 *par.* 1. *dub.* 3. & Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 3. & 4. His suppositis.
15 Respondetur ad dubitationem, quod, cum restitutio sit, vti dicebam, *damni iniustè dati secundum Arithmeticam æqualitatem restauratio*, duæ exindè exoriantur radices, seù causæ restituendi; Vna ex parte rei acceptæ, & possessæ, quæ Domino suo restitui debet, cùm primùm possessor scit, rem esse alienam; Altera ex parte iniustæ acceptionis, seù læsionis, ob quam res ablata Domino restitui, vel compensari debet, & si qui iniustè læsit, nihil ex eo possideat, nullumque lucrum perceperit, vt infra clarius apparebit. Vbi.
16 Aduerte, quod mensura restitutionis faciendæ ob iniuriam solum materialem ratione rei acceptæ, & possessæ, debet esse quantitas possessionis; nempè vt tantum restituas, quantum ex re aliena possides, vel indè ditior fa-
17 ctus es: mensura autem restitutionis faciendæ ob iniuriam formalem, ratione iniustæ damnificationis, debet esse quantitas damni alieni, nempè vt restituas, quantum alter læsus est, nihil attendendo, an is, qui læsit v. g. segetes vastauit, domum destruxit, iumentum occidit, aliquid indè habeat, nec ne. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6, Caiet. *ibidem*, Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *poster. disp.* 723. & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 186.
18 Aduerte secundò, quod hæ duæ restituendi radices interdum concurrunt, vt in fure, qui rem alteri iniustè ablatam detinet, apud quem si res furtiua facta sit auctior, seù melior, debet eam ita auctam Domino suo restituere, deductis tamen in foro conscientiæ expensis, quas fur fecit vtiliter, Couar. *reg. peccatum par.* 2. §. 9. *num.* 3. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *Dub.* 16. *num.* 101. & Petr. Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 1.
19 *num.* 32. si autem res furtiua in manu furis facta sit deterior, quàm si apud Dominum mansisset, tunc cogitur Domino damni æstimationem præstare, ratione iniustæ læsionis, Sylu. *verb. restitutio, quæst.* 6. Couarr. *num.* 2. & Medin. *quæst.* 6. *de restit.* Aliquando verò hæ duæ
20 restituendi radices separantur, vt videre est in bonæ fidei possessore, qui solum ex primò restituendi capite tenetur; & in rei alienæ destructore, qui si nihil indè possideat, solum ex secundò restituendi capite obligatur.
21 Aduerte tertiò, quod pro sola iniuria, si nullum damnum illatum sit, restitutio facienda non est, quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, vti suprà dicebam; sola autem iniuria, quatenus pro ea satisfieri debet, non est objectum iustitiæ commutatiuæ; sed vindicatiuæ, cuius exercitium spectat tantùm ad publicam potestatem; Vndè ante iudicis sententiam, & condemnationem nulla oritur obligatio restituendi, pro iniuria præcisa à damno. S. Thom. *cit. quæst.* 62. *art.* 3. & Molin. *disp.* 715. *num.* 9. & *tract.* 3. *disp.* 100. v. g. non tenetur adulter, & si notorius, in foro conscientiæ quidquam restituere, si exindè nullum aliud damnum adulteræ marito proueniat.



SECTIO II.

An, vt iniusta acceptiò, actio, vel damnificatio radix sit restitutionis, seu inferat obligationem restitutionis, necesse sit, vt inuoluat culpam mortalem, seu Theologicam?

SVMMARIVM.

1. *Damnificatio aliquando infertur sine vlla culpa, vt si infans, vel furiosus incendat Domum, vastet segetes, submergat nauem &c.*
2. *Damnificatio quandoque infertur ex iusta causa, vt ob publicam vindictam, aut ob necessariam defensionem.*
3. *Damnificatio quandoque infertur ad euitandum maius malum: vt si domus vicini igne correpta destruatur etiam ex ea parte ex qua nondum correpta est.*
4. *Compensatio in casibus recensitis præstari non debet regulariter, secus autem est secundum æquitatem, si Domus vicini, ne maius damnũ vicinis inferat destruatur iuxta doctrinam Barzoli sentientis in tali casu ab omnibus communiter, quorum interest, præstandam esse pro rata.*
5. *Damnificatio si cum culpa inferatur considerandum est, an ea culpa sit merè ciuilis, an vero Theologica, & propriè dictum iniustitiæ peccatum.*
6. *Damnificans culpa, seu negligentia merè ciuili (siue illa sit lata seu leuis, seu leuissima) in foro externo compelli potest ad integram restitutionem; at in conscientiæ foro ante iudicis sententiam ad nihilum tenetur qui sine iniuriæ peccato, per culpam ciuiliter solum æstimatam, quodcumque damnum nullo præcedente contractu intulit.*

7. *Recensentur multi casus in quibus in foro conscientiæ restitutio facienda est ante iudicis sententiam, vide diffusius.*

8. *Actio noxalis à noxa data dicta est.*

9. *Obligatio non potest esse maior quam fuerit iniuria ex qua nascitur obligatio.*

10. *Nemo tenetur adhibere maiorem diligentiam in suis operibus, ne alteri damnum inferat, quam eiusdem conditionis homines passim in similibus adhibere solent.*

11. *Obligatio ad restituendum in casibus recensitis ante iudicis sententiam neque oritur ex legum ciuilium constitutione, neque ex præcedenti pacto expresso, aut tacito, & cur.*

12. *Damnificans si ex pacto aliquo se obligauit, tenetur ex culpa etiam merè ciuili ad restitutionem etiam ante iudicis sententiam contra So-*

13. *tum afferentem, contrahentem non obligari simpliciter ad restituendum damnum sua culpa datum, nisi ea mortalis sit, quod quidem repellitur.*

14. *Obligatio ad restituendum in casibus recensitis oritur etiam ante iudicis sententiam per pactum siue expreßè, siue tacitè secundum legem, aut consuetudinem loci, etiam in foro conscientiæ.*

15. *Damnum si per culpam Theologicam, adeoque formaliter iniustum datum sit omni iure tanquam verum, & naturale debitum compensandum erit, ita vt obligatio hæc etiam ante litis contestationem ad heredes transmittatur secundum ius canonicum & naturale.*

16. *Culpa Theologica, & propriè dicta iniuria interuenit, si vel ex directo proposito damnum absque iusta causa inferatur, vel viso periculo, ab actione non abstineatur, cum possit, & debeatur.*

17. *Minus delinquit qui animo compensandi damnum dedit, quia & si causa subsit fieri potest vt nihil omnino peccet, quamuis peccaret si tale propositum non haberet.*

18. *Casus innumeri ex dictis soluuntur, vide ibi fusius exempla.*

1 SVppono, quòd eiusmodi damnificatio aliquando infertur sine culpa (vt quia damnificans non est capax culpæ, v. g. si infans, vel furiosus incendat domum, vastet segetes, submergat nauem; vel quia iusta causa adest in-
2 ferendi damnum, v. g. ob publicam vindictam, aut ob necessariam defensionem; Item si domus vicini igne correpta destruatur, etiam
3 ex ea parte, ex qua nondum correpta est, cùm id iudicatur necessarium ad arcendum ignem, ne magis diffusus maius damnum inferat, *iuxta l. si quis §. vlt. ff. ad l. Aquiliam*, & docet Mol. *tract. 2. tom. 3. post disp. 697. num. 4.* In
4 quibus casibus non contrahitur obligatio resarciendi, nisi quod Bart. & alij *in l. 2. §. æquissimum ff. de l. Rhodia* de iactu, censent secundùm æquitatem, si domus vicini, ne maius damnum vicinis inferat, destruatur, ab omnibus communiter, quorum interest, præstandum esse pro rata, quia ita etiam de mercium iactu statutum est.) Aliquando verò
5 damnificatio infertur cum culpa; Et tunc distinguendum est de culpa, an sit culpa merè ciuilis, an verò Theologica, & propriè dictum iniustitiæ peccatum. Hoc supposito.

Respondetur qui culpa, seu negligentia merè ciuili (siue illa sit lata, siue leuis, siue leuissima) damnum dedit, in externo foro per actionem *ex l. Aquil. de damno dato*, ad integram eius restitutionem compelli potest, *ff. & instit. ad l. Aquil.* & docet ex communi Mol. *disp. 697.* At in conscientiæ foro ante iudicis sententiam ad nihilum tenetur, qui sine iniuriæ peccato, per culpam ciuiliter solum æstimatam, quodcunque damnum, nullo præcedente contractu intulit. Innocent. *in c. sicuti dignum §. eos de homicid.* Abb. *in c. si egressus, de iniurijs*, Syl, *verb. restitutio 2. dict. 12.* Mol. *disp. 698. num. 6.* Less. *lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 26.* Azor. *tom. 2. lib. 3. cap. 7.* Petr. Nauar. *lib. 2. cap. 1. num. 27.* & nos dicebamus *de immunit. & iurisdict. Ecclesf. cap. 2. dub. 1. sect. vltim. in fine* contrà Angel. *verb. culpa in fine*, Couarr. *in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 16.* Adrian. *de restit. §. vtrum in foro conf.* & alios; Exempla sint: si è domo aliquid inconsultò eieceris, vel effuderis, si canem alligare, candelam extinguere, furnum claudere oblitus sis, vndè alteri damnum euenerit; Eademque ratio est, si mancipium, vel bestia damnum compensandum ab ipso sit, vel mancipium, aut animal noxæ dandum, vndè & actio noxalis dicta est, *ff. de noxal. action. & ff. si quadrupes pauperiem, &c.* Vel denique vt nauta, stabularius, vel caupo teneatur de damno dato ab ijs, quorum opera vsi sunt. *l. vlt. ff. nautæ; caupones, stabularij, &c.* Tales inquam restituendi obligationes non oriuntur ante iudicis sententiam, Petr. Nauar. *lib. 2. cap. 1. num. 35.* Mol. *disp. 713.* & Less. *lib. 2. cap. 9. num. 118.* quibus fauet August. *Epist. 154.* ad Publicolam, *neque enim Reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat.* 6 7 8

Probatur, quia tunc in foro conscientiæ non tenetur ad restitutionem, ratione rei, cùm non extet, vt suppono, neque ratione iniustæ acceptionis, quæ, cùm non sit mortifera, seu grauis, non trahit iniuriam grauem, sicque neque ad restitutionem obligationem grauem: non enim potest obligatio maior esse, quàm fuerit iniuria, ex qua nascitur obligatio, cùm non possit effectus causam suam excedere. 9

Confirmatur, quia nemo tenetur adhibere maiorem diligentiam in suis operibus, ne alteri damnum inferat, quàm eiusdem conditionis homines passim in similibus adhibere solent (nemo enim tenetur circumspectior esse hominibus alijs suæ conditionis) ergo damnum eueniens ex culpa Theologica leui (adhibita scilicet diligentia ordinaria) non debet ei moraliter imputari, sed censebitur eidem moraliter inuoluntarium. 10

Confirmatur secundò, quia vel obligatio oriretur ex legum ciuilium constitutione, vel ex antecedenti pacto expresso, aut tacito. Non primum; quia leges illæ ad ciues diligentiores reddendos institutæ, in huiusmodi damnis commissis respiciunt ad omissionem diligentiæ, sicque sunt quasi pænales, quibus hoc 11

commune est, vt non obligent ante iudicis sententiam; quod in casu nostro inde patet, quia post mortem eorum, à quibus, vel in quorum domo damnum illatum est, actio aduersus hæredes non datur, nisi ante contestatà fuerat *l. inde Neratius §. hanc actionem ff. ad l. a... ul. & §. his autem instit. eodem, & l. vnic. C. de delictu defunctorum.*

12 Secundò suppono, hic nullum pactum interuenisse: si enim interuenit, non nego damnificantem teneri ex culpa merè ciuili, ad quam præstandam iuxta cuiusque contractus naturam, se spontè obligauit; v. g. commodatarius ad leuissimam etiam culpam, conductor ad leuem, precariò accipiens, non nisi ad latam culpam, vel dolum.

13 Quamuis contrarium dixerint Sot. *lib. 5. de iustit. quæst. 7. art. 2.* Tolet. *lib. 5. cap. 18.* & Sa *verb. culpa. num. 2.* vbi aiunt, contrahentem non obligari simpliciter ad restituendum damnum sua culpa datum, nisi ea mortalis sit, quorum opinio mihi non probatur; quia sic (vt alias rationes omittam) omne commodandi, & precario dandi, &c. officium intercluderetur: nam nemo facilè reperiretur, qui commodare, v. g. velit, si commodatarius conscientia non teneatur compensare damnum, quod per ipsius negligentiam, secluso peccato mortali, illatum fuerit, vt ex communi notarunt Maior *in 4. dist. 15. quæst. 45.* Nauarr. *cap. 17. num. 184.* Couarr. *in epitom. par. 2. cap. 6. §. 6. num. 15.* & Molin. *tom. 2. disp. 295.*


14 Quinimò si pactum, siue expressè, siue tacitè secundùm legem, aut consuetudinem loci interueniat, vt v. g. nauta, vel causa teneatur de damno, vel iactura rerum sine vlla sua culpa, accidente per seruos suos, tunc etiam in conscientia ante omnem iudicis sententiam obligatio orietur, Mol. *tom. 3. post disp. 710. in fin. & disput. 713.*

15 Cæterum si damnum per culpam Theologicam, adeoque formaliter iniustum, datum sit, omni iure, tanquam verum, & naturale debitum compensandum erit; vndè obligatio hæc, etiam ante litis contestationem, ad hæredes transmittitur, secundum ius canonicum, & naturale, Couarr. 3. *resolut. cap. 3. num. 7.* & Molin. *tract. 3. disp. 43.* Interuenit autem

16 culpa Theologica, & propriè dicta iniuria, si vel ex directo proposita damnum absque iusta causa inferas, vel viso inferendi periculo, non abstineas agere, cùm possis, & debeas abstinere, in quo sensu intelligitur, *c. vltim. de iniuriis.*

17 Porrò nota cum Molina *disp. 698. num. 3.* quod, sicut qui rem alienam accipit certo proposito restituendi, minus delinquit, ita etiam minùs delinquat, qui simili proposito compensandi, alicui damnum infert. Quin & si causa subsit, fieri potest, vt nihil omninò peccet, quamuis peccaret, si tale propositum non haberet. Quod monui, vt intelligas, aliquando sine culpa damnum inferri, ob præsumptum consensum, vel ratificationem Domini, at restituendi obligationem tamen contrahi.

18 Atque hinc innumeri casus solui poterint, quòd ad restitutionem (saltem in foro conscientiæ) non tenearis, ratione damni dati, nisi in agendo culpam Theologicam, seu grauem, & mortalem commiseris, idque siue agas extrà officium, & contractum, siue agas in officio (vt si sis Tutor, Curator, Medicus, Architectus, Prætor, Iudex, Magistratus, Princeps, vel aliud officium, aut artificium exercens) siue agas in consilio dando, vt si sis Parochus, Confessarius, Concionator, Theologus, Iurista, vel eius professionis, ad quam talis consultatio, quam tu das, spectabat; siue agas in contractu, vt commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius similis; & siue contractus tendat in suam solam commoditatem, siue tantum in vtilitatem Domini, cuius ipsa res est, siue in vtilitatem vtriusque.



DVBITATIO III.

An, & quatenus damnum, quod culpa, seu iniuria solùm veniali, ob imperfectam scilicet animi considerationem illatum est, compensari debeat.

SVMMARIVM.

1. *Restitutio fieri debet secundum Molinam etiam si culpa sit venialis etiam sub obligatione culpæ mortalis si materia restituenda sit notabilis, non quidem integrè, sed pro proportione culpæ.*
2. *Restitutio nulla simpliciter fieri debet pro culpa veniali in sententia auctoris secundum probabiliorem.*
3. *Obligatio in materia graui non potest esse nisi sub peccato graui, & ideo absurdum esset quod quis teneretur restituere magnam aureorum quantitatem solùm ex culpa veniali, & casus non sit fortuitus.*
4. *Obligatio ad restituendum inducta ex legibus humanis non procedit eodem modo in foro conscientiæ, ratio est quia leges illæ sunt pœnales, & procedunt ex præsumptione culpæ Theologicæ.*
5. *Leges humanæ etiam in foro conscientiæ ad reparandum damnum obligant post iudicis sententiam.*



Olin. *tract. 2. tom. 3. post disp. 698. num. 7.* putat, in tali casu, damnum in foro conscientiæ compensandum esse, non quidem integrè, sed pro proportione culpæ, sicque partibus inter se transigendum forè. 1

Prior pars probatur ab ipso; quia vna radix restituendi est iniusta acceptio, seu læsio; sed qui per venialem iniuriam damnum infert, in-

iuste lædit: ergo resarcire debet; & quidem sub obligatione culpæ mortalis, si materia restituenda sit notabilis; quia certum est, peccare mortaliter eum, qui notabilem quantitatem ex iustitia restituere debens, sine iusta causa non restituit.

Confirmatur, quia cùm necesse sit, alterum duorum damnum pati, æquius est illum pati, qui aliquo modo est nocens, & moralis causa damni, quàm qui omninò est innocens.

Posterior pars, inquit, patet; quia cùm iniusta damni illatio causa restituendi existat, sequitur quòd secundùm quantitatem iniuriæ, tanquam causæ, debeat esse restitutionis effectus. His tamen non obstantibus.

Respondetur probabilius esse, ex iniuria non mortali nullam oriri obligationem restituendi sub culpa mortali, sicque damnificantem per iniuriam tantùm leuem, ob actus imperfectionem, secluso omni pacto, non teneri in foro conscientiæ ad vllam restitutionem; quia damnum ex leui consideratione, quæ facilè interuenit, proueniens, casui potiùs, quàm culpæ adscribi solet, *vti quæst. præcedenti* dicebam.

Objicies, saltem est obligatio sub veniali, quia sicut, cùm nulla est culpa, nulla est obligatio, & cùm *est culpa* mortalis, est obligatio sub mortali, ita, cùm est culpa venialis, erit obligatio sub veniali.

2 Respondetur adhuc probabilius esse, nullam simpliciter esse restituendi obligationem, vt patet ex dictis *quæst. præcedenti*, & vlterius
3 probatur, quia obigatio in materia graui non potest esse, nisi sub peccato graui; pendet enim talis obligatio ex materiæ grauitate, posito præcepto naturali, vel positiuo: nam mirum esset, hominem tantùm sub veniali obligari ad restitutionem multorum aureorum, nec posse ab hoc peccato liberari, nisi proponat restituere; quia cùm solum venialis culpa in damno illato intercessit (vt ex quadam inconsideratione, vel animi perturbatione) censetur illud, quasi fortuitò contigisse: quilibet enim, & si prudentissimus, aliquam in agendo negligentiam committit, & ex alio capite rarissimè exindè talia damna contingunt; quare meritò, quasi fortuita iudicari solent.

4 Objicies secundò, legibus humanis teneris ex culpa merè ciuili, non solum lata, & leui, sed etiam leuissima, vt si contractus tendat in tuam solam vtilitatem; quare si gratis commodaui tibi librum, vel equum, vel vestem, &c. teneris in illa re custodienda adhibere non solum eam diligentiam, quam homines communiter in suis rebus adhibere solent, sed etiam, quam diligentiores, & diligentissimi; consequenter si rem tibi gratis commodatam reliquisti in cubiculo, & egrediens ostium attraxisti, sed non tentasti, an firmiter clausum esset, ad compensandum damnum teneris, *c. vnic. de Commodato*, *l. in rebus commodatis ff. commodati*, *& instit. quibus modis contrahatur obligatio §. item is.* Item teneris ex culpa etiam merè ciuili, lata tamen, non autem leuissima, vel leui, si contractus cedat in vtilitatem Domini, cuius ipsa res est; quare si tibi in custodiam dedi librum, equum, vel vestem &c. in meum solum commodum, teneris ex sola culpa lata merè ciuili, non autem etiam ex leui, & multo minus ex leuissima. *Instit. supra §. interea*, & Glos. ibi communiter recepta. Item teneris ex culpa merè ciuili, lata tamen, & leui, non autem leuissima, si contractus cedat in vtilitatem vtriusque; quare qui pignus accepit, vel iniit contractum conducti, locati, vel depositi (ita vt detur pretium pro re deposita custodienda, secus si gratis fiat) tenetur ex culpa merè ciuili, lata tamen, & leui, non autem leuissima, *l. contractus ff. de regul. iur.* & Institut. *suprà §. creditor.* & Glos. ibi, quam communiter Doctores sequuntur.

Respondetur, has leges non obligare in foro conscientiæ, siue quia (vt suprà dicebam, & docet Sot. *de iust. & iur. lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1.) sunt pœnales, & procedunt ex præsumptione culpæ Theologicæ; siue quia, vt sentiunt alij, non sunt receptæ in foro conscientiæ; cùm nemo sit, qui pignori, v. g. vel rei conductæ, putet, se maiorem custodiam ex iustitia præstare debere, quam Dominus ipse præstare solet; Idemque dicendum videtur de commodato: nam & si rem maiore cura custodiat commodatarius, quàm Dominus, id tamen non facit, quia putat, se teneri ex iustitia, sed facit ex gratitudine; siquidem ita postulat gratitudo propter commodum, quod ex re alterius percipit; nec minus putat quis, se teneri ad custodiam precarij, quàm commodati; quare sæpè fit restitutio; non solum si commodatum perijt, sed etiam si perijt precarium, licet sine omni culpa perierit.

Fateor tamen contrariam opinionem (nempè dictas leges obligare, etiam in foro conscientiæ, ad reparandum damnum, præsertim post iudicis sententiam) esse satis probabilem; quia dictæ leges sanciunt id, quod est naturali æquitati consentaneum, nempè circà rem alienam (quam mediante contractu apud nos habemus) diligentiam huiusmodi præstari: qua sanctione posita, qui facit talem contractum (accipiendo, v. g. commodatum, conductum, depositum, vel pignus, &c.) implicitè se obligat ad præstandam eam diligentiam, quam leges requirunt; quare si talem diligentiam (quamuis naturali obliuione, & sine omni culpa) non præstet, tenebitur ad restitutionem. Vide Nauarr. *cap.* 17. *nu.* 184. & Couarr. *in epitom.* 4. *decret. par.* 2. *cap.* 6, *§.* 6. *num.* 15. 5

Ex his, (quæ diximus *hic*, *& Dubitationibus præcedentibus* 1. *&* 2.) præter innumeras alias dubitationes, soluuntur Dubitationes sequentes.



DVBITATIO IV.

An qui subita ira correptus, aliquem occidit, teneatur ad restitutionem?

SVMMARIVM.

1. *Occidens aliquem subita ira correptus, vel magna animi perturbatione commotus, etiamsi fuerit motus etiam secundò primus, & semiplenè aduertens non tenetur sub mortali ad restitutionem.*
2. *Occidens Clericum in motu prædicto neque est irregularis, neque excommunicatus.*
3. *Occidens seipsum in motu prædicto fieri potest vt non peccet mortifere.*

1 REspondetur *ex dictis quæst.* 1. 2. *&* 3 eum, qui subita ira correptus, vel magna animi perturbatione commotus aliquem occidit (ita vt fuerit motus etiam secundo primus; & sic qui occidit fuerit semiplenè aduertens) non teneri sub mortali ad restitutionem (vt rectè colligit Petrus Nauarr.) atque adeò nec
2 esse irregularem, nec excommunicatum (si occisus fuerit Clericus) vbi etiam aduerte, fieri posse vt quis & seipsum occidat, & ad-
3 huc non peccet mortifere, propter eamdem rationem.

DVBITATIO V.

An si ex facto tuo, vel omißione tua secutum est alteri damnum, & tu in hoc mortiferè non peccasti, tenearis ad restitutionem?

SVMMARIVM.

1. *Damnificans ob naturalem quamdam inconsiderationem, vel obliuionem licet culpabilem, non tamen mortalem ob aduertentiam semiplenam, & imperfectam (qualis est motus etiam secundo primus non tenetur ad restitutionem in foro interno.*
2. *Amplia etiam si in foro externo lata culpa damnum datum censeatur.*
3. *Exempla quædam afferuntur vt in egrediente de cubiculo si non claudat ostium abreptus alia cogitatione, de habente lucernam iuxta locum periculosum de aperiente puteum, & c. censetur enim per huiusmodi euentus damnum fortuito datum.*

REspondetur *ex dictis ibidem*, si ex 1 facto tuo, vel omissione tua secutum est alteri damnum, & tu in hoc mortiferè non peccasti, ob naturalem quandam inconsiderationem, vel obliuionem, licet culpabilem, non tamen mortalem, ob aduertentiam semiplenam, & imperfectam (qualis est motus etiam secundo primus, non teneri te ad restitutionem in foro interno, quamuis in foro externo lata cul- 2 pa id commissum censeretur. ita Sotus, & alij Doctores suprà; v.g. egrediens cubiculo & 3 alia cogitatione abreptus non clausisti ostium, quare ingressi fures multa inde abstulerunt; si habes lucernam iuxta locum periculosum, & quamuis sollicitè proposueris extinguere, tamen aliquid interuenit ob quod sine culpa mortali obliuisceris, vel in somnum incidis, & excitatur incendium; si aperuisti puteum, & casu oblitus es tegere, vel sepire, ne quis incidat, & c. ratio horum omnium, & similium est, quia censetur per huiusmodi euentus damnum fortuitò datum, vti supra dicebam.

DVBITATIO VI.

An in officio exercendo teneatur homo ad restitutionem ex culpa leui, vel leuißima?

SVMMARIVM.

1. *Exercens officium non tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem ex culpa leui, vel leuissima, sed solum ex mortifera, & dolo commisso.*
2. *Aduocatus siue Procurator non tenetur ad restitutionem clientulo, si cadat à causa, dummodo fecerit bona fide quod solent diligentes, & Docti in similibus causis.*
3. *Prædicta procedunt in Medico, Architecto, Prætore Magistratu, Principe, & alijs officium, vel artificium aliquod aliud exercentibus.*
4. *Tutor pariter & Curator non tenetur in foro conscientiæ ex culpa leui, vel leuissima, sed solum ex graui, seu mortali.*
5. *Prædicta non habent locum in eo, qui se profitetur diligentiorem, & peritiorem alijs, & propterea ad se traxit eum qui talem quærebat.*

1 Espondetur *ex dictis ibidem*; in officio exercendo non teneri hominem in foro conscientiæ ad restitutionem ex culpa leui, vel leuissima, sed solùm ex mortifera, & dolò commisso, v. g. si contingat, te
2 cadere causa, eo quod aduocatus tuus non præstitit, quod doctissimus, & diligentissimus præstitisset, bona fide tamen præstitit, quod præstare solent diligentes, & docti in similibus causis, non tenetur is tibi ad restitutio-
3 nem; ita Doctores supra citati. Idem dico de Medico, Architecto, Prætore, Magistratu, Principe, & alijs officium, vel artificium ali-
4 quod aliud exercentibus. Vnde sequitur, etiam tutorem, & curatorem non teneri in foro conscientiæ ex culpa leui, vel leuissima, sed solum ex graui, seu mortali; quidquid in hoc discrepare videatur, Sylu. *verb. restitut. 3. q. 8. §. 3.* cuius sententia tamen in foro externo seruatur.

Neque dicas, quod, qui aliquid ex officio facit, teneatur ex culpa leui, quia propterea stipendium accipit, ergo &c. Nam respondetur, quod quamuis quodam sensu dici possit, talem teneri ex culpa leui, quia debet maiorem diligentiam adhibere, quàm si nihil commodi perciperet, vel si non ex officio faceret, vt dicitur in argumento, tamen quia non debet secundum opinionem probabiliorem ex principio dato adhibere maiorem diligentiam, quàm communiter adhibent homines eiusdem officij, ideo probabilius dicitur, eum non teneri, nisi ex culpa graui, nempè quæ grauis est inter homines eiusdem sortis, & quæ pertingit ad peccatum mortale.

5 Porrò quæ dixi, intelligenda sunt, nisi quis profiteretur se diligentiorem, & peritiorem alijs, & propterea ad se traxisset eum, qui talem quærebat: tunc enim tenetur etiam ex culpa leui, & leuissima, vt rectè præter alios dixit Sylu. *verb. culpa q. 4.* Et ratio, quia tunc promittit, saltem implicitè, plus, quàm alij passim præstent, & alter propterea cessat meliorem quærere; ergo nisi hanc diligentiam præstet, tenebitur ad restitutionem, non quidem totius damni, sed quanti iudicabitur spes illa valere, qua sperabat is quod maiori illa diligentia, & peritia, quam quærebat, suum intentum foret assecutus.





DVBITATIO VII.

An in consilio dando teneatur homo ad compensationem damni ex quacumque culpa?

SVMMARIVM.

1. *Consiliarius non tenetur in consilio dando in foro interno ad compensationem damni secuti, nisi ratione culpæ mortiferæ, vel ignorantiæ crassæ, quæ pertingat ad peccatum mortale.*
2. *Parochus, Confessarius, concionator, Theologus, Iurisconsultus, vel eius professionis, ad quam consultatio spectat tenetur ad compensationem damni secuti ratione culpæ mortiferæ vel ignorantiæ crassæ, quæ pertingat ad peccatum mortale.*
3. *Consulens, vel suadens alteri vt hoc vel illud faciat aut absolutè asserens, illud ab eo posse fieri. tenetur habere euidentiam moralem, illud cum his circumstantijs ei esse licitum, alioquin committit culpam grauem.*
4. *Consulens, vel suadens ex culpa leui, vel leuissima non tenetur ad restitutionem.*
5. *Idiota, qui dedit consilium ad contractus, vel alia negotia, non tamen ad damnum alteri inferendum, item quicumque alius doctus vir bona tamen fide sine dolo & fraude non tenetur ad restitutionem in quolibet foro.*
6. *Consulens, vel Aduocatus nisi habeat officium Consularis, vel pro consilio receperit Salarium non tenetur ad restitutionem ex suo simplici consilio.*
7. *Consulens qui consultus respondet secundum opinionem probabilem etiam in damnum consilium petentis non tenetur ad restitutionem, nisi in damnum ipsius tacuerit dolosè opinionem ab eo requisitam alterius Doctoris.*
8. *Consulens simpliciter secundum suam opinionem dicens ita sibi videri, non autem suadet, non tenetur ad restitutionem.*
9. *Neque tenetur is, qui in consilio dando indicat se iudicare.*
10. *Neque tenetur is, qui præbet consilium in aliqua materia, cuius erat parum peritus, v. g. quia non pertinebat ad eius professionem.*
11. *Scienti, & volenti non fit iniuria.*
12. *Suadens alicui certum contractum iniustum, vel vt non restituat, quia tunc malo consilio tertio inuito damnum infert, tenetur ad restitutionem.*
13. *Nemo potest se miscere dandis consilijs in rebus, quas non intelligit, vnde qui id facit grauem culpam committit ob ignorantiam consequentem, vel voluntariam.*
14. *Ignorantia consequens ideo dicitur consequens quia consequens est ad actum volunta-*

tis, & non tollit ab effectu ſeu opere rationem voluntarij, atque adeo non excuſat à peccato.

15. *Diſcere nolens præcepta Dei, vel Eccleſiæ, non excuſatur per talem ignorantiam à peccato, imo toties peccat, quoties exponit ſe periculo faciendi aliquid contra talia præcepta.*

16. *Explodens ſclopetum, non curans adhibere diligentiam, an ibi ſit homo aliquis, nec ne, peccat peccato homicidij, exponens ſe periculo occidendi, & ſi ſequatur effectus tenetur reſtituere, & eſt irregularis, quin & excommunicatus, ſi occiſus ſit Clericus & de hoc dubitauit, & adhuc non curauit diligentiam debitam adhibere.*

17. *Gerens magiſtratum dubitans ſe non habere eam ſcientiam, quæ in tali officio requiritur, peccat mortaliter exponendo ſe periculo faciendi contra iuſtitiam & conſequenter tenetur ad reſtitutionem ſi ex eius ignorantia damnum alteri obueniat.*

18. *Idem dic de Medico imperito, Aduocato, & Procuratore, & ſimilibus.*

19. *Princeps vacans nimium venationi, ſeu diffluens otio, ſi non curat doceri de negotijs Regni, & ex tali ignorantia oriuntur damna, tenetur reſtituere.*

20. *Ignorantia conſequens, ſeu voluntaria, quæ propterea à peccato non excuſat, non poteſt eſſe ſine omni aduertentia, ſeu cognitione intellectus ſaltem in confuſo circa rem, quæ ignoratur: quia talis ignorantia dicitur conſequens, eo quod conſequatur actum voluntatis, & ſic eſt voluntaria.*

21. *Ignorantia conſequens ſine aliqua antecedente aduertentia dari non poteſt, & ſic cum nulla præceſſit aduertentia neque ſub dubio, nec in confuſo, effectus quantumlibet in ſe malus, nunquam erit voluntarius, atque adeo nec peccaminoſus.*

22. *Ignorantia, quæ non excuſat à peccato, debet eſſe aliquo modo voluntaria, & voluntaria eſſe non poteſt ſine præcedente aliqua cognitione.*

23. *Primi motus, & actus hominis ſomno ſopiti, & ebrij, quando eius voluntas fertur in aliquod obiectum malum non aduertendo rationem mali, excuſantur à peccato.*

24. *Cognitio habitualis non ſatis eſt ad peccatum, niſi actualiter aduertat id eſſe malum.*

25. *Ignorantia concomitans, vel antecedens excuſant à peccato, ſecus autem conſequens.*

26. *Ignorantia tripliciter poteſt ad voluntatem ſe habere primò concomitanter, ſecundò conſequenter, tertiò antecedenter, & quid vtraque ſit.*

27. *Ignorantia prima concomitans quamuis non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium, quod ſufficit vt excuſet à peccato.*

28. *Ignorantia ſecunda conſequens quamuis faciat inuoluntarium ſecundum quid; quia eſt cauſa actus, qui non fieret ſine tali ignorantia, & ſic miſcet aliquid inuoluntarij in actu, facit tamen voluntarium ſimpliciter.*

29. *Ignorantia tertia antecedens facit omnino inuoluntarium, quia effectus, qui eſt ex ignorantia antecedente omnem actum voluntatis, non eſt à voluntate præcedente cognitione.*



Eſpondetur, *ex dictis ibidem*; in 1
conſilio dando non teneri hominem in foro interno ad compenſationem damni ſecuti, niſi ratione culpæ mortiferæ, vel ignorantiæ craſſæ, quæ pertingat ad peccatum
mortale, vt ſi erat Parochus, Confeſſarius, 2
Concionator, Theologus, Iuriſconſultus, vel eius profeſſionis, ad quam talis conſultatio ſpectabat; ita præter alios rectè tradit Io. Medina *C. de reſtitut. q. 7.* vt ſi, v. g. Confeſſarius dicat, quempiam teneri ad reſtitutionem, qui non tenetur, vel è contra non teneri, qui tenetur; vel contractum quempiam eſſe licitum, qui eſt illicitus, &c. ſi in his, & ſimilibus caſibus culpa, inquam, ſit mortifera vel ignorantia craſſa, vel conſiderandi negligentia grauis, quæ pertingat etiam ad peccatum mortale, tenetur in foro conſcientiæ ad compenſationem damni ſecuti. Ratio, quia talis ex officio, & profeſſione tenebatur hoc ſcire, & in reſpondendo hunc errorem, vel negligentiam vitare, & non fecit; ergo meritò cenſetur cauſa damni ſecuti; tum quia ratione ſuæ profeſſionis, vel officij habetur ſufficiens ab eo, qui conſilium petit; ergo ſi non ſit ſufficiens, & tamen reſpondeat, decipit illum:
imò quicunque alteri conſulit ſuadens, vt hoc, 3
vel illud faciat, aut abſolutè aſſerens, illud ab eo poſſe fieri, tenetur habere euidentiam moralem, illud cum his circumſtantijs ei eſſe licitum, alioquin committit culpam grauem propter periculum, cui ſe exponit.

Non tenetur tamen ex culpa leui, vel leuiſ- 4
ſima, vt patet ex ſupra dictis; quinimò docent nonnulli, inter quos Valerus *in differentijs vtriuſque fori verb. Reſtitutio diff.* 13. *num.*
2. quod ſi conſilium fuerit datum ad contra- 5
ctus, vel alia negotia (non tamen ad damnum alteri inferendum) ab idiota, vel ab alio quocunque docto viro, ſed bona fide, ſine dolo, & fraude, non tenetur ad reſtitutionem conſulens in vllo foro, niſi habeat officium con-
ſultoris (vt contingit in Aduocato) & ſala- 6
rium præterea pro conſilio dato receperit; aliàs ad reſtitutionem non tenetur ex ſuo ſimplici conſilio.

Sed quidquid ſit de hac opinione, illud tamen verum eſt, non teneri primò ad reſtitu-
tionem eum, qui conſultus reſpondet iuxta 7
opinionem probabilem, etiam in damnum conſilium petentis: ratio, quia cùm ſic probabiliter agat, non temerè, neque imprudenter ſe gerit, atque adeo ſine peccato: niſi forſan conſilium petens, non tam quæſiuerit opinionem ipſius reſpondentis, quam opinionem cuiuſcunque alterius Doctoris in illa materia probabilem ab alijs iudicatam, & illam dolosè tacuerit in damnum conſilium petentis, quia tunc decepiſſe illum videtur.

Secundò neque teneri ad reſtitutionem 8
eum, qui ſimpliciter aperit ſuam opinionem, dicens ita ſibi videri, non autem ſuadet, vt qui conſilium petit, ſuam opinionem ſequatur; nam tunc ſi ſequitur, ſibi imputare debet, & non conſilium danti.

9 Tertiò neque teneri eum, qui in consilio
dando indicat se dubitare: tunc enim si alter
sequatur, suæ temeritati adscribat.
10 Quartò neque teneri eum, qui præbet con-
silium in aliqua materia, cuius erat parum pe-
ritus, v. g. quia non pertinebat ad eius pro-
fessionem, & alter sciens eius insufficientiam,
consilium tamen petit ab illo. Ratio, quia in
tali casu etiam, si damnum ex illo consilio pa-
11 tiatur, sibi debet imputare: scienti enim, &
volenti nulla fit iniuria. Si tamen agatur de
damno alicuius tertij, tunc talis tenebitur illi
12 tertio; vt si suades alicui certum contractum
iniustum, vel vt non restituat, &c. Ratio est,
quia tunc tuo malo consilio illi tertio inuito
damnum infers: nec refert, quod tu consultor
inuincibiliter ignorabas veritatem; quia ne-
13 mo potest se miscere dandis consilijs in rebus,
quas non intelligit, vnde grauem culpam
committis: quia hæc est ignorantia conse-
quens, & voluntaria; ergo non excusat à pec-
cato, vt communiter tradunt Scholastici *in* 1.
14 2. *q.* 6. vbi dicunt, quod licet, quæ fiunt ex
ignorantia consequenti, sint inuoluntaria se-
cundum quid (quia scilicet, si non esset
ignorantia, non fierent; & sic ignorantia est
causa operis, quod non fieret sine tali igno-
rantia, & consequenter miscet quid inuolun-
tarij in opere) tamen sunt voluntaria simpli-
citer; quia talis ignorantia est consequens ad
actum voluntatis; ergo est voluntaria, ergo
non tollit ab effectu, seu opere rationem vo-
luntarij, atque adeò non excusat à peccato.
15 Hinc, si quis non vult discere præcepta Dei,
vel Ecclesiæ, non excusatur per talem igno-
rantiam à peccato, imò toties peccat, quo-
ties exponit se periculo faciendi aliquid con-
tra talia præcepta.
16 Item secundò si quis explodit Sclopetum,
non curans adhibere diligentiam, an ibi sit
homo aliquis, nec ne, peccat peccato homi-
cidij, exponens se periculo occidendi; & si
sequatur effectus, tenetur restituere; & est ir-
regularis; quin & excommunicatus, si occisus
sit Clericus, & de hoc dubitauit, & adhuc
non curauit diligentiam debitam adhibere.
17 Item tertiò, si quis ingerit se magistratui,
videns, aut dubitans se non habere eam scien-
tiam, quæ in tali officio requiritur, peccat
mortaliter, exponendo se periculo faciendi
contra iustitiam; & consequenter damna,
quæ proueniunt ex ignorantia, illi imputan-
tur, tanquam voluntaria, & sic tenetur com-
pensare, veluti ac si ipse directè talia damna
voluntariè intulisset. Ratio, quia ignorantia
consequens non reddit effectum, seu opus in-
18 uoluntarium, vt supra dicebatur. Idem dico
de Medico imperito, qui tenetur etiam ad dam-
na; & ex morte infirmi secuta propter eius
imperitiam, fit irregularis; imò peccat morta-
liter, quotiescunque notabile medicamentum
dat infirmo, etiamsi illi per tale medicamen-
tum sanitatem reddat; quia semper se ex-
ponit periculo illum damnificandi; & sa-
nitas, quæ sequitur, est omnino per accidens.
Idemque dico de Aduocato, Procuratore, &
similibus.
19 Item quartò, si Princeps vacans nimium
venationi, seu diffluens otio, non curat doce-
ri de negotijs Regni, & ex tali ignorantia
oriuntur damna, tenetur restituere: imputantur
enim meritò illi, tanquam causæ; quia tene-
batur ex officio scire, & talem ignorantiam
non habere de negotijs Regni, ne damna se-
quantur suis subditis.
Aduerte tamen hic, quod ignorantia conse- 20
quens, seu voluntaria, quæ propterea à pecca-
to non excusat, vt *supra* dicebam, non potest
esse sine omni aduertentia, seu cognitione in-
tellectus, saltem in confuso, circa rem, quæ
ignoratur; quia talis ignorantia dicitur conse-
quens; eo quod consequatur actum voluntatis,
& sic est voluntaria; sed actus voluntatis non
fit, nisi præcedente cognitione intellectus, er-
go non potest esse talis ignorantia voluntaria
sine aliqua præcognitione intellectus, sal-
tem sub aliquo dubio, vel in confuso; & sic
dicitur ignorantia, non quia excludat omnem
præcognitionem, sed quia excludit præco-
gnitionem certam, aut distinctam effectus, 21
qui dicitur ignorari. Vnde etiam colligi-
tur, quod sine aliqua antecedente aduerten-
tia non potest dari hæc ignorantia consequens,
& sic cum nulla præcessit aduertentia, neque
sub dubio, nec in confuso, effectus quantum-
libet in se malus, nunquam erit voluntarius,
atque adeò nec peccaminosus, quia nulla
præcessit aduertentia modo, quo *supra* dice-
batur.
Nec valet, quod aliqui Casuistæ docent,
quod, etiamsi non aduerterit homo, tenebatur
aduertere, & sic actus redditur peccaminosus.
Non valet, inquam, quia ignorantia, quæ 22
non excusat à peccato, debet esse aliquo mo-
do voluntaria; at voluntaria esse non potest
sine præcedente aliqua cognitione; ergo, &c.
tum quia nemo tenetur ad id, quod non po-
test, sed impossibile est, voluntatem versari
circa id, quod homo non præcognoscit, ergo
quando non est præcognitio, non potest esse
debitum; & sic debet saltem esse præcogni-
tio huius eiusdem debiti, ad hoc, vt teneatur
aduertere; & consequenter hoc ipsum debitum
debet saltem proponi ab intellectu sub dubio,
& in confuso, ad hoc, vt ipsamet non ad-
uertentia, seu (potiùs dicam) distinctior cogni-
tio, quam tenebatur quis habere, imputetur
ei, vt voluntaria, & sic ad peccatum. Hinc
excusantur à peccato primi motus, & actus 23
hominis somno sopiti, & ebrij; quando eius
voluntas fertur in aliquod objectum malum,
non aduertendo rationem mali: nam etsi ha-
bitualiter aliquis sciat tale, vel tale objectum
esse malum; non satis est id ad peccatum, nisi 24
actualiter aduertat id esse malum saltem in
confuso, & sub dubio, vt supra dicebatur:
nam actualiter volitum necessariò supponit
actualiter cognitum; cum voluntas sit poten-
tia cæca, vt ait Philosophus.
Ex quibus patet, ignorantiam consequen-
tem non posse esse sine aliqua præcedente co-
gnitione, saltem in communi, & in confuso
ipsius rei, quæ voluntariè ignoratur; alioquin 25
non esset ignorantia consequens, & volunta-
ria, quæ propterea non excusat à peccato; sed
esset ignorantia concomitans, vel antecedens;

illa non voluntaria, hæc autem inuoluntaria, & quæ vtraque propterea excusat à peccato:
2 ignorantia enim, vt dicitur *in* 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. tripliciter potest ad voluntatē se habere, primò concomitanter, secundò consequenter, tertiò antecedenter: tunc se habet concomitanter, cùm ignorantia non est causa actus voluntatis, quia, illa etiam sublata, fieret actus; vt si quis, putans occidere ceruum inuincibiliter, occidat hostem, quem etiam occidisset, si cognouisset; talis ignorantia dicitur concomitans, quia non causatur à voluntate; neque est causa actus voluntatis, qui potius est cum ignorantia, quàm ex ignorantia. Secunda ignorantia habet se consequenter ad voluntatem; quia ipsa ignorantia est voluntaria, & sic causatur à voluntate; vt si quis velit ignorare præcepta, vt excusationem habeat non pa[illegible]. Tertia ignorantia est antecedens ad actum [illegible]untatis, quia non causatur à voluntate (sicuti causatur ignorantia consequens) & est vera causa actus voluntatis, quia sine tali ignorantia nullo modo fieret actus.

27 Ignorantia prima concomitans, quamuis non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium, quod sufficit, vt excuset à peccato vt mox infra dicetur; Ita S. Thom. *in loco supra cit.* & ibi communiter Scholastici ex Aristot. 3. *Ethic. c.* 1. vbi sic ait: *Qui ob ignorantiam aliquid egit, neque illud egisse se molestè fert; spontè quidem hoc non egit, quod nesciebat, non tamen inuitus.* Vnde Nyssen. *lib.* 5. *Philosophiæ c.* 2. loquens de ijs quæ fiunt ex ignorantia, ait, aliqua esse voluntaria, aliqua verò inuoluntaria. Et ratio est, quia quæ fiunt cum ignorantia concomitante, non sunt contra positiuam inclinationem voluntatis (fierent enim, etiam sine tali ignorantia) ergo non sunt positiue inuoluntaria: non sunt tamen voluntaria, quia ad voluntarium requiritur præcognitio (voluntarium enim est, cuius principium est intra media cognitione, vt *in cit. q.* 6. *art.* 1. docent scholastici ex Aristot. *loco supra cit.*) ergo voluntarius talis actus esse non potest, qui non est præcognitus.

28 Ignorantia secunda consequens, quamuis faciat inuoluntarium secundum quid; quia est causa actus, qui non fieret sine tali ignorantia, & sic miscet aliquid inuoluntarij in actu; facit tamen voluntarium simpliciter; quia ponitur talis ignorantia esse consequens ad actum voluntatis, ergo est voluntaria, ergo non tollit ab effectu rationem voluntarij simpliciter, vt *supra* dicebatur.

29 Ignorantia tertia antecedens facit omninò inuoluntarium, quia effectus, qui est ex ignorantia antecedente omnem actum voluntatis, non est à voluntate præcedente cognitione, ergo non est voluntarius: consequentia probatur, quia voluntarium est id, cuius principium est intra mediâ cognitione, vt supra dicebatur, ergo, &c. Confirmatur, quia talis effectus causatur ab ignorantia (non enim supponitur fuisse futurus sublata ignorantia) ergo est contra positiuam inclinationem voluntatis; ergo est simpliciter inuoluntarius.

DVBITATIO VIII.

An teneatur homo ad compensationem damni dati ex ignorantia concomitante? vbi etiam de irregularitate.

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Homo non tenetur ad compensationem damni dati ex ignorantia concomitante, quia talis ignorantia est inculpata etiam si loco feræ occidat inimicum quæsitum ad mortem.*
2. *Matrimonium, si intercedat ignorantia seu error concomitans personæ, vel conditionis seruilis, est nullum.*
3. *Matrimonium pariter est nullum si quis putans inuincibiliter contrahere cum A. contrahat cum B. cum qua etiam contraxisset si sciuisset esse B.*
4. *Error, seu ignorantia concomitans tollit ab actu rationem voluntarij.*
5. *Matrimonium vt sit validum, debet in eo esse actu voluntarius consensus.*
6. *Matrimonium non tenet, etiam si explicitè dicat contrahens ducere B. & si cognoscerem esse B. quia talis consensus est conditionalis non purificatus, secus si dicat duco te in vxorem, etiam si alia persona sis.*
7. *Amplia idem procedere in ignorantia concomitante votum, professionem &c. quia cum ea faciat non voluntarium, votum autem, professio &c. debent esse positiuè voluntaria.*
8. *Limita prædicta intelligenda esse de ignorantia purè concomitanti, & non admiscet ignorantiam consequentem.*
9. *Matrimonium, & etiam professio, ex ignorantia consequente redditur non plenè voluntarium, quæ plenior voluntas ad matrimonium (& fortasse etiam ad professionem) requiritur, vt sit validum.*
10. *Putans si quis inuincibiliter feram, occidat inimicum, quem alias occidisset, si sciuisset, non peccat peccato homicidij, quod stat in occisione hominis voluntaria consequenter non tenetur ad compensationem damni secuti.*
11. *Occisus si sit Clericus in tali casu occidens non est excommunicatus, cum excommunicatio annexa sit homicidio Clerici voluntario.*
12. *Occidens in casu prædicto neque est irregularis, si Laicus sit, conueniunt omnes, si Clericus non ideo ex occisione erit irregularis, sed quia talis pœna est annexa quando sequitur effectus vendi[illegible] cum armis prohibitis secut[illegible]*

dum aliquos, in sententia vero Auctoris nullo modo est irregularis.

13. *Irregularitas non contrahitur, (quotiescunque homicidium non est voluntarium, sed fortuitum, seu casuale, etiamsi detur opera rei illicitæ, idem dic de mutilatione.*

1 Respondetur *ex dictis ibidem*; non teneri hominem ad compensationem damni ex ignorantia concomitante (quidquid aliqui dixerint in contrarium) vt si quis putans inuincibiliter esse feram, & telo petens interficiat hominem, quem deinde deprehendat fuisse inimicum, quem ad necem quærebat, & propterea, etiamsi sciuisset, illum occidisset: Ratio est, quia talis ignorantia est inculpata, vt patet ex dictis, *quæst. præcedenti* (vbi etiam explicabam, quid sit ignorantia consequens, & antecedens) & sic occisio ista inimici nullo modo est peccaminosa, quia nullo modo est voluntaria, vt potè nullo modo præcognita; & consequenter nullo modo inducit obligationem restitutionis.

Nec obstat, quod illum æquè voluisset occidere, si sciuisset esse inimicum, & quod gaudeat occidisse; quia illa voluntas non est causa operis; cùm non sit, nec fuerit, sed solum esset, posita conditione, quæ non ponitur; gaudium verò sequitur opus. Vnde non magis obligat ad restitutionem, quam si gauderet, illud ab alio factum.

2 Hinc Doctores in materia de matrimonio docent, quod, si in matrimonio intercedit ignorantia, seu error concomitans personæ, vel conditionis seruilis, matrimonium sit nullum (idemque dic de similibus alijs actibus, quod similiter sint nulli) v.g. si quis putans
3 inuincibiliter contrahere cum A. contrahit cum B. cum qua etiam contraxisset, si sciuisset esse B. matrimonium est nullum: quia cùm
4 hic error, seu ignorantia sit concomitans, tollit ab actu rationem voluntarij, sed in ma-
5 trimonio, vt sit validum, debet esse voluntarius actualis consensus, ergo &c. Vide *Sot. in 4. dis. 35. q. vnic. art.* 2. Imò neque tenet matrimonium, etiamsi explicitè dicat, ducerem B. etsi cognoscerem esse B. Ratio, quia
6 talis consensus est conditionalis, non purificatus; secus si dicat, duco te in vxorem, etiamsi alia persona sis: tunc enim est consensus actualis absolutus. Idem dico de ignorantia concomitante votum, professionem, &c. quod
7 scilicet & reddat ipsa votum, & professionem nullam: vt si quis ignorans inuincibiliter, quid sit votum, aut professio, & ex tali ignorantia profiteatur, ita quod & professurus fuisset, etiamsi sciuisset. Ratio horum omnium est, quia ignorantia concomitans facit non voluntarium (vt *supra* dicebatur) votum autem, professio, &c. debet esse, positiuè voluntaria, ergo, &c. quæ omnia tamen intellige de ignorantia, quando est purè concomitans, & non
8 admiscet ignorantiam consequentem: ignorantia enim consequens est voluntaria, & sic facit actum voluntarium simpliciter, licet inuoluntarium secundum quid, vt supra dicebatur. Verum tamen est, quod matrimonium 9
(& etiam professio) ex ignorantia consequente, redditur non plenè voluntarium; quæ plenior voluntas ad matrimonium (& fortasse etiam ad professionem) requiritur, vt sit validum.

Itaque si quis putans inuincibiliter feram, 10
occidat inimicum, quem aliàs occidisset, si sciuisset, non peccat peccato homicidij, quod stat in occisione hominis voluntaria; consequenter non tenetur ad compensationem damni secuti; nec, si occisus sit Clericus, occi- 11
dens est excommunicatus, cum excommunicatio annexa sit homicidio Clerici voluntario; talis autem occisiò, licet non fuerit inuoluntaria, fuit tamen non voluntaria, atque adeò non peccaminosa, vt dixi: præterea neque 12
erit irregularis; & quidem, si occidens sit Laicus, conueniunt omnes, quod non sit irregularis, propter rationem allatam: si verò sit Clericus, & det operam venationi illicitæ cum armis prohibitis, quamuis illum esse irregularem affirmet præter alios Hugòlinus *in tract. de irregularitate c.* 22. non quidem ex homicidio uoluntario, sed quià talis pœna est annexa, quando sequitur effectus venationi cum armis prohibitis, ad deterrendos Clericos à tali venatione, vt inquit ipse: probabilius tamen negant alij, vt Henriq. *lib.* 14.*c.*15. Vasq. 1. 2. *d.* 100. *disp.* 224. *c.* 2. *num.* 39. Hurtadus *disp.* 2. *de irregularitate, diffic.* 8. Koninch. & alij, nempè quod, etiamsi Clericus det operam venationi illicitæ cùm armis prohibitis, quod est ipsi vetitum; & casu hominem interficiat, non sit irregularis: nam, etsi sic venando peccet contra dignitatem status Ecclesiastici, & consequenter contra virtutem religionis, quin etiam & contra obedientiam superioris, tamen nullò modo peccat peccato iniustitiæ, vel homicidij, cui solum ex iure annexa est irregularitas, sicut etiam excommunicatio, & ad restitutionem obligatio.

Vnde regula sit, quod non contrahitur ir- 13
regularitas, quotiescumque homicidium (idemque dico de mutilatione) non est voluntarium, sed fortuitum, seu casuale; etiamsi detur opera rei illicitæ; quare sit,



SECTIO

SECTIO II.

Quid dicendum, quando damni dati, vel occisionis causa non erat efficax?

SVMMARIVM.

1. *Homicidij reus non est, neque tenetur ad restitutionem vt homicida quando causa non est efficax, sed tantum accidentalis, vel fortuita, & ideo si vulneratus vulnere non lethali vel Medici imperitia, vel negligentia occumbat, causa efficax homicidij non censetur vulnerans, & vt talis ad restitutionem tenebitur pro vulneris qualitate.*
2. *Qui non censetur causa efficax homicidij vt in casu recensito, neque contrahit irregularitatem.*
3. *Homicidij reus censetur etiam quoad irregularitatem qui licet vulnerauerit, & vulnus inflictum non fuerit lethale, attamen attenta conditione loci, vbi Chirurgus non est, eaque intenta ab vulnerante, moraliter vulnus censetur lethale.*
4. *Idem dic si occasione vulneris alius morbus accessit mortem inferens.*
5. *Vulnerans ab irregularitate, alijsque obligationibus homicidij immunis est, si vulneratus vulnere non lethali conualuit & postea recidit in morbum, quo mortuus est, non enim censebitur mortuus causa, seu occasione vulneris.*
6. *Vulnerans lethaliter non incurrit irregularitatem si v. g. vulneratus ex alia causa nempè ex ictu bombardæ moriatur secundum satis probabilem.*

1 Respondetur *ex dictis*; quando causa non erat efficax, ita vt ex ea non soleat vt plurimum talis effectus sequi, sed aliunde; nempe ex eo, quod per accidens coniungitur: vt si alicui infixisti vulnus non lethale, sed mors secuta est, vel malitia medici, qui noxia apposuit, vel negligentia eiusdem, vel culpa læsi, qui remedia opportuna adhibere noluit; hæc occisio censebitur tibi fortuita: vnde non eris reus homicidij, nec teneberis ad restitutionem, vt homicida, sed solum vt vulnerans:
2 nec eris irregularis, vt rectè Sot *lib. 5. q. 1. art. 9.* Syl. *ver. homicidium 2. q. 21.* & Gomez. *tom. 3. c. 3. num. 25.* estque communis sententia Iuristarum *ex l. qui occidit 30. §. fin. ff. ad l. Aquiliam*, & probatur *ex c. significasti 2. de homicidio*, vbi Innoc. III. dicit: Si percussio medicorum iudicio lethalis non fuit, percutiens post pœnitentiam ad cautelam iunctam, poterit in officio Sacerdotali ministrare; apertè indicans non esse irregularem. Et ratio est, quia etsi vulnus sit aliqua occasio, tamen, reuera non est causa mortis, sed causa mortis est, negligentia, aut culpa medici, vel ipsius læsi; tenebatur enim vterque diligentiam debitam adhibere vnde ei, qui neglexit, vel culpauit, imputandus est effectus, secus tamen si eo loco vbi vulnus fuit inflictum, non erant, qui possent vulnus curare, & læsus debitam diligentiam præstitit: tali enim tempore, & loco vulnus moraliter censeretur lethale, & vt tale imputaretur vulneranti, dummodo tamen hic id aliquo modo aduerterit in principio. 3

Si vulneratur igitur vulnere non lethali, mortuus est; quia nemo aderat, qui curaret, iniustè vulnerans fit irregularis, & veluti alius homicida, ad damnum compensandum tenetur, ita communiter Doctores apud Sotum, Nauarrum, Auilam, & Gomez. *supra*; quia tunc, vti dicebam, vulnus est causa physica mortis; idemque dicendum, si occasione vulneris alius morbus accessit, mortem inferens; 4 *quia causa causæ, est causa causati*, & docet Couar. *par. 2. clem. §. 2. num. 9. argum. c. Presbyterum, & c. ad audientiam, de homicid.* qui tamen subdit, homicidium hoc casu mitius puniri, quàm pœna ordinaria.

At si vulneratus vulnere non lethali conualuit, & postea recidit in morbum, quo mortuus est, non censebitur causa, seu occasione vulneris mortuus; sicque vulnerans ab irregularitate, alijsque obligationibus homicidij immunis erit, *l. qui occidit §. vlt. ff. ad l. Aquil. & c. 2. de homicid.* & docet Abb. *in cit. c. Presbyterum, num. 3.* Couarr. *cit. §. 2. num. 9. in fin.* Auil. *cit. sect. 1. dub. 5. concl. 2.* Molin. *tract. 3. disp. 32. num. 2.* qui rectè subdunt; Medicorum iudicio, nec non iudicis arbitrio, consideratis circumstantijs, relinqui, num percussio occasionem morbi præbuerit (ideoque tàm vulnus, quàm morbus accedens mortis causa fuerint, ita vt irregularitas contrahatur) an morbus planè per accidens, ac extrinsecùs acciderit, hominemque occiderit; quo casu non cõtrahi irregularitatẽ *supra* dixi. 5

Cæterum, si vulneratus vulnere non lethali, mortuus tamen est Medici, vel Chirurgi negligentia, vel imperitia, vel propria ipsius infirmi incuria, vulnerans tenetur tantùm de vulnere, non item de homicidio.

Et quidem, quatenus spectat ad pœnam, & obligationem resarciendi damnum, habetur *in l. qui occidit, §. vlt.* & tradit Couar. *cit. num. 9.* Mol. *cit. num. 2.* Alex. de Neuo apud Abb. *supra c. 2. de Cleric. percuss.* Clar. *lib. 5. sentent. §. homicidium, num. 42.* & Andr. Gaill. *lib. 2. obseru. 111.*

Quatenus verò spectat ad irregularitatem, patet *ex dictis supra* cum Soto, Sylu. & Gomez. quamuis contrarium teneant S. Anton. 3. *par. tit. 28. cap. 2. in princ.* Nauarr. *num. 223.* Mol. *loc. cit.* Gutier. *lib. 2. cap. 6. num. 93.* Henriq. *lib. 14. cap. 14. num. 4.* & Auila *citat. dubit. 5. concl. 2.* ex eo quia, qui per actionem suam culpabilem, periculosam, & iniuriosam homicidij occasionem præbet, eo secuto, sit irre-

gularis, *arg. c. significasti* 2. *extra*, *& c. vlt. de homicid. in* 6. at vulnerans in nostro casu per actionem culpabilem, periculosam, & iniuriosam occasionem præbuit secutæ mortis (nisi enim vulnus illatum fuisset, mors non accidisset; vndè non sola Medici, vel vulnerati negligentia, sed simul etiam vulneratio mortis causa fuit) ergo, &c.

6 At adhuc prior nostra sententia est satis probabilis; præsertim si vulnus leue fuisset quod exigua cura sanari potuisset: tunc enim vulneranti nullo modo sed solum medicamento, & extrinsecæ causæ mortem adscribi, fatentur ipsimet Auila, & Henriquez.

Sicut etiam satis probabilis sententia est, quod licet quis vulnus lethale ab aliquo acceperit, si tamen postea alia de causa, v. g. ictu bombardæ, fuerit occisus (ita vt vulnus prius acceptum nihil contulerit ad mortem, neque illam accelerauerit) in tali casu is, qui lethaliter vulnerauerat, irregularitatem non contrahat, Mol. *tract.* 3. *disp.* 33. *memb.* 6. *num.* 4.




SECTIO III.

Quid dicendum, si damnum datum, vel occisionem non aduertisti?

SVMMARIVM.

1. *Occidens hominem ex inaduertentia etiam Clericum, non est reus homicidij, neque tenetur ad restitutionem, nec est excommunicatus, nec irregularis, quia talis occisio vt potè nullo modo cognita, nullo modo est voluntaria.*

1 Espondetur *ex dictis*, si hominem, etiam Clericum occidens, id nullo modo aduertisti, nec es reus homicidij, nec teneris ad restitutionem, nec es excommunicatus, nec irregularis, quia tunc talis occisio, vt potè nullo modo cognita, nullo modo est voluntaria, atque adeò omninò est libera à culpa homicidij, ab obligatione restitutionis, ab excommunicatione, & ab irregularitate. Vide Hurtadum *disp.* 2. *de irregularitate*, *diffic.* 8.



SECTIO IV.

Quid dicendum, si mandas, vel consulis alteri, vt hominem occidat, & casu mandatarius, vel consultarius occiditur?

SVMMARIVM.

1. *Mandans, vel consulens alteri vt hominem occidat, si casu mandatarius, vel consultarius occiditur, neque est reus homicidij, neque tenetur ad restitutionem. neque si occisus fuerit Clericus, est excommunicatus, neque etiam irregularis.*
2. *Mandans, vel consulens alteri vt hominem occidat, secuto effectu, est reus homicidij, & tenetur ad restitutionem, & si occisus sit Clericus, est excommunicatus, & irregularis.*

Espondetur *ex dictis*, si mandas, vel consulis alteri, vt hominem occidat, & casu mandatarius, vel consultuarius occiditur, neque es reus homicidij, neque obnoxius ad restitutionem, neque (si occisus fuerit Clericus) excommunicatus, neque etiam irregularis; quia talis occisio, vt potè non præcognita, non est tibi voluntaria. 1

Confirmatur, quia tale mandatum, vel consilium est pura occasio, non autem via, vel causa talis occisionis, cuius causa solum est inuasi occidentis voluntas,

At secus, si mandas, vel consulis alteri, vt seipsum, vel alium occidat, & sequitur talis occisio; quia tunc propter oppositas rationes eris reus homicidij, & obnoxius ad restitutionem, & excommunicatus, & irregularis. Vide Henriq. *de irregular. c.* 16. Vasq. 1. 2. *disp.* 100. *num.* 4. quidquid in contrarium dixerit Nauarr. *c.* 17. *num.* 233. 2



SECTIO V.

Quid dicendum, si dans operam rei licitæ, adhibuisti sufficientem cautionem, ne damnum, vel mors alicuius sequatur?

SVMMARIVM.

1. *Dans operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, si adhibuit sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequatur, tunc etiamsi forte secuta sit mors alicuius etiam Clerici, non illi imputabitur; quia nec in se, nec in causa mors illa est illi volita, & ideo neque tenetur ad restitutionem neque est excommunicatus, neque irregularis.*
2. *Clericus si dans operam venationi, etiam illicita, vel percussioni iniustæ, casu hominem occidat, non contrahit irregularitatem.*
3. *Clericus peritus Chirurgiæ si incidens strumam vel apostema secundum regulas artis, moneat ægrum ne se vento committat, ille autem oppositum faciat, vnde moriatur, non est irregularis si id causa pietatis fecit, & sufficientem diligentiam adhibuit.*
4. *Adulter defendens se debito moderamine ne à marito adulteræ occidatur inuasus, si maritum occidat non est reus homicidij, atque adeo non tenetur ad restitutionem, neque fit irregularis.*
5. *Idem dicendum si adultera à marito occidatur, quia maritus in tali casu contra ius occidit vxorem, & sic ipsi tanquam causæ homicidium adscribendum est, non autem adultero.*
6. *Idem etiam dicendum quando aliquis alterum conuitio incitauit ad ipsum inuadendum, conuitium enim non est via ad occisionem læsi, sed conuitiatoris potius. Contra Nauarrum.*
7. *Adulter si prauidebat talia incommoda ex adulterio secutura tenebatur ex charitate abstinere, vnde committendo adulterium peccat etiam contra charitatem proximi.*
8. *Idem dicendum si imminente marito poterat fugere: tenebatur enim fugere ex charitate, si videbat inde marito imminere periculum, vnde non fugiendo peccat contra charitatem proximi, non tamen si non potest fugere occidat inuasorem se defendendo.*
9. *Contrahens matrimonium post votum castitatis, peccat, quia exponit se periculo faciendi contra votum per debiti redditionem, cum tamen post contractum matrimonium petitur debitum, non peccat reddendo, quia illud non potest negare, quamuis si commodè posset auertere debiti petitionem peccaret reddendo.*
10. *Irregularitas non incurritur ob homicidium merè casuale, & fortuitum, neque referre videtur an quis dederit operam rei licitæ, vel illicitæ, cum etiam in ordine ad illicitè operantem homicidium fortuitum esse possit si de tali casu nunquam cogitauit.*
11. *Irregularitas vt incurratur, non satis est, quod opus ex quo homicidium sequitur culpabile sit, nisi etiam dirigatur in homicidium, contra nonnullos.*
12. *Irregularitas cum non contrahatur nisi in casibus à iure expressis, non valet ad eam probandam argumentum à contrario sensu.*
13. *Adulter si temerè, & non sine periculo ad peccandum cum aliena vxore accessit irregularis fit, quia indirectè dedit causam secuti homicidij ob vitæ defensionem, sicuti etiamsi aliquem indignis contumelijs lacessens præuideat forè vt ipsum inuadat, postea verò eum inuasorem ad sui defensionem occidat, irregularis fit.*
14. *Idem etiam dic si adulter temerè se ingerendo exposuerit adulteram mortis periculo, vel præter omnem opinionem maritus rem cognouerit, & adulteram occiderit.*
15. *Irregularitas vt incurratur, sufficit præbuisse occasionem homicidio per alterum iniquè illato, licet præter aut contra directam intentionem eius, qui præbuit occasionem. Vide ibi exempla.*
16. *Clericus fit irregularis ex homicidio secuto præter intentionem in vnico casu etsi diligentiam omnem adhibuerit, ne sequeretur, si scilicet ideo illi opus prohibitum est, quod cum homicidij periculo coniunctum sit.*
17. *Monachis, & quibuscumque Clericis in sacro ordine constitutis specialiter prohibitum est exercitium artis Chirurgiæ per incisionem, vel adustionem.*
18. *Excipe casum necessitatis, in quo ius ipsum naturale sic exigit, vt si præter Clericum Chirurgus alius non adsit.*
19. *Eadem prohibitio artis Chirurgicæ cum periculo irregularitatis incurrendæ, si mors, vel mutilatio sequatur, quamuis sine peccato, extendenda non est ad Clericos in minoribus Ordinibus constitutos.*
20. *Studium, & exercitium artis Medicæ, & Chirurgicæ prohibitum est Monachis, seu Religiosis, & Clericis omnibus. qui in sacris constituti, vel beneficiati sunt, nisi necessitas, vel pietas excuset.*
21. *Clericus venator aprorum, vrsorum, ceruorum & c. si omni diligentia adhibita mors adhuc hominis sequatur irregularis est non ob periculum mortis, sed ob status honestatem, ob quam Ecclesiasticis personis venatio cum clamore, & armis prohibita est.*
22. *Homicidij iniusti qui causa voluntaria existit directè, vel indirectè irregularis fit, dubium tamen in indirectè homicidio quæ culpa requiratur, vt contrahatur irregularitas.*
23. *Irregularitas vt indirectè incurratur existimant nonnulli sufficere culpam venialem, at non incurritur in sententia auctoris sine culpa mortifera.*
24. *Mortalis culpa requiritur secundum alios ad incurrendam irregularitatem in eo, qui dans operam licitæ rei, non adhibet debitam dili-*

gentiam vt in exemplis ibi adductis.

25. *Venialis culpa sufficit ad incurrendam irregularitatem secundum prædictos sic distinguentes si dans operam rei illicitæ existat causa homicidij, vel mutilationis vt in exemplis appositis.*

26. *Distinctio prædicta allata per Canonistas potius spectat ad forum externum quam internum in quo præsumptio fit contra eum, qui dedit operam rei illicitæ.*

27. *Secunda sententia auctoris est satis probabilis, & tuta in conscientia.*

1 Respondetur *ex dictis*; si dans operam rei licitæ, vel etiam illicitæ adhibuisti sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequeretur tunc etiamsi forte secuta fuerit mors alicuius, etiam clerici, non tibi imputabitur, quia nec in se nec in causa mors illa est tibi volita, atque adeò nullo modo voluntaria.

Nec obstat, quod causa fuerit periculosa, ac proinde mors videatur volita in causa; quia diligentia absterſit periculum; quapropter nec eris reus homicidij, neque teneberis ad restitutionem, neque eris excommunicatus, neque irregularis: nam cùm non adsit culpa occisionis, non aderit excommunicatio, nec etiam irregularitas: hæc enim, cum in pœnam statuta est (vt in præsenti casu) sine culpa non contrahitur, ità passim recentiores; quod præterea declaratur exemplis.

2 Primò, si Clericus dans operam venationi, etiam illicitæ, vel percussioni iniustæ, casu hominem occidit, vti *suprà* cum Henriq. Vasq. Hurtad. Coninch. *in locis supra citatis* contra Nauarr. *c.* 27. *num.* 237. dicebam.

Nec obstat *c. vlt. de homicidio in 6.* vbi mandans alium verberari, ita tamen, vt non occidatur, secuta morte dicitur homicida, & irregularis; quia illud homicidium non fuit purè casuale, sed suspicatum vt textum ponderanti patebit; & cùm ibi subdit Pontifex: *Debuit cogitare posse homicidium euenire*; non significat id non aduertisse, cùm præceperit verberantibus, ne occiderent; sed non ita practicè, & efficaciter cogitasse, vt curaret de præcauendo periculo homicidii, quod timuit posse euenire. Ita Hurtad. vbi *supra* & Præpos. *in* 3. *p. q.* 5. *de irregul. Dub.* 10. *num.* 78.

3 Secundò, si Clericus peritus Chirurgiæ incidens strumam, vel apostema secundum regulas artis, monet ægrum, ne se vento committat; ille autem oppositum facit, quare moritur, hæc mors Clerico non potest imputari, quamuis operam rei illicitæ dederit; sicut nec potest imputari laico, si laicus Chirurgus incisionem fecisset. Vide *c. tua nos* 19. *de homicidio* (vbi quoque significatur, non esse Clericum irregularem, si id causa pietatis fecit, & sufficientem diligentiam adhibuit) vide etiam Medinam 1. 2. *q.* 73. *art.* 8.

4 Tertiò, si accedit quis ad vxorem alterius, & casu interuenit maritus, qui inuadit adulterum; adulter autem se debito moderamine defendens maritum occidit, non est reus homicidij, atque adeò non tenetur ad restitutionem; quia talis occisio etiam censetur ei fortuita, & casualis: non enim est culpabilis in causa, cùm adulterium sit causa remota, & occasio dumtaxat talis occisionis: nam non est via ad occisionem mariti, sed potius adulteri: rarò enim mors mariti ex eo sequi solet; neque dicta occisio est culpabilis in defensione; quia positus in illis angustijs poterat se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ: non enim tenebatur se pati occidi; vnde etiam non fit irregularis, sic Medina *in loco supra cit.* & Petr. Nauarr. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 362. qui citat Mercatum, & Silu.

Idem dicendum cum Soto *lib.* 5. *q.* 1. *art.* 5. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali c.* 14. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 363. Auila *p.* 7. *disp.* 3, *sect.* 5. *Dub.* 3. si adultera à marito occidatur; quia maritus contra ius in tali casu occidit vxorem, & sic ipsi, tanquam causæ, homicidium adscribendum est, non autem adultero. 5

Idem etiam dicendum, quando aliquis alterum conuitio incitauit ad ipsum inuadendum: conuitium enim etiam non est via ad occisionem læsi, sed conuitiatoris potius (quamuis contrarium dicat Nauarr *c.* 17 *num.* 7. citans S. Anton. & Caiet. *q.* 64. *art* 8. sed Caietan. potius est in oppositum: loquitur enim de eo, qui dat operam rei illicitæ, quæ natura sua ad occisionem tendit.) 6

Nec obstant *c. dilectus* 13. *c. ex literis* 15. *c. Ioannes* 23. *de homicidio*, quibus insinuatur dantem operam rei illicitæ esse irregularem, si inde sequatur mors; quia id intelligendum est de re illicita, quæ ideo illicita est, quia periculosa ex se; nempè eo quod plerumque ex ea mors sequatur; & diligentia non absterſit periculum, vt supra dicebamus. Vide Bannes. 1. 2. *q.* 78. *art.* 8.

Aduerte tamen, quod si præuidebat adulter talia incommoda ex adulterio secutura, tenebatur ex charitate abstinere: vnde volendo cõmittere adulteriũ, peccat etiam cõtra charitatem proximi, quatenus per adulterium ponit se in necessitate proximum lædendi: adulterium enim tunc non solum habet rationem adulterij, sed etiam rationem periculi alterius, quamuis indirectè, & per accidens, ratione inuasionis alterius nempè mariti; quando tamen adulter constitutus est in tali periculo, non peccat, etiamsi se defendendo occidat maritum, quia ius habet se tuendi, vndè non erit obnoxius restitutioni, nec fiet irregularis, sicuti præter alios supra citatos docent Sot. *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 9. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 10. *num.* 3. Auila *par.* 7. *disp.* 3. *sect.* 5. *dub.* 3. & Hurtad. *disp.* 2. *de irregular. diffic.* 11. 7

Idem dicendum, si imminente marito poterat fugere: tenebatur enim fugere ex charitate, si videbat inde marito imminere periculum: vnde non fugiendo peccat contra charitatem proximi; non tamen peccat, si postquam non potest amplius fugere, se defendendo, occidat maritum inuasorem: occisio enim talis non est peccatum (quia non censetur voluntaria) sed est effectus per accidens, 8

secutus ex peccato; sicut qui post votum ca-
9 stitatis contraxit matrimonium, peccat contrahendo, quia exponit se periculo faciendi contra votum per debiti redditionem; cùm tamen post contractum matrimonium petitur debitum, non peccat reddendo, quia illud non potest negare; quamuis si commodè posset auertere debiti petitionem, peccaret reddendo.

Hæc dixi disputando, & quidem non improbabiliter. At sequendo opinionem communem, & probabiliorem.

10 Dico primò, ob homicidium merè casuale, & fortuitum non incurritur irregularitas, sumitur ex *c. lator*, *c. ex litteris* 1. *&* 2. *c. significasti* 1. *c. exhibita de homicid.* neque referre videtur, an quis dederit operam rei licitæ, vel illicitæ; cùm etiam in ordine ad illicite operantem, homicidium fortuitum esse possit, si de tali casu, vel nunquam cogitauit, vel etsi cogitauerit, tamen morali certitudine credidit abesse periculum. Sot. *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 9. Gutierez *lib.* 2. *can.* 99. *cap.* 6. *num.* 15.
11 (vbi ait, non satis esse ad incurrendam irregularitatem, quod opus, ex quo homicidium sequitur, culpabile sit, nisi etiam dirigatur in homicidium, *argum. c. quantùm*, *dist.* 50.) Aragon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. Cordub. *lib.* 2. *quæstionum*, *quæst.* 26. Auila *par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 1. & Sayr. *lib.* 7. *Thes. cap.* 11. *num.* 13.

Quamuis contrarium teneant Couarr. *par.* 2. *Clem.* §. 4. *num.* 1. *&* 10. Sylu. *verb. homicidium* 2. *reg.* 3. quin & S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 3. & Caietan. *ibidem argum. c. continebatur*, *c. dilectus*, *c. Ioannes*, *& c. vltimi, de homicid.*

At hæc iura solum habent, quod is, qui rei
12 licitæ operam dando, casuale homicidium fecit, irregularitatem non contrahat; ex quibus per sensum contrarium non rectè infertur, quod contrahat, dando operam rei illicitæ: cùm enim irregularitas non contrahatur, nisi in casibus iure expressis, non valet ad statuendam irregularitatem argumentum à contrario sensu.

Adde, in citatis iuribus causam, cur operans irregularitatem non contrahat, præcipuam afferri, quia per nullam ipsius negligentiam, sed mero casu, homicidium euenerit: id enim facilius præsumitur, si dabat operam rei licitæ, & ideò talis circumstantia ad remouendum omne dubium, vtiliter adiecta fuit.

Hinc ad dubium, an adulter irregularis fiat, qui maritum aggressorem necessariæ defensionis causa occidit, vel mutilauit, iuxta communem istam doctrinam cum Suar. *disp.* 46. *sect.* 1. *num.* 12. & alijs (licèt S. Anton. *par.* 3. *tit.* 5. *cap.* 8. §. 1. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 238. *& lib.* 5. *consil.* 33. *de homicid.* Gutierez *lib.* 2. *can. cap* 6. *num.* 43. Mol. *tract.* 3. *disp.* 72. *num.* 5. simpliciter affirment; Sot. verò *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 9. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 10. *num.* 3. *in fine*, Auila *disp.* 3. *sect.* 5. *dub.* 3. *conclus.* 1. & Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *num* 105. *nobiscum supra*, simpliciter negent) distinguen-
13 dum est, si adulter temerè, & non sine periculo ad peccandum cum aliena vxore accessit, irregularem fieri, quia indirectè præbuit causam secuti homicidij, ob vitæ defensionem; sicut etiam, si aliquem indignis contumelijs lacessens, prouideas, fore, vt te gladio inuadat, posteà verò eum inuasorem, tui defendendi causâ occidas, irrigularis fies: potuisses enim vitare mortem, tacendo, & ab iniuria abstinendo, non minus, quàm inuasus à latrone clamando, vel fugiendo; quo casu multi fatentur, nisi quis clamet, vel fugiat, irregularitatem contrahi, secuta latronis occisione.

Hinc etiam ad dubium, an adulter irregu- 14
laris fiat, si maritus, cognito adulterio, vxorem occidat, iuxta eamdem communem istam doctrinam cum eodem Suar. *disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 5. (licèt Nauarr. *loc. cit.* ex responsione Pij V. ex Gutier. *loc. etiam cit. num.* 41. simpliciter affirment; Couarr. verò *par.* 2. *Clem.* §. 4. *num.* 9. Castrus *lib.* 2. *de lege pœnali cap.* 14. Auila *loc. cit. concl.* 2. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 363. nobiscum supra simpliciter negent) distinguendum similiter est, an adulter temerè se ingerendo, exposuerit adulteram mortis periculo, vel præter omnem opinionem maritus rem cognouerit, & adulteram occiderit.

Neque obstat, quòd Sotus, & Auila nobiscum *supra*, obijciunt, maritum scilicet contrà ius occidisse vxorem, quare ipsi tanquam causæ, non adultero, homicidium adscribendum esse.

Respondetur: enim in hac communi Do- 15
ctorum opinione, irregularitatem sæpè sufficere, præbuisse occasionem homicidio per alterum iniquè illato, licèt præter, aut contra directam intentionem eius, qui præbuit occasionem. vt si scias in Sylua esse paratos latrones ad occidendum transeuntes, & tamen alicui suadeas, vt ingrediatur; Vel si Petrum detractione concites contrà Paulum, cùm prouideas subesse periculum, quòd eum occidat; vel si iubeas, aliquem verberari, prohibens, ne mutilet, aut occidat, ille verò mandati fines egressus mutilarit, vel occiderit; in quo casu fies irregularis *c. vltim. de homicid. in* 6. vbi ratio subditur: *cùm mandando in culpa fuerit*, *& hoc euenire posse*, *debuerit cogitare*; ad quem textum tamen respondebam supra, iuxta aliam ibi doctrinam nostram contra communem.

Dico secundò, vnicus casus est, in quo 16
Clericus irregularis fit secuto homicidio præter intentionem, etsi diligentiam omnem adhibuerit, ne sequeretur, si scilicet ideò illi opus prohibitum est, quod cum homicidij periculo coniunctum sit; quâ ratione Monachis, 17
& quibuscumquè Clericis in sacro ordine constitutis specialiter prohibitum est exercitium artis Chirurgiæ per incisionem, vel adustionem *c. sententiam*, *ne Clerici*, *vel Monachi*, *& c. tua nos*, *de homicid.* vbi id docet Glos. & Abb. Couarr. *cit.* §. 4. *num.* 9. Molin. *tract.* 3. *disp.* 75. *num.* 2. Auila *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 2. quia vt dicitur *in reg.* 19. *in* 6. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad ipsum non pertinet, se miscet.*

Excipitur tamen casus necessitatis, in quo 18

* *Del Vene, p. Paris.*

ius ipſum naturale ſic exigit ; vt ſi præter Clericum Chirurgus alius non adſit, qui hominem periclitantem curet, Mol. *tract. 3. diſp. 8. num.* 11. *& cit. diſp.* 75. vbi ſubdit, eam-
19 dem prohibitionem artis Chirurgicæ cum periculo irregularitatis incurrendæ (ſi mors, vel mutilatio ſequatur, quamuis ſine peccato aduerſus quintum præceptum Decalogi) extendendam non eſſe ad Clericos in minoribus ordinibus conſtitutos, quamuis beneficiati ſint; cum Canones de his non exprimant.

20 Interim fatendum eſt, quòd Monachis, ſeù Religioſis, ac Clericis omnibus, qui in ſacris conſtituti, vel beneficiati ſunt, ſtudium, & exercitium artis Medicæ, & Chirurgicæ prohibitum ſit, tanquam alienum ab eorum profeſſione, niſi neceſſitas, vel pietas excuſet, qua de re Nauarr. *cap.* 25. *num.* 110. & Sanch. *lib. 6. moral. cap.* 14. *num.* 18.

21 An autem ſimiliter irregularis ſit Clericus venator Aprorum, Vrſorum, Ceruorum, & ſi omni diligentia adhibita, mors adhuc hominis ſequatur?

Reſpondetur (licet affirmet Caietan. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 237. Angel. *verb. homicidium* 2. §. 13. & Molin. *tract. 3. diſput.* 77. §. *Clerici*) probabilius tamen eſſe oppoſitum, quod & dicebam ſuprà, & docet Couarr. *cit.* §. 4. *num.* 10. Caſt. *cit. cap.* 4. Henriq. *cap.* 15. *num.* 3. Suar. *cit. ſect.* 6. *num.* 14. & Auila *cit. ſect.* 1. *dub.* 1. & probatur; quia perraro cum tali venatione coniuncta eſt hominis occiſio; quare non ob tale periculum, ſed ob ſtatus honeſtatem, Eccleſiaſticis perſonis venatio cum clamore, & armis prohibita eſt.

22 Dico tertiò. Qui iniuſti homicidij cauſa voluntaria exiſtit, directè, vel indirectè irregularis fit; Ita communiter Doctores *ex c. ſicut dignum, de homicid.* Et quidem de homicidio directè voluntario, ſeu ex propoſito dubium, non eſt, de homicidio autem non doloſo, ſed indirectè tantùm voluntario, & culpabili, dubium eſt, quanta culpa requiratur, vt contrahatur irregularitas.

23 Quidam (vt Gloſ. *in c. ſignificaſti* 1. *de homicid.* Abb. *in c. quæſitum, de pœnit.* Couarr. *cit.* §. *num.* 9. Caiet. *verb. irregularitas*, Armilla *eod. num.* 14. Molin. *tract. 3. diſp.* 77.) tenent ſufficere culpam venialem.

Alij nobiſcum *ſupra, & infra* (vt Sot. *lib.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 9. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 7. *in fin.* Petr. Nauar. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 69. & Auila *diſ.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 11. *concluſ.* 3.) requirunt culpam mortalem.

24 Alij diſtingunt: ſi operam das rei per ſe licitæ, ſed debitam non adhibes diligentiam, requiri culpam mortalem; Vt in patre familias ferocem canem alente, & incautè ligante; Syl. *verb. homicidium* 2. *q.* 24. Nauar. *cap.* 27. *num.* 227. & Auila *dub.* 7.

Secundò in Patre, paupertatis cauſa, prolem in lecto ponente, & opprimente, *c. quæſitum, de pœnit. & remiſſ.* & Caietan. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 8.

Tertiò in Magiſtro, diſciplinæ cauſa, puerum caſtigante, ſed moderatione non adhibita, occidente, vel mutilante, *contra l. præceptoris ff. ad l. Aquil. c. Presbyterum, & c. ad audientiam, de homicid.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 235. Couarr. *par.* 2. §. 4. *num.* 5. Henriq. *lib.* 14. *num.* 4. *in fine.* & Auila *num.* 3. vbi rectè aiunt, fieri irregularem, ſi modum nimis exceſſit, aliàs non.

Quartò in Medico, vel Chirurgo ſanare volente, ſed occidente per imperitiam, vel negligentiam latam, Gloſ. *in c. ad aures, de ætate, & qualitat. ordinand. verb. remordeat.*

Quintò in infirmario infirmum, charitatis cauſa in lecto mouente (vt ei cibum det, vel vt quietius cubet) & mortem accelerante, qui irregularis non fit, niſi culpa lata interuenit, Caietan. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. Syl. *verb. homicidium* 2. *quæſt.* 15. Sot. *lib.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 9. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 228. Henriq. *cap.* 15. *num.* 5. Molin. *tract.* 3. *diſp.* 75. *num.* 5. & Auila *par.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 8.

Sextò in iudice, vel cuſtode reum ad carcerem damnatum tenuitate victus ita prementе, vt moriatur, licèt præter intentionem, Abb. *in c. cùm non ab homine, num.* 33. *de iudic.* & Nauarr. *lib.* 5. *conſil.* 11. §. 6. *de homicid. & conſ. vnic. de pœnis.*

Septimò in iudice reum torquente, ac præter intentionem directam mutilante, vel occidente, contra *l. quæſtionis modum ff. de quæſt. reor.* Gomez. 3. *reſol. cap.* 13. *num.* 5. & Auila 25
diſp. 6. *ſect.* 1. *dub.* 4.

Si verò operam das rei illicitæ, & homicidij, vel mutilationis cauſa exiſtis, ſufficere culpam venialem.


Vt in Clerico venatore Aprorum, Vrſorum, Ceruorum, &c. ſi non omnem diligentiam adhibeat, ne hominis occiſio, vel mutilatio ſequatur.

Secundò in Clerico impudicè iocante, vel ſaltante cum muliere grauidâ, vndè abortus prolis animatæ contigit, *c. ſicut ex litterarum, de homicid.* Caietan. *cit. art.* 8. *ad* 3. Couarr. 26
cit. §. 4. *num.* 4. & Nauarr. *cap.* 27. *num.* 236.

Ratio huius tertiæ ſententiæ diſtinguentis eſt; quia per Canones (vt videre eſt in cita..., *c. ad audientiam, & ſeqq. de homicid.* & notat Syl. *verb. homicidium* 2. *in initio*, Caiet. *citat. quæſt.* 64. *art.* 8. & Gutierez *lib.* 2. *canon.* 99. *cap.* 6. *num.* 143.) facilius incurritur irregularitas, cùm datur opera rei illicitæ, quàm rei licitæ.

At reſpondetur cum Henriq. *cap.* 15. *num.* 2. & Auila *citata diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. diſcrimen hoc pertinere ad forum externum, in quo præſumptio fit contra eum, qui dedit operam rei illicitæ, lata eius culpa homicidium accidiſſe; præſumptio verò cedit 27
veritati.

Quare ſecunda ſententia noſtra eſt ſatis probabilis, & tuta in praxi, vt nemo in foro conſcientiæ ſe cenſeat irregularem ob homicidij, vel mutilationis delictum, niſi ſit mortale.



SECTIO VI.

Quid dicendum, si læsisti occultè Petrum, & imponitur læso Paulo, qui cum Petro inimicitias habebat?

SVMMARIVM.

1. *Lædens occultè Petrum, si læsio imponatur Paulo, qui cum Petro habebat inimicitias, vnde capitur, & supplicio afficitur non est reus homicidij, neque tenetur ad restitutionem, nec est excommunicatus, si Paulus sit Clericus neque est irregularis.*
2. *Effectus non censetur volitus in causa nisi probabiliter proueniat ex ea: quin raro prouenit, non censetur magis in illa causa contineri, quam non contineri, quin potius non contineri.*
3. *Amplia sufficere quod effectus non præuideatur in causa, etiamsi contineatur in illa ex eo scilicet quia vt plurimum ex ea sequitur.*
4. *Amplia idem procedere contra nonnullos etiamsi lædens aduerterit damnum secuturum tertio.*
5. *Lædens modo supradicto si aduertat damnum secuturum tertio peccat contra charitatem, non autem contra iustitiam.*
6. *Damnum si sequatur ex opere non natura operis sed per accidens, non tenetur homo ex iustitia cauere ne illud sequatur, sed solum ex charitate, vnde si habeat causam faciendi, neque ex charitate tenetur.*
7. *Fur si existimet Dominum rei furtiuæ dolore moriturum, non censetur homicida, nec irregularis, nec ad damna mortis tenetur.*
8. *Vendens arma militi, quibus putas illum malè vsurum, non censetur auctor, & causa illorum malorum, quamuis peccet contra charitatem.*
9. *Vendens iudæo agnum, quem putat illum sacrificaturum non censetur causa sacrilegi sacrificij vendere.*
10. *Vendens vinum Tabernarijs iusto pretio quos cognoscit aquam admiscere non censetur causa furti, atque adeo non peccat contra iustitiam, imo neque contra charitatem si id commodè vitare non potest, secus si commodè potest.*
11. *Tabernarij vendentes vinum vitiatum nomine Domini, Dominus vini nullo modo excusari potest, quin non teneatur ad restitutionem, si tamen ignorauit à principio non tenetur restituere nisi in quantum factus est ditior.*
12. *Pharmacopola vendens alicui venenum; quo putat illum malè vsurum, non censetur causa damni, quod inde sequetur; quamuis peccet contra charitatem, si à veneno vendendo in tali casu sine magno suo incommodo abstinere poterat; secus si non poterat, vel si poterat, non præuidit abusum.*
13. *Veneni venditio interdicta est si tale sit, quod alijs vsibus quam hominis occisioni deseruire non potest, vendens tamen licet peccet, non tenetur pretium restituere, si res vendita iam non existat, vel si existit, non existat cum periculo proximi apud possidentem.*
14. *Venditor tenetur rescindere venditionem si damnum proximi timeretur, & pretio restituto venenum recuperaret.*
15. *Locans domum vsurario, quin & pecuniam apud eum deponens non censetur causa vsurarum. quia neque peccat, si ex aliqua causa faciat.*
16. *Iudex si vsurarios in Republica permittat ad maiora incommoda vitanda, neque censetur causa vsurarum, neque peccat; nullum tamen eis auxilium præbens, vt soluantur vsuræ, aut vt solutæ non repetantur, nisi fortè is ingentes summas pro licentia fœnerandi exigat, in quo casu iudex solum tenetur in defectum.*
17. *Iudex non censetur causa vsurarum, quin neque peccat, si pariter ob bonum publicum actionem deneget repetere volentibus vsuras.*
18. *Actio denegari potest ob publicum commodum.*
19. *Princeps statuere potest, & compellere, vt vsuræ permissæ soluantur, & ad vitandum incommodum pauperum denegare actionem in repetitione vsurarum.*
20. *Princeps non tenetur in omni casu iustitiam subditis ministrare, sed solum quando id sine magno incommodo fieri potest.*
21. *Princeps vt vitetur incommodum multarum Litium potest denegare actionem in deceptione citra dimidium iusti pretij, item & in promissionibus simplicibus.*
22. *Princeps non tenetur administrare iustitiam, quando Communitas id non vult, sed eligit potius pati aliquam iniuriam quam priuari certo commodo.*
23. *Vsurarij licet à Principe permittantur, non ideo sunt liberi in conscientia à restitutione, aut non possunt ab Ecclesia iuxta Canones puniri, aut non possunt vsuræ in foro conscientiæ repeti.*
24. *Princeps præcisa boni communis vtilitate non potest denegare actionem, aut permittere vt iudices inferiores eam denegent, sed tenetur eos cogere vt admittant.*
25. *Princeps tenetur impedire peccata, maximè contra legem naturæ, vt sunt vsuræ, tum quia tenetur administrare iustitiam nisi subsit aliqua iusta actio permittendi iniustitiam.*
26. *Notarius instrumentum conficiens non censetur causa vsurarum, & sic non tenetur ad restitutionem, quia non lædit inuitum, cum illud conficiat volente mutuatario.*
27. *Notarius non tenetur ad restitutionem si exprimat contractum qualis est, quia ex vi talis instrumenti non possunt vsuræ exigi, nisi forsan alicubi esset statutum iniquum, quo cogeretur mutuatarius eas soluere etiam ex vi talis instrumenti.*
28. *Notarius talia instrumenta faciendo peccat, quia facit contra iuramentum, quod tales emittunt dum munus suum suscipiunt.*
29. *Notarius si instrumentum vsurarum ita conficit inuito mutuatario, vt hic ex eo reipsâ coga-*

tur soluere vsuras, tunc & peccat, & tenetur ad restitutionem.

30. Vsurarij famulus non censetur causa vsurarum, qui ex speciali mandato Domini dicentis (mutuo Titio centum ad vsuram meo nomine) mutuum dat, si contractus iam cum Domino initus sit, ita vt famulus solum pecuniam numerare debeat: secus si contractus per ipsum famulum sit ineundus.

31. Vsurarij famulus non censetur causa vsurarum, solutionem illarum exigens, dummodo non vrgeat, & mutuatarius alioquin sponte esset soluturus.

32. Vsurarij famuli recipientes, & asseruantes pignora, numerantes pecuniam, scribentes in libris rationum, proxenetæ, deponentes pecuniam suam apud vsurarium, non censentur causa vsurarum.

33. Christiani, qui captiui in Turcarum, vel Hæreticorum triremibus contra Catholicos remigant, propugnacula ædificant, sarcinas, machinas, & arma ad bellum necessaria afferunt, Turcis arma ab eis petita ad Christianos interficiendos porrigunt & c. non peccant contra iustitiam, neque contra charitatem quia id ex causa faciunt metu verborum, ac mortis ipsos cogente.

34. Christiani captiui si Reipublicæ adsit magnum periculum obligantur lege charitatis bonum Reipublicæ Christianæ commune propriæ vitæ particulari anteferre, ad quod singuli tenebuntur si idem facturos alios spem haberent, secus si non.

35. Incolæ Prouinciæ, quam Tyrannus expulso legitimo Principe, iniustè occupauit, inter iniquos Possessores manent, eosque iubente Tyranno, fossione, excubijs, & contributione iuuant (non quidem intentione bellandi contra legitimum Principem, sed quatenus opera illa sunt indifferentia) non sunt causa iniustitiæ, & Tyrannidis, quinimò nullo modo peccant, & cur.

36. Subditi præstare non possunt quæ in maius legitimi Principis, & Reipublicæ damnum, aut catholicæ Religionis oppressionem cessura sunt etiam coacti à Tyrannis, & multo minus ad id se iuramento obligare, sed in tali casu æquiuocare debebunt.

37. Dominus, qui famulo, & Pater, qui filio quem de furtis suspectum habet, si apponat pecuniam, vt eum deprehensum emendet, vel grauiori malo occurrat, non censetur auctor peccati famuli, vel filij.

38. Famulus qui intromittit per ianuam fœminam, cum qua herum peccaturum nouit, facem præfert, lectum sternit, non censetur causa peccati, quia ex causa facit, ne scilicet amittat famulatum suum.

39. Amplia non peccare etiamsi non sit famulus & ex rationabili alia causa, è domo eius illam educet, per plateas deducat, actiuè deferat vt in rheda, vel in sella & c. internuncia, vel scripta portet vt ad talem locum in tali tempore veniat, vel expectet.

40. Amplia non peccare etiam si literas ad turpia, quinimò ad duellum concitantes scribat, vel deferat, dummodo grauior causa id facere cogat, & fornicationem, vel duellum non suadeat.

41. Meretrici locans domum, non censetur causa malorum eius si alteri commodè non potest domum locare.

42. Ieiunium cogitantem amicum violare si alter è caupona ipsum diuertat ad domum suam, & cœnam ei ministret hospitalitatis causa, non censetur auctor peccati, quia id non est inuitare ad violationem ieiunij quoad substantiam, cum supponatur illud esse violaturus contra nonnullos.

43. Coquinantes, & apponentes postulantibus in caupona carnes die interdicto in Ciuitate, cum qua Catholici cum Hæreticis permixtim viuunt, non censentur causa peccati.

44. Amplia etiamsi id præstent in Ciuitate Catholica, dummodo maior vrgeat id faciendi causa, vt minarum, vel saltem famulatus.

45. Idolum vendentes infideli ex causa aliqua graui, aut vestes Sacerdotales superstitiosas non peccant.

46. Synagogas Iudæorum, & templa hæreticorum restaurantes, aut ædificantes non peccant contra nonnullos.

47. Fucos, & alia ad ornatum lasciuum mulierum pertinentia vendentes ex causa aliqua rationabili non peccant.

48. Vinum vendens ex causa sciens se inebrianti, non censetur causa peccati.

49. Taxillos, & aleas conficientes, & vendentes ex causa aliqua rationabili non peccant.

50. Cubiculum accommodantes petenti ad fornicandum, aut mutuo dantes pecuniam non peccant si ex causa rationabili.

51. Meretrici mutuans pecuniam ad ornatum emendum, aut vsurario ad vsuras exercendas non censetur causa peccati dummodo ex rationabili causa.

52. Pingens imaginem puellæ ad petitionem amasij, quem credit abusurum non censetur causa peccati.

53. Famulus, vel captiuus seruiens Dominam apud paganos idolatrantem, eamque coadiuuantem ad adorandum, quia obsequij causa non peccat, non quidem vt idolum adoret, sed vt obsequium indifferens præstet.

54. Si portet iussu heri munuscula ad Domini concubinam neque peccat.

55. Si conferat aliquis munera iudicis meretrici, & ab ea interim petat vt apud iudicē intercedat.

56. Si ornet heram meretricem.

57. Si equum sternat, herum comitetur, & expectet, quamuis sciat eum ad fornicandum, furandum, vel duellandum iuisse.

58. Maior causa requiritur ad peccatum, quod fit te sternente equum & c. quam te non sternente non comitante, & non expectante herum.

59. Maior causa requiritur ad comitandum quam ad sternendum equum, quia comitari herum proximius se habet ad peccatum, quam sternere equum.

60. Maior causa requiritur ad expectandum quam ad comitandum tantum.

61. Maior causa requiritur, cœteris paribus, si herus tendat ad duellum, vel ad aliquid aliud contra iustitiam exequendum, quam contra charitatem.

62. Maior causa requiritur ad expectandum custodiæ causa; quàm non custodiæ causa; quia ex-

p[...]re custodiæ causa multò proximius se habeat peccatum, ex causa tamen maxima existimo adhuc licitum erit expectare custodiæ [...], dummodò tamen cum fine admouendi [...] aliquo adueniente, qui ipsum offendere posset.

63. *Famulus, vel quicumque alius herum nescientem, auxiliantem præsto esse, vnde ipse non reddat animosiorem, non peccat.*

64. *Causa grauis requiritur si non es famulus, vel si es famulus quia talem famulatum relinquere tibi graue est; si ex iussu alterius, vel heri quis insequatur fœminam vt videat vbi habitet, vel id inquirat vt illum certiorem faciat, quem nouit illa fore abusurum, & grauior causa requiritur si fœmina, quam quis insequitur sit honesta.*

65. *Item dic si famulus, vel si non famulus ex quacumque causa cibos condat ad mensam ministret, lectum sternat concubinæ heri, vel alterius.*

66. *Item dic si mensam hero non ieiunanti quis sternat, condat cibos, mensæque ministret.*

67. *Item si cibis non ieiunanti porrigat, vel vendat ex aliqua iusta causa, etiam ex illa quia alioquin non commodè venderes merces quas venales habes.*

68. *Excipe tamen Patrem-familias in ordine ad familiam suam, quia illam corrigere tenetur, qui etiam aliquando licitè id facere poterit si scilicet ipso cibos non ministrante, adhuc peccatum non intermittatur.*

69. *Mulier si votum castitatis mariti sciens, cum eo contraxit, quamuis peccauerit, quia talis desponsatio, ad quam mulier concurrit, promissionem acceptando, Deo iniuriosa est, non tamen peccat si coniugij debitum reddat.*

70. *Parochus potest sine peccato (quin & tenetur ad remouendum scandalum) Eucharistiæ Sacramentum ministrare peccatori etiam excommunicato, vel Hæretico occulto, si publicè petat.*

71. *Confessarius potest sine peccato (quin & tenetur ne confessio reddatur odiosa) etiam priuatim petenti illud ministrare, si eius indispositionem ex sola Sacramentali confessione cognitam habet.*

72. *Sponsus Catholicus propter idem licitè ministrabit Sacramentum matrimonij sponsæ hæreticæ, etiam notoriæ in casu, quo matrimonium cum Hæretica ob consuetudinem loci, vel ob summi Pontificis dispensationem ex rationabili causa concessum est.*

73. *Malum quoticumque non sequitur ex natura operis, sed per accidens, operans non tenetur ex iustitia illud impedire, sed solum ex charitate si commodè possit.*

74. *Ampliа prædicta locum habere etiam si quis materiam, seu facultatem peccandi non ministret, peccatum tamen adhuc committeretur.*

75. *Causa vrgentior, seu necessitas requiritur, si materiam, seu facultatem non ministrante, peccatum non committeretur, ad ipsum permittendum.*

76. *Causa maior & vrgentior necessitas requiritur si peccatum ad quod materialiter quis cooperatur, sit aduersus iustitiam, quam si sit aduersus charitatem, quamuis etiam tunc cooperari possit, si grauissima causa cogat, secus non, & cooperans tenetur ad restitutionem. Vide ibi quamplura exempla.*

77. *Catholicus si oppidum vendat Hæretico, à quo subditi peruerterentur, & ad hæresim transire periclitarentur, non potest excusari à peccato nisi grauissima causa vrgeat.*

78. *Causa maior requiritur, si abusus præuideatur certus, quàm si præuideatur dubius.*

79. *Causa eo grauior requiritur cæteris paribus, quo cooperatio materialis ad peccatum magis per se habet, seu propinquior est: minor autem causa requiritur, si cooperatio sit tantum per accidens, si remota. Vide ibi quamplura exempla.*

80. *Sacrista, qui hactenus in Ecclesia hæreticorum seruiuit, in casu quod conuertatur, sed graui necessitate pressus à seruitio tuo se statim abdicare non possit, interim non peccat, & absoluendus est, dummodò promittat, quod tale seruitium deseret cum primum commodè potuerit, & absit scandalum, & falsæ Religionis virtualis professio.*

81. *Concubinarius in graui infirmitate, vel mortis periculo constitutus si aliam personam habere non possit quæ necessaria ministret præter concubinam, ad quam tunc pœnitens carnis affectum non habeat, ideoque putet se eius occasione non lapsurum, & cum primum conualuerit statim à se dimittendam promittat, poterit interim eam retinere, & absolui, dummodo scandalum absit, quia scilicet concubinatus est occultus.*

82. *Opus per se, seu intrinsecè malum in nullo casu, & ex nulla causa licet, vide ibi quamplura exempla. Vbi illicitum est etiam si quis paratus etiam sit ad peccandum.*

83. *Doctrina superius tradita intelligitur casu quo quis sponte fecerit, secus autem si iusto metu, vel iusta causa impulsus, modo id quod fecerit non sit per se, vel ab intrinseco malum.*

84. *Iusto metu vel iusta causa compulsus potest quis apponere scalas, præbere instrumenta effringendi, iuuare humeris furem sustentando, vel quouis alio modo conscendere murum & similia: hæc enim omnia sunt opus indifferens, neque lædunt Dominum, nisi ex iniqua intentione.*

85. *Iusto metu, vel iusta causa quis compulsus, potest iuuare in re (postquam sublata est) asportanda vt in prædis militum iniustis auehendis, in pecoribus abigendis & c. in his enim vtpotè indifferentibus non est iniuria in Dominum.*

86. *Rustici, qui prædas militum iniustas coguntur portare, vel pecora sublata deducere excusantur.*

87. *Metu hoc ductus non potest quis domum alienam effringere, vel per fenestram intrando res foras proijcere, vel pecora à stabulo abigere; nam hoc est esse causam principalem, & directam furti, & iniuriæ nisi faciat animo compensandi, vel nisi Dominus præsertim diues patiatur damnum non notabile.*

88. *Cooperatores qui functiones illas ad malum prauias præstant possunt interfici ab ijs, qui iniustè impetuntur si malum alia ratione auerti nequi potest, sed non iure vindictæ tanquam reos*

criminis, sed iure necessariæ defensionis.

89. *Bellum potest dari ex vtraque parte iustum, & ita seruo bello capto licitum est fugere, tamen si fugerit Dominus eum castigare.*

90. *Serui fugæ in casu prædicto licitum est cooperari, modo scandalum, & aliæ indebitæ circunstantiæ absint.*

91. *Item idem iudicium faciendum est filiis seruí, item idem ius permanere etiam si pluries, & pluries seruus vendatur.*

92. *Reo licitum est si scilicet damnatus fuerit ad mortem, vel mutilationem, vel etiam ad aliam grauem pœnam corporalem vel carcerem perpetuum, seruitutem, triremes, vel exilium grauissimum, & similia, effringere carcerem, & fugere; tamen si id fecerit poterit à iudice puniri.*

93. *Carceratus si fracto carcere aufugiat, etiam si alij captiui fugiant, non tenetur de damno, quod inde actoribus, vel Reipublicæ euenit, quia illorum fuga per accidens euenit ex suo facto, nec tenebatur illam impedire, & si iustè detentus fuisset, licet teneatur ad reparationem carceris, id tamen in vsu non est.*

94. *Carceris fractionem consulentes cui fas est è carcere fugere ad nihil tenentur, nisi ratione officij prohibeantur vt ministri iustitiæ.*

95. *Carcerato porrigi instrumenta ad effringendos carceres licitum est in casu recensito contra Sotum.*

96. *Carcerato licet ostendi via, & modus, quo possit euadere quia hoc ad consilium pertinet.*

97. *Reo prohiberi non potest ne fugiat, ita vt obligetur in conscientia non fugere; quia naturæ humanæ valdè durum tale præceptum est; alijs tamen prohiberi potest ne fugam suadeant, aut instrumenta porrigant.*

98. *Carceris reum effractorem alij iuuare non possunt exterius effringendo carcerem, aut vincula, quia solum reus ad id ius habet.*

99. *Cooperatores in casu recensito non cooperantur iniustæ inuasioni, quia illud opus non est malum vt procedit à voluntate eorum, qui coactè agunt, sed solum vt subest directioni cogentis & vtentis eo ad malum finem, quæ malitia non est imputanda iniustè coactis.*

100. *Aduertens damnum tertio ex sua actione per accidens euenire, & tamen intendens vt tertio damnum sic eueniat, vt si vendens arma optes animo occidi inimicum, & his similibus secundum probabiliorem non peccat peccato iniustitiæ, neque tenetur ad restitutionem, neque si occisus sit Clericus, est excommunicatus.*

101. *Intentio non facit vt opus sit iniustum, nisi alias ex natura sua, & circumstantijs tale sit.*

102. *Intentio sumit speciem suam ex obiecto, quare si obiectum non est iniustum respectu intendentis, neque intentio iniusta erit, sed solum contra charitatem.*

100. *Intentio non facit vt opus externum magis sit damnosum, aut magis violet æqualitatem quam facit in se.*

104. *Actio exterior si sit talis vt ex ea plerumque tale damnum tertio sequi soleat, erit peccatum iniustitiæ, etiamsi illud damnum non intendas, mortale, vel veniale pro ratione negligentiæ; peccatum autem iniustitiæ non erit, si periculum non aduertisti, vel si aduertisti præstitisti cautionem necessariam vel vteris iure tuo.*

105. *Irregularitas non contrahitur quotiescumque homicidium non est voluntarium, sed fortuitum, seu casuale, vt si per accidens illud sequitur ex causa, quæ non est efficax, vel si actio est talis, ex qua non sequitur vt plurimum effectus.*

RESpondetur *ex dictis*: si læsisti occultè Petrum, & imponitur læsio Paulo, qui cum Petro inimicitias 1
habebat; quapropter capitur Paulus, & supplicio afficitur, non es reus homicidij, nec ad restitutionem teneris, nec es (si Paulus sit clericus) excommunicatus, nec etiam irregularis; & quidem si non ea intentione læsisti Petrum, vt Paulo inde damnum eueniret, nec aduertisti illud euenturum; res est clara; quia tunc damnum, vt potè non præcognitum, non est tibi voluntarium.

Confirmatur, quia hoc damnum Paulo merè per accidens euenit ex actu tuo (non enim læsio passiua, etiam occisionis Petri erat directa via ad nocendum Paulo) per se autem, & directè prouenit ex malitia accusatoris, vel testium: ergo non potest tibi, tanquam causæ imputari.

Confirmatur secundò: quia tale damnum non prouenit vt plurimum tertio ex tali actione, sed raro; ergo non tenebaris aduertere illud secuturum; ergo si non aduertisti, non teneris ad restitutionem, nec etiam in pœnas incidis; quia nihil omisisti considerare, vel cauere in tua actione, quod ratione tertij considerare, vel cauere tenebaris.

Confirmatur tertiò, quia illud damnum nec in se, nec in causa est tibi volitum, ergo censetur tibi fortuitum, atque adeò non est imputabile. Consequentia patet. Antecedens probatur; nam non est volitum in se, quia ignoratur euenturum, nec de eo cogitatur: nec est volitum in causa; quia effectus non censetur 2
volitus in causa, nisi probabiliter proueniat ex ea: qui enim raro prouenit, non censetur magis in illa causa contineri, quàm non contineri, quin potius non contineri.

Adde, sufficere, quod non prouideatur in 3
causa, etiamsi contineatur in illa, ex eo scilicet quia vt plurimum ex ea sequitur. Ratio, quia adhuc damnum, vt potè actu non præcognitum, non est voluntarium, atque adeò non imputabile, vt supra dicebamus.

Si tamen aduertisti damnum secuturum ter- 4
tio, adhuc contra nonnullos puto, nec tunc committi peccatum iniustitiæ contra tertium (vti docent Sot. *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. Lopez *tom.* 1 *cap.* 63. & alij) atque adeò nec tunc te teneri ad restitutionem. Probatur, quia 5
quando ex aliqua actione sequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vt plurimum, sed ex ignorantia, vel malitia aliorum, quæ se miscet, non censetur illa actio iniuriosa tertio (vt patet ex dictis) neque imputabitur tibi, vt causæ, & sic vt voluntaria; ita vt per illam pecces contra iustitiam; sed imputabitur tibi, solum, vt volenti, & sic vt volita, ita vt per illam pecces solum contra charitatem, sed hæc læsio passiua Petri, sicu-


ti dicebam, est talis, ergo non censebitur iniuriosa Paulo, nec imputabitur tibi, vt causæ, & sic vt voluntaria, ita vt per illam pecces contra iustitiam, sed imputabitur tibi, solum, vt volenti & sic vt volita, ita vt per illam pecces solum contra charitatem.

Objectio Prima.

OBijcies, qui aduertit ex opere suo secuturum damnum alteri, tenetur debitam cautionem adhibere, ne illud sequatur, sed iste non adhibuit debitam cautionem, ergo omissione tali censetur causator damni.

6 Respondetur ex dictis, quando damnum sequitur ex opere, non natura operis, sed per accidens, non tenetur homo ex iustitia cauere, ne illud sequatur, sed solum ex charitate; imò quando habet causam faciendi neque ex charitate quidem tenetur; quia charitas non obligat cum magno incommodo, Itaque omittendo homo cautionem, & non impediendo damnum in casu nostro, non peccat contra iustitiam, sed solum contra charitatem; hæc autem non obligat ad restitutionem: ergo, &c.

Confirmatur doctrina tradita exemplis, quorum sit.




1. Exemplum.

Si fureris Petri thesaurum, vnde putas, illum dolore moriturum.

7 PRimò: furaris Petri thesaurum, vnde putas illum dolore moriturum, non censeris homicida nec irregularis, nec ad damna mortis teneris, quia hæc damna, non ex illo furto directè, sed ex animi voluntario affectu indebito sequuntur; poterat enim, & tenebatur dolorem mitigare; quod si non fecit, sibi mortem suam imputet, tanquam causæ; tu enim non fuisti causa, sed solum occasio contra charitatem.





2. Exemplum.


Si vendis arma militi, quibus putas illum malè vsurum.

SEcundò: vendis arma militi, quibus putas, illum malè vsurum, non censeris auctor, & causa illorum malorum; quamuis pecces contra charitatem, si ille alioquin illa mala non fuisset facturus, & tu poteras sine magno tuo incommodo impedire. 8

3. Exemplum.

Si vendis Iudæo agnum, quem putas illum sacrificaturum.

TErtio: vendis Iudæo agnum, quem putas illum sacrificaturum, non censeris causa sacrilegi sacrificij, etiamsi eum vendas; quia alioquin non commodè venderes merces, quas venales habes. 9




4. Exemplum.

Si vendis vinum Tabernarijs iusto pretio, quos nosti, aquam vino admiscere.

QVartò: vendis vinum tabernarijs iusto pretio, quos nosti, vino aquam admiscere, non censeris causa furti, atque adeò non peccas contra iustitiam, imò neque contra charitatem, si id commodè vitare non possis, v. g. quia si ad hoc attendas, difficilè tuum vinum vendes; secus si commodè possis, quia tunc teneris, saltem ex charitate eam peccati, & damni alterius occasionem vitare. 10
Porrò si tabernarij nomine tuo vinum vendunt 11 modo *supra* dicto vitiatum; nulla ratione excusaris; quia tunc ipse reuerà vendis, ac iniustitiam per tabernarios, tanquam per tuos ministros, exerces; si tamen id in principio ignorasti, non teneris restituere; nisi in quantum factus es ditior, instar bonæ fidei

possessoris; quia non teneris ratione iniustæ acceptionis, cum non peccaueris, sed solum ratione rei acceptæ, quæ apud te saltem æquiualenter extat.



5. Exemplum.

Si Pharmacopola vendit alicui venenum, quo putat illum malè vsurum.

12 QVintò, vendit Pharmacopola alicui venenum, quo putat illum malè vsurum, non censetur causa damni, quod inde sequetur; quamuis peccet contra charitatem, si à veneno vendendo in tali casu sine magno suo incommodo abstinere poterat; secus si non poterat, vel si poterat, non præuidit abusum. Vide Lessium *lib. 2. c. 13. num. 31.*

13 Vbi tamen aduerte, quod si venenum tale sit, quod alijs vsibus, quàm hominis occisioni, deseruire non potest, eius venditio præterea interdicta est, *l. quod sæpè ff. de contrah. empt.* & docent Maior. *in 4. d. 15. q. 15.* Mol. *to. 2. disp. 340.* & Sanch. *lib. 1. moral. c. 7. num. 17.* sed (vt bene ait Mol. *ibid.*) etsi id vendens peccet, non tenetur tamen pretium restituere; si res vendita iam non existat; vel si existit, non existat cum periculo proximi
14 apud possidentem; si enim damnum proximi timeretur, teneretur venditor rescindere venditionem, & pretio restituto, venenum recuperare.



6. Exemplum.

Si locas Domum vsurario; quin & pecuniam deponis apud eumdem.

15 SExtò, locas domum vsurario, quin & pecuniam apud eum deponis, non censeris causa vsurarum, quin neque peccas, si ex aliqua causa facis. Ita Caiet. *q. 78. art. 4.* Bannes. *in 2. 2. q. 78. art. 4.* Salon. *q. 62. art. 5.* Aragonius, & alij; quamuis contrarium dixerint Sot. *de iust. lib. 6. q. 1. art. 5. ad 2.* Less. *lib. 2. c. 20. dub. 21.* & Azor. *tom. 2. lib. 12. c. vlt. q. 2.*

16 Vbi tamen aduerte, quod neque censetur causa vsurarum, quin neque etiam peccat iudex, si vsurarios in Republica permittat, ad maiora incommoda vitanda, nullum tamen eis auxilium præbens, vt soluantur vsuræ, aut vt solutæ non repetantur; nisi forsan is ingentes summas pro licentia fœnerandi exigat, vnde fiat, vt vsurarij vsuras augeant, & pauperem magis exhauriant; in quo casu tamen, sicut & in omni alio, in quo Iudex ad restitutionem est obnoxius, restituere tenetur solum secundariò; in defectum scilicet vsurariorum, si hi non restituant.

Item secundò, non censetur causa vsura- 17
rum, quin neque peccat iudex, si similiter ob bonum publicum actionem deneget repetere volentibus vsuras. Quinimò si alicubi putaretur necessarium, vel valdè expediens bono publico, vt vsuræ permittantur; eo quod non suppetat alia ratio, minori incommodo indigentibus succurrendi, & vsurarij nollent mutuare, si talis actio vsuras repetere volentibus concedatur, tunc posset Princeps permittere, & etiam statuere, vt iudices inferiores actionem denegent: sic enim denegatur actio in multis alijs causis, vbi est obligatio naturalis, vt cùm quis deceptus est citra dimidium iusti pretij. Itaque ob publicum commodum in casu nostro etiam actio denegari potest; at- 18
que ita sentit Azor. *lib. 8. c. 22. q. 13. dub. 3.* & Nauarr. *consil. lib. 5. tit. de iudicis*, & Sarac. *cons. 3. num. 7. & 8. cons. 4. num. 3.* qui non restringit ad casum, quo id videatur necessarium bono publico, sed absolutè docet, Prin- 19
cipem posse repetentibus vsuras actionem denegare. Imò idem Nauarr. addit, Principem posse statuere, & compellere, vt vsuræ permissæ soluantur; & ratio esse potest, quia Princeps non tenetur in omni casu iustitiam subdi- 20
tis ministrare, sed solum quando id sine magno incommodo fieri potest; ergo, sicut, vt vitetur incommodum multarum litium, po- 21
test denegare actionem in deceptione citra dimidium iusti pretij. Item & in promissionibus simplicibus, &c. ità poterit ad vitandum incommodum pauperum, denegare actionem in repetitione vsurarum.

Confirmatur, quia non tenetur Princeps 22
administrare iustitiam, quando communitas id non vult, sed eligit potiùs pati aliquam iniuriam, quàm priuari certo commodo, sed ita est in casu nostro, ergo, &c. Non tamen propterea vsurarij sunt liberi in conscientia, à 23
restitutionē, aut non possunt ab Ecclesia iuxta Canones puniri, aut non possunt vsuræ in foro Ecclesiastico repeti.

Cùm autem nulla in eo est boni communis 24
vtilitas, Princeps non potest talem actionem denegare; aut permittere, vt iudices inferiores eam denegent; sed tenetur eos cogere, vt admittant. Ratio, quia tenetur impedire pec- 25
cata, maximè contra legem naturæ, vt sunt vsuræ, tum quia tenetur administrare iustitiam, nisi subsit aliqua iusta ratio permittendi iniustitiam iuxta ea, quæ suprà dicebantur. Vide *Clement. vn. de vsuris*, quæ circa hoc aliquas actiones excommunicat: quamuis ipsa non pertineat ad Principes supremos, sed solum ad Iudices inferiores, vt ex contextu patet.

Item tertiò non censetur causa vsurarum, 26
& sic non tenetur ad restitutionem, Notarius instrumentum

instrumentum conficiens; quia non lædit inuitum, cùm illud conficiat volente mutuatario.
27 Similiter non tenetur, si exprimat contractum, qualis est, quia ex vi talis instrumenti non possunt vsuræ exigi; nisi forsan alicubi esset statutum iniquum, quo etiam ex vi talis instrumenti cogeretur mutuatarius eas soluere, rarò tamen hoc non obstante accidit, vt Notarius teneatur, quia non facit instrumentum, nisi volente mutuatario, peccat
28 tamen semper talia instrumenta faciendo; quia facit contra iuramentum, quod Notarij emittunt, dum munus suum suscipiunt.

29 Quod si tamen Notarius instrumentum vsurarum ita conficit inuito mutuatario, vt hic ex eo reipsa cogatur soluere vsuras; vt si v. g. contractui vsurario prætendat honestum nomen mutui, vel venditionis, &c. tunc & peccat, & tenetur ad restitutionem.

30 Item quartò non censetur causa vsurarum vsurarij famulus, aut factor, qui ex speciali mandato Domini dicentis (*Mutuo Titio centum ad vsuram meo nomine*) mutuum dat si contractus iam cum Domino initus sit, ita vt famulus solùm pecuniam numerare debeat. At secus dicendum si contractus per ipsum famulum sit ineundus: tunc enim famulus videtur efficax causa damni, imponendo mutuatario obligationem iniustam, ob quam postea is vsuras soluit, quod, si tamen in isto casu non erat in posse famuli absque eo contractu pecuniam dare, eo quod Dominus esset præsens etiam tunc non censetur esse causa vsurarum, & ad restitutionem teneri: quia mutuatarius non censet sibi iniuriam fieri à famulo (qui aliter pecuniam dare non poterat) sed à Domino. Vide Sylu. *verb. vsura 7. qu. 4.*

31 Item quintò non censetur causa vsurarum famulus, illarum solutionem exigens, dum modo non vrgeat, & mutuatarius alioquin sponte esset soluturus. Ita Sot *lib. 6. de iust. q. 1. art. 4.* Et ratio est, quia in tali casu etiam mutuatarius non putat sibi ab illo iniuriam fieri; & consentit, vt Domino suo vsuras exactas tradat. Vnde quamuis probabilius sit, quod hoc ipso, quo vsuras exigit, iniuriam faciat; quia iure Domini sui, quod nullum est, illas exigit; & sic directè spoliat alterum re sua, tamen adhuc probabiliter à restitutione excusatur; quia cùm id spontè non faciat, sed iussu Domini; nec ipsi inde emolumentum proueniat, non censet debitor sibi tantam à famulo iniuriam inferri, vt velit per illum restitutionem fieri; vel saltem censetur, quod libenter sit condonaturus, si rogetur.

32 Item sextò multò minus censetur causa vsurarum, qui agunt partes mutuatarij, vel certè non efficaciter ad vsuras concurrunt, etiamsi agant partes vsurarij, & videantur ad eas cooperari. Tales sunt primò famuli, qui recipiunt pignora, eaque asseruant. Secundò, qui numerant pecuniam. Tertiò, qui referunt omnia in libros rationum. Quartò, proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad vsurarium: hi enim potiùs beneficium præstant, quàm iniuriam faciunt; præsertim cùm non sit in posse ipsorum, vt vsurarius det pecuniam suam sine vsura. Quintò, qui pecuniam suam (vt *supra* dictum est) apud vsurarium deposuerunt; modò tamen ei non suaserint, vt vsuras exigeret; nec sint earum participes, vt docet Caiet. *in cit. q. 78. art. 4.* Et ratio est, quia mutuatarius neque censet per hoc iniuriam sibi fieri, nec id ægrè fert: non enim illi obest, quod vsurarius pecunijs abundet.



7. Exemplum.

Si Christiani captiui in Turcarum triremibus contra Catholicos remigant, vel alia præstant pro Turcis contra eosdem Catholicos.

Septimò, Christiani, qui captiui in Turcarum, vel hæreticorum triremibus contra 33
Catholicos remigant, propugnacula ædificant, sarcinas, machinas, & arma ad bellum necessaria afferunt, Turcis arma ab eis petita ad Christianos interficiendos porrigunt, scalas, & machinas ad muros admouent, Turcas humeris sustentant, atque ad castra munienda, propugnacula ædificanda, aliaque eiusdem generis militari muneri necessaria perficienda iuuant, non peccant contra iustitiam, quin neque contra charitatem, quia id ex causa faciunt, metu verberum, ac mortis ipsos cogente. Atque ita docent Petr. Nauarr. *lib. 3. c. 4. num. 62.* Lessius *lib. 2. cap. 9. num. 122.* Lopez *p. 1. c. 6.* Mol. *tom. 1. tract. 2. disp. 155. concl. 3.* Vasq. *de scandalo art. 8. dub. 7.* Sanchez. *lib. 1. moral. c. 7. num. 18.* contra Nauar. *c. ita quorundam, notab. 11. num. 10. de Iudæis, & in man. c. 27. num. 63.* & contra Tol. *lib. 1. c. 24.*

Quod si tamen eo loco res constituta esset, 34
vt captiui auxilium denegantes, è magno periculo Christianos eriperent, vel victoriam ipsis conferrent, tunc quidem dicendum est, lege charitatis captiuos obligari, bonum Reipublicæ Christianæ commune propriæ vitæ particulari anteferre, ad quod singuli tenebuntur, si idem facturos alios spem haberent; secus si non; quia ad inutile nemo obligatur, præsertim cum periculo vitæ, vt est in casu nostro.



8. Exemplum.

Si incolæ Prouinciæ, quam Tyrannus, expulso legitimo Principe, iniustè occupauit inter iniquos possessores manent, eosque iubente Tyranno, aliquo modo iuuant.

35 OCtauò, incolæ Prouinciæ, quam Tyrannus, expulso legitimo Principe, iniustè occupauit, inter iniquos possessores manent, eosque iubente Tyranno, fossionne, excubijs, & contributione iuuant (non quidem intentione bellandi contra legitimum Principem, sed quatenus opera illa sunt indifferentia) non sunt causa iniustitiæ, & tyrannidis, quinimò nullo modo peccant; quia id faciendi causam habent, nempè ne bonis suis spoliati, Prouincia eijciantur, & sic alij ad nocendum promptiores substituantur. Quamobrem arbitror etiam, in tali casu legitimum Principem consentire, vt eiusmodi obsequia à subditis interim exhibeantur, quin & iuramento promit-
36 tantur, si ita opus sit, & ipsi Principi expediat ad maiora mala cauenda: quæ enim in maius legitimi Principis, & Reipublicæ damnum, aut Catholicæ Religionis oppressionem cessura sunt, ea subditi, à Tyranno etiam coacti, præstare non possunt, & multò minus ad id se iuramento obligare, sed æquiuocare in tali casu debebunt; quia, vt *supra* dicebam, bonum commune priuato anteferri debet. Vide Io. Molanum *lib. de fide, & iuramento.*

9. Exemplum.

Si famulo, vel filio, quem de furtis suspectum habes, apponis, vt eum deprehensum emendes, vel grauiori malo occurras.

37 NOnò, famulo, vel filio (quem de furtis suspectum habes) apponis pecuniam, vt eum deprehensum emendes, vel grauiori malo occurras, non censeris auctor peccati famuli, vel filij. Ita Petr. Nauarr. *lib. 3. de restitut. cap. 4. num.* 123. contra Sanch. *lib.* 10. *de matrim. disp.* 12. *num.* 13. & Sà *verb. peccatum num.* 7.

10. Exemplum.

Si intromittis per ianuam fœminam, cum qua, herum peccaturum nosti, facem præfers, lectum sternis, & similia.

DEcimò, intromittis per ianuam fœminam, cum qua herum peccaturum nosti, facem præfers, lectum sternis, non censeris causa peccati, quia ex causa facis, ne scilicet amittas famulatum tuum. Ita Sanchez *lib.* 1. *mor. c.* 7. *num.* 25. & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *dub.* 4. 38

Imò neque peccas, si (qua famulus, vel ex rationabili alia causa, si non es famulus) è domo eius illam euoces, per plateas deducas, actiuè deferas (vt in rheda, vel in sella, &c.) internuncia, vel scripta portes, vt ad talem locum, in tali tempore veniat, vel expectet, &c. 39

Quinimò probabiliter neque etiam peccas (dummodo grauior causa id facere te cogat) si literas ad turpia, quinimò ad duellum concitãtes scribas, vel deferas; quia adhuc hoc est quid indifferens, & ex causa facis. Ita Merol. *to.* 1. *disp.* 2. *c.* 4. *dub.* 10. *corol.* 3. *nu.* 390. contra Sanchez. *cit. c.* 7. *num.* 26. & 28. dummodo tamen fornicationem, vel duellum non suadeas; quia hæc sunt quid per se malum. Vide Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 9. *de pœnit. edict.* 2. Rodrig. *tom.* 1. *summ. c.* 205. *conclus.* 3. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *c. vlt. q.* 8. 40

11. Exemplum.

Si locas meretrici domum, & similia.

VNdecimò, locas meretrici domum, non censeris auctor malorum eius; quamuis, si in domo tua præbetur scandalum honestis fœminis, non autem in alia, vel si in alia domo meretrix illa opus meretricium non exerceret, vt excuseris, maior causa locandi adesse debet, quam adhuc sufficere censet Sanchez *num.* 10. si alteri commodè non potes domum locare. Vide etiam Nauarr. *c.* 17. *num.* 195. Mol. *tom.* 2. *disp.* 500. 41

Item secundò non censeris auctor peccati, si amicum, qui violandi ieiunij causa ad cauponam diuertere cogitat, domum tecum adducas, & cœnam ei ministres hospitalitatis causa; quia id non est inuitare ad violationem 42


ieiunij quoad substantiam, cum supponatur eum illud esse violaturus. Ita Caiet. 2. 2 *q.* 147. *art.* 4. Nauarr. *c.* 21. *num.* 24 Angles *loc. cit. diffic.* 4. etsi Vasq. *de scandalo art.* 1. *d...* 3. satis probabiliter contrarium sentiat, quia hic & nunc est petere ab amico, quod ab eo præstari non potest sine peccato mortali.

43 Item tertiò non censeris causa peccati, si in ciuitate, in qua Catholici cum hæreticis permixtim viuunt, die interdicto carnes in caupona coquas, & apponas postulantibus; quin neque censeris causa peccati, etsi in ciuitate

44 Catholica id præstes, dummodò maior vrgeat id faciendi causa, vt minarum, vel saltem famulatus.

45 Item quartò si ex causa aliqua graui vendas infideli idolum, aut vestes Sacerdotales superstitiosas.

46 Item quintò si Iudæorum Synagogas, & hæreticorum templa restaures, aut ædifices, &c. Vide Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 1. *de iudæis*, *edit.* 2. Tannerum *in* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 9. *dub.* 5. etsi alij contrarium sentiant.



12. Exemplum.

Si vendis fucos, & alia ad ornatum lasciuum pertinentia mulieri, quam nosti illis abuti ad alliciendos iuuenes ad turpem sui amorem, & similia.

47 DVodecimò, vendis fucos, & alia ad ornatum lasciuum pertinentia mulieri (quã nosti illis abuti ad alliciendum iuuenes ad turpem sui amorem) ex causa aliqua rationabili, quia v. g. alioquin non venderes commodè merces quas venales habes, &c. non censeris auctor peccati alterius. Ita Sanchez *loco cit. num.* 14. & 16.

48 Item secundò si ex causa vendas scienter vinum se inebrianti. Sanchez *num.* 33. & Sà *verb. ebrietas*, *num.* 11.

49 Item tertiò si ex causa conficias, & vendas taxillos & aleas. Aliozer. *lib. de ludo c.* 60. *concl.* 7. & Metina *lib. c.* 14. §. 15.

50 Item quartò si ex causa mutuo des pecuniam, aut cubiculum accommodes petenti ad fornicandum. Sanchez *num.* 31. vel mutues

51 pecuniam meretrici ad ornatum emendum, aut vsuratio ad vsuras exercendas.

52 Item quintò si ex causa pingas imaginem puellæ ad petitionem amasij, quem credis abvsurum. Sanchez *num.* 40.

53 Item sextò si captiuus, vel famulus apud paganos caudam Dominæ templum idoli ingredientis gestans, genuflectas cum Domina genuflectente, vel eam humeris sustentes, vt genuflectat (non quidem vt idolum adores, aut te adorare simules: est enim vtrumque intrinsecè malum, atque adeò nulla ratione permissum) sed vt obsequium ex se indifferens Dominæ exhibeas, necessitate obsequij debiti constrictus. Ita colligitur *ex* 4. *Reg. cap.* 5. & docent Lyranus *in illum locum*, vbi & Burgensis *addit.* 1. Abulensis *q.* 25. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *q.* 7.

Item septimò, si famulus (vel ex alia legitima causa, si non es famulus) iussu heri portes munuscula ad illius concubinam. Sanchez *num.* 29. 54

Item octauò si ex aliqua causa graui, v. g. quia adest periculum alicuius grauis nocumenti, vel quia aliàs ius tuum à iudice conse- qui non potes, conferas munera concubinæ iudicis; aut ab ea interim petas, vt pro te apud iudicem intercedat. Molfes. *tom.* 1. *tract.* 8. *c.* 11. *num.* 62. Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 15. *num.* 2. qnidquid contra dicat Sanch. *c.* 7. *cit. num.* 38. 55

Item nonò, si famulus, vel si non es famulus, ex aliqua, etiam non notabili, causa, ornas herum meretricem; quia & id est quid indifferens, & valdè remotè se habens ad peccatum. Nauarr. *c.* 20. *num.* 16. Sà *verb. peccatum num.* 9. Manuel *tom.* 2. *c.* 76. *num.* 14. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *c. vlt. q.* 8. 56

Item decimò, si es famulus, vel (si non es famulus) ex aliqua iusta causa equum sternis, herum comitaris, & expectas; quamuis scias eum ad fornicandum, furandum, vel duellandum ire. Angles 1. *p. q.* 7. *de ieiunio, diffic.* 5. Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de pœnit. & remiss. in* 1. *edit. consil.* 6. *in* 2. *consil.* 5. Manuel. 1. *tom. c.* 105. *num.* 2. 57

Aduerte tamen hîc (quod & applica ad alios casus) maiorem causam requiri, si te non sternente equum, non comitante, & non expectante herum, peccatum non sequeretur, quàm si illud adhuc sequeretur; quia in priori casu abstinendo impedit peccatum proximi; in posteriori non. 58

Secundò, maiorem causam requiri ad comitandum, quàm ad sternendum equum; quia comitari herum proximius se habet ad peccatum, quàm sternere equum; tum quia comitari reddit herum animosiorem ad peccatum exequendum, non sic sternere equum. Et propter easdem rationes maior causa requiritur ad expectandum, quam ad comitandum tantum. 59 60

Tertiò, maiorem causam requiri, cæteris paribus, si herus tendat ad duellum, vel ad aliquid aliud contra iustitiam exequendum, quàm contra charitatem; quia maiori vinculo, cæteris paribus, tenetur quis peccata alterius, quæ sunt contra iustitiam, vitare, quàm quæ contra solam charitatem: nam in ijs innocens inuitus damnum patitur, in his autem solus peccans, & propria voluntate. 61

Quartò, maiorem causam requiri ad expectandum custodiæ causa, quàm non custodiæ causa; quia expectare custodiæ causa multò proximius sed habet ad peccatum, & multò animosiorem reddit herum ad executionem peccati; ex causa tamen maxima excusante adhuc licitum erit expectare custodiæ causa, quia adhuc illud est quid indifferens, bono 62

scilicet, & malo vsui potens deseruire; dummodò tamen expectes ad finem, vt admoneas eum, aliquo adueniente, qui ipsum offendere possit; vel defendas eum ab inimicis aggredientibus, vt si fortè oppressus sit, non interficiatur: nam ad finem, vt inimicos eius inuadas, vel eum iuues ad duellum, aut quodlibet aliud iniustum exequendum, ex nulla causa licet; quia id est quid intrinsecè malum.

63 Porrò si herus locum duelli, vel cuiuscumque alterius peccati adiens, nesciat an ipsum aliqui comitentur, & expectent, cùm tunc exinde non animosior reddatur, licetet cuicunque adire animo defendendi, ne fortè oppressus interficeretur; quia defendere oppressum, non reddendo animosiorem, quia ignorat auxiliantem præstò esse, nulla ratione est malum (imò opus virtutis) nec ad iniustam actionem aliquo modo confert.


64 Item vndecimò, si ex causa graui, si non es famulus, vel si es famulus, quia talem famulatum relinquere tibi graue est; ex iussu alterius, vel heri insequeris fœminam, vt videas, vbi habitet, vel id inquiris, vt illum certiorem facias, quem nosti illa fore abusurum: licet enim hæc fiat indifferentia, quia tamen proximè accedunt peccato, requiritur in ijs, vt excuseris, causa grauis; & grauior requiritur, si fœmina, quam insequeris, sit honesta; nullo tamen pacto, & ex nulla causa, quamuis grauissima, excusaris, si iussu alterius, vel heri, fœminam ei quæris, cum qua peccet; vel ab ipsa hoc petas; quia hoc est intrinsicè malum. Sanchez *num.* 27.

65 Item duodecimò, si famulus, vel si non famulus, ex quacunque causa, cibos condis, ad mensam ministras, lectum sternis concubinæ heri, vel alterius; quia hæc omnia sunt indifferentia, & remotè se habent ad peccatum. Petr. de Ledesma *tom. 2. tract. 27. c. 9.* Sà *verb. Peccatum, num. 9.*

66 Idemque dic, si mensam hero non ieiunanti sternis, condis cibos, mensæque ministres. Caiet. 2. 2. *q.* 174. *art.* 4. & Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 31. q. 11. & to. 2. lib. 12. c. vlt. quæst. 5.*

67 Item decimò-tertiò, si cibos non ieiunanti porrigis, vel vendis ex aliqua iusta causa, etiam ex illa, quia alioquin non commodè venderes merces, quas venales habes. Sanch. *num.* 34. quidquid alij dixerint in contrarium.

68 Excipe tamen patremfamilias in ordine ad familiam suam, quia illam corrigere tenetur; qui etiam aliquando licitè id facere poterit, si scilicet ipso cibos non ministrante, adhuc peccatum non intermittatur; & valde incommodum eidem sit, cibos familiæ denegare. Vide Gabr. *in 4. d. 16. q. 3. art. 3. dub. 6.* Maior. *in 4. d. 15. q. 4. §. dubitatur.* Nauarr. *c. 21. num. 26.*



13. Exemplum.

Si mulier sciens viri votum castitatis, cum eo contraxit, vel debitum reddit.

Decimò tertiò, quamuis peccauerit Mulier si sciens Viri votum castitatis, cum eo contraxit, quia talis desponsatio, ad quam mulier concurrit, promissionem acceptando, Deo iniuriosa est, iuxta *c. nos nouimus 17. q. 2.* vbi id notat Gl. *verb. sciens* & docent Nauarr. *c. 23. num. 73.* Sanch. *lib. 7. matrim. disp. 11. num. 12.* non tamen peccat, si coniugi voto castitatis obstricto coniugij debitum reddit; quia tale opus per se malum non est, sed per accidens, propter votum mariti; imò reddere ex iustitia tenetur, si eum exigentem à proposito auocare non potest. Et Parochus propter idem potest sine peccato (quin & tenetur, ad remouendum scandalum) Eucharistiæ Sacramentum ministrare peccatori, etiam excommunicato, vel hæretico occulto, si publicè petat. Imò confessarius propter idem potest sine peccato (quin & tenetur, ne confessio reddatur odiosa) etiam priuatim petenti illud ministrare, si eius indispositionem ex sola Sacramentali confessione cognitam habet. Vide Layman. *lib. 5. tract. 4. c. 6. num.* 10. 69 70 71

Item in casu, quo matrimonium Catholici cum hæretica ob consuetudinem loci, vel ob summi Pontificis dispensationem ex rationabili causa concessum est, sponsus Catholicus propter idem licitè ministrabit Sacramentum matrimonij sponsæ hæreticæ, etiam notoriæ: licet enim minister publicus, seu Sacerdos, cui ex ordinatione, & officio suo incumbit sancta custodire, & non proijcere canibus, Sacramenta publicè indignis ministrare non possit (nisi forsan in casu de periculo mortis vitando, & absit contemptus Religionis vt *in lib. de Parlamentis dub. 4. sect. 25. sub sect. 3.* dicebam) alia tamen ratio est de priuato ministrante in Sacramento Matrimonij, præsertim cùm vtatur iure naturali contractus celebrandi, cui Sacramenti ratio accessoriè coniuncta est. Quorum omnium ratio vna, & eadem illa est, quia malum, quod sequitur, non sequitur ex natura operis, sed per accidens: quare operans non tenetur ex iustitia illud impedire, sed solum ex charitate, & consequenter neque etiam ex charitate, si commodè non potest, quia charitas non obligat cum magno incommodo. 72 73

Et hæc omnia tunc maximè locum habent, cùm tamen si tu materiam, seu facultatem peccandi non ministrares, peccatum tamen adhuc committeretur; quia scilicet alij non 74

deessent, qui ministraturi sint, v. g. ædes locaturi, cibos, carnes, vel pocula præbituri, hæreticorum templa ædificaturi, &c. quia tunc quæcunque causa excusare potest. Vide Sanch. *num.* 16.

75 Si autem materiam, seu facultatem te non ministrante, peccatum non committeretur, tunc vrgentior causa, seu necessitas requiritur, ob quam peccatum impedire non tenearis, sed permittere possis.

76 Maior item causa, & vrgentior necessitas requiritur, vt supra dicebatur, si peccatum, ad quod materialiter cooperaris, aduersus iustitiam sit, quam si sit aduersus charitatem, quamuis etiam tunc cooperari possis, si grauissima causa cogat: hac tamen non cogente, cooperando peccares contra iustitiam, non solum tanquam non impediens, sed etiam tanquam ministrans materiam proximam, indirectè cooperando iniustitiæ alterius, atque adeo tenereris ad restitutionem; sicuti rectè docent Valentia, 2. 2. *disp.* 5. *q.* 21. *punct.* 4. Aragon. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 1. & ibi Bannes, & Sanch. *loco cit. num.* 19. vt si v. g. per cymbam transuehas duellum inituros, aut alium interfecturos; admoueas scalam volenti furari, vel illum humeris sustentes: des ensem parato alterum occidere, vel ostendas, vbi occidendus sit; reddas furioso gladium (etiam ab ipso depositum) quo se vel alium occidere vult; iniustum bellum gesturo pecunias mutuò des, & similia. Excipe tamen si hæc absque graui detrimento vitare non possis; quia & tunc excusaberis.

77 Idem dicas in causa Religionis; vt si Catholicus oppidum vendat hæretico, à quo subditi peruerterentur, & ad hæresim transire periclitarentur: talis enim venditio à peccato excusare non potest, nisi grauissima causa vrgeat; cùm maior habenda sit ratio spiritualis salutis proximorum, quàm temporalium commoditatum.

78 Item maior causa requiritur, si abusus præuideatur certus, quàm si præuideatur dubius. Vide Sanchez. *c.* 7. *cit. num.* 17.

79 Denique eò grauior causa, cæteris paribus, requiritur, quo cooperatio materialis ad peccatum magis per se habet, seu propinquior est: minor autem causa requiritur, si cooperatio sit tantum per accidens, siue remota, v. g. facilius conceditur ad furandum tendenti accommodare scalam, quàm ferre; & facilius ferre, quàm applicare; & facilius applicare, quàm sustentare. Item facilius conceditur fundere campanam, aut characteres æneos (etsi his aliqui abusuri præuideantur ad hæresim propagandam) quàm pulsare campanam, qua hæretici congregentur, vel ordinare characteres ad hæreticorum librorum impressionem; quia tale opus valde propinquè, & per se ad hæresim ordinatur; in necessitate tamen admodum graui (dummodo contemptus Religionis absit) adhuc hoc, vel quid simile (præsertim ad breue tempus) præstari posset, v. g in casu, quod filius, vel seruus Typographi hæretici conuertatur, qui sine suo magno damno patrem, vel Dominum tam citò deserere non possit. Ratio, quia hæreticum scriptum Typis ordinare (sicut & transcribere) per se malum non est; neque lex Ecclesiastica id prohibens in tam graui necessitate locum habet; quia ius positiuum non obligat cum tanto rigore & incommodo.

80 Item in casu, quod Sacrista, qui hactenus in Ecclesia hæreticorum seruiuit, conuertatur, sed graui necessitate pressus seruitio suo statim abdicare non possit, interim non peccat, & absoluendus est, dummodò promittat, quod tale seruitium deseret, cùm primum commodè potuerit; & absit scandalum, & falsæ Religionis virtualis professio; nimirum ex aperta Sacristæ coram populo protestatione, vel alijs rationibus manifestum sit, quod ab illo ministeria pulsandi, Ecclesiam aperiendi, & claudendi; panem, & vinum afferendi; &c. solùm fiant materialiter, & vt actus secundum se sunt indifferentes; & nequaquam fiant, quatenus ordinantur ad exercitia hæretica, quippè quod illa Sacristam detestari, palam constet.

81 Qua simili ratione docent Doctores, vt Nauarr. *c.* 3. *num.* 15. *&* 19. Finellius *casu reseruato* 11. *num.* 10. quod (si concubinarius in graui infirmitate, vel mortis periculo constitutus, aliam personam habere non possit, quæ necessaria ministret, præter concubinam, ad quam tunc pœnitens carnis affectum non habeat, ideoque putet, se eius occasione non lapsurum, & cùm primùm conualuerit, statim à se dimittendam promittat) in tali casu permitti poterit, interim eam retinere, & absolui, dummodò scandalum absit, quia scilicet concubinatus est occultus. Ratio, quia eam retinere, non est opus ex se malum; quare id in aliquo casu ex aliqua causa vrgenti licebit, & sic videtur contingere in casu nostro.

82 Opus autem per se malum, in nullo casu & ex nulla causa licet, vt, v. g. contra Christianos tormenta dirigere, vel ignem applicare; iussione, aut consilio expresè, vel tacitè aliquem inducere ad agendum id, quod ab eo sine peccato fieri non potest, vt à malefico petere, vt maleficium maleficio soluat; vel ab vsurario, vt cum vsura mutuet: vel ab infideli, vt per falsum Deum iuret, aut iuret per verum Deum falsum; vel à Sacerdote, qui iurisdictione caret, vt à peccatis absoluat; vel hominem inuitare ad bibendum vsque ad ebrietatem; quia hæc omnia sine peccato fieri non possunt.

Neque obstat, quod huiusmodi homines per seipsos ad peccandum parati sint; nam quamuis tunc minus grauiter delinquas, non tamen à peccato (mortali, si ad mortale inducas; veniali, si ad veniale) immunis es; quia licet non sis causa interni mali propositi, quod est peccati principium, es tamen causa peccati secundum executionem; vel etiam continuationem; sicuti rectè docent Maior *in* 4. *d.* 15. *q.* 4. Caiet. 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. Mol. *tract.* 2. *tom.* 2. *disp.* 335. Nauarr. *c.* 21. *num.* 26. Sanch. *lib.* 1. *moral. c.* 6. *num.* 14. Suar. 3. *tom. in* 3. *p. q.* 65. *art.* 4. *disp.* 18. *sect.* 1 quidquid in contrarium dixerint Manuel *tom.* 1. *Sum.* 2. *edit. cap.* 23. *num.* 8. & Petr. de Ledesma 2. *tom. sum. tract.* 27. *cap.* 2. *dub.* 4.



Corollarium.

An, & quomodo intelligatur doctrina communis, quod participans, id est, is, qui est particeps iniquæ operationis, peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem?

83 Ex dictis collige, quod cũ Doctores in materia de restitutione docent, peccare contra iustitiam, & sic teneri ad restitutionem, participantem, id est eum, qui particeps est iniquæ operationis (sicut qui scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente; qui excubias agit, qui instrumenta suppeditat, qui furem comitatur defendendi causa, qui iuuat effringere, asportare, &c. qui remos in triremibus hostium impellit, qui tormenta ad muros, vel propugnacula hostilia pertrahit, & similes) ex eo, quia præbeat auxilium, & adiuuet ad executionem iniquam; intelligitur, si id sponte, & sine compulsione, aut sine aliqua legitima causa fecerit (præsertim si aliàs damnum non fuisset secuturum) non autem si id sponte non fecerit, sed iusto metu, vel iusta alia, ac legitima causa compulsus; modò id quod facit, non sit per se, & ab intrinseco malum, vt suprà dicebatur.

84 Quapropter iusto metu, vel iusta causa compulsus potest quis apponere scalas, præbere instrumenta effringendi, iuuare humeris furem sustentando, vel quouis alio modo, conscendere murum, & similia: hæc enim omnia sunt opus indifferens, neque lædunt Dominum, nisi ex iniqua intentione, & vsu furis, qui his auxilijs vtitur ad malum finem.

85 Pari modo potest quis iusto metu, vel iusta causa compulsus, iuuare in re (postquam sublata est) asportanda, vt in prædis militum iniustis auehendis, in pecoribus abigendis, &c. In his enim, vt potè indifferentibus, non est iniuria in Dominum, si ex graui metu, vel ex alia graui causa fiant, postquam res sublata est: sicut enim fur ipse iusto metu, vel alia iusta causa vrgente, non tenetur rem ablatam restituere, ità potest eam ob similem metum, vel ob similem causam de loco in locum transferre; quare multò magis id poterit innocens, qui rem non surripuit.

86 Hinc excusantur rustici, qui prædas militum iniustas coguntur portare, vel pecora sublata deducere

87 Non tamen hoc metu ductus potest quis domum alienam effringere, vel per fenestram intrando res foras proijcere, vel pecora è stabulo abigere: nam hoc est, esse causam principalem, & directam furti, & iniuriæ: quicunque enim res meas primò aufert, vel damnificat, iniuriam mihi facit, quocunque metu faciat, nisi id faciat animo compensandi; vel nisi Dominus, præsertim diues, patiatur damnum non notabile: tunc enim Dominus ex charitate tenetur id permittere, ne alter graue malum incurrat.

Objectio Secundo.

Obijcies secundò: cooperatores, qui functiones illas ad malum præuias præstant, possunt interfici ab ijs, qui iniustè impetuntur, si malum alia ratione auerti non potest; ergò iniquè agunt. Consequentia patet, quia alioquin daretur bellum vtrimque iustum, seposita etiam ignorantia. 88

Respondetur contra Nauarr. & alios (qui propterea putant remiges Christianos, qui coacti metu mortis agunt remos in triremibus Turcarum, non excusari à peccato) posse eos interfici non iure vindictæ, tanquam reos criminis, sed iure necessariæ defensionis (alioquin enim impossibilis esset defensio) quomodo etiam pueri, & amentes interfici possunt: etsi enim illi ius habent ad illam actionem, quatenus est necessaria, vt mortem euitent; qui tamen impugnantur (aduersus quos hostis vtitur illorum opera) ius habent, vt se defendant, & victoriam consequantur, & consequenter, vt faciant ea, quæ ad hunc finem necessaria sunt. Ad probationem consequentiæ. Respondeo: concedo posse dari speciem 89
quamdam belli vtrimque iusti; sic seruo bello capto licitum est fugere; tamen si fugerit, Dominus potest eum castigare; sicuti contra Nauarr. *c.* 17. *num.* 103. & alios ex communi docent Sot. *lib.* 4. *de iust. q.* 2. *art.* 2. Bannes. 1. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 13. Couarr. *ad regulam Peccatum* 2. *p.* §. 11. *num.* 6. *& lib.* 1. *variar. c.* 2. *num.* 10. & Less. *lib.* 2. *de Iust. c.* 5. *num.* 24. vbi etiam subdit, licitum etiam esse 90
alijs cooperari huiusmodi seruo ad fugam, modò scandalum, & aliæ indebitæ circumstantiæ absint; Item idem iudicium faciendum esse de filijs serui; quia hi non sunt deterioris conditionis suo parente; Item idem ius 91
permanere, etiamsi pluries, & pluries seruus vendatur, nam adhuc iure belli seruus censetur, cuius primæua seruitus sic constituta est, vt licitè fugere possit, sicut dicebam.

Sic etiam secundò licitum est reo, si scilicet damnatus fuerit ad mortem, vel mutilationem, vel etiam ad aliam grauem pœnam corporalem, vt carcerem perpetuum, seruitutem, triremes, vel exilium grauissimum, & similia, effringere carcerem, & fugere; tamen si id fecerit, poterit à Iudice puniri; sicuti docent S. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. & Caietan. *ibidem.* Sot. *lib.* 5. *q.* 6. *art.* 4. Couarr. *lib.* 1. *var. c.* 2. *num.* 11. Nauarr. *c.* 17. *num.* 102. Silu. *verb. accusat. num.* 12. Michaël Salon. *q.* 69. *art.* 4. & Less. *lib.* 2. *c.* 31. *dub.* 5. qui cum alijs subdit *num.* 38. quod si occasione 92

93 fugæ tuæ, carcere à te pertuso, etiam alij captiui fugiant, non tenearis de damno, quod inde actoribus, vel Reipublicæ euenit: quia illorum fuga per accidens sequitur ex tuo facto; nec tenebaris illam impedire, aut propter illam vitandam iure tuo non vti, quinimò etsi tenearis ad reparationem carceris effracti (quando scilicet ibi iustè detinebaris) vix tamen hæc restitutio est in vsu.

94 Subdit secundò, quod, si tibi fas est è carcere fugere, possint tibi alij fugam, & vinculorum diruptionem consulere. Ratio, quia quod tibi licitum est facere, id possum tibi suadere, & auctor esse, vt facias, nisi ratione officij prohibear, quomodo prohibentur ministri iustitiæ, qui cùm teneantur ex officio curare, vt reus detineatur, contra ius Reipublicæ debitum facerent, si fugam suaderent.

95 Subdit tertiò, quod licitum sit etiam alijs captiuo porrigere instrumenta, quibus vincula, & carcerem disrumpat (etsi contrarium sentiat Sot. *loco supra cit.*) quia si possum alicui consulere finem, possum etiam eidem porrigere media necessaria ad consequendum finem.

96 Subdit quartò, quod licitum sit etiam alijs (quod & fatetur Sot.) ostendere ei viam, & modum, quo possit euadere quia hoc ad consilium pertinet; neque in his est violare publicam custodiam; quia non porrigunt media, vel instrumenta ei, qui iniustè ijs vsurus sit, sed iustè.

97 Aduertè tamen, quod quamuis reo non possit prohiberi, ne fugiat, ita vt obligetur in conscientia non fugere vt *supra* dicebatur; quia naturæ humanæ valdè durũ tale præceptũ esset; tamen alijs potest prohiberi, ne fugam suadeant, aut instrumenta porrigant. Ratio, quia alij tantum iuris ad hæc non habent, quantum ipse reus: neque illis hoc præceptum ita est durum, sicut est reo.

98 Aduerte secundò, quod non possunt alij iuuare reum effringendo exterius carcerem, aut vincula. Ratio, quia solùm reus ad id ius habet, propter magnum scilicet incommodum, quod ipsi inde imminet: tum quia alioquin nihil posset iudicibus esse firmum, & tutum ad custodiam reorum; quod cederet in maximum Reipublicæ damnum.

99 Instabis; etsi illud, quod faciunt isti cooperatores, in abstracto, & per se consideratum; non sit malum, sed indifferens, tamen vt hîc, & nunc fit, est vera cooperatio iniustæ inuasionis, ergo &c.

Respondetur, illud opus non esse malum, vt procedit à voluntate eorum, qui coactè agunt, sed solùm vt subest directioni cogentis & vtẽtis eo ad malum finem; quæ malitia propterea non est imputanda iniustè coactis, nec actionem, vt ab ipsis est, maculare debet; sicut apparet, cùm quis restituit ensem tendenti in cædem inimici sui, si metu mortis adductus illum restituat.

100 An, & quid dicendum, si aduertas damnum tertio ex tua actione per accidens euenire, & tamen intendas, vt tertio damnum sic eueniat, v. g. si, cùm vendis arma militi, optes in animo, occidi inimicum tuum, & ea intentione vendas, an tunc saltem pecces peccato iniustitiæ, & tenearis ad restitutionem; & an sis excommunicatus (si scilicet occisus fuerit Clericus) & an fias irregularis.

Affirmant quidam, vt Sot. *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. Cordub. *lib.* 1. *q.* 31. *art.* 3. & alij.

At adhuc probabilius puto oppositum; quod etiamsi intendas damnum tertij, si tamen actio exterior cum circumstantijs talis sit, vt ex ea non sequatur damnum, vt plurimum, seu ex natura, aut conditione actionis tertio, sed aliunde, non sit peccatum iniustitiæ, atque adeò neque sit obligatio restitutionis, neque locum habeant cæteræ pœnæ.

Probatur, quia intentio non facit, vt opus sit iniustum, nisi aliàs ex natura sua, & circumstantijs tale sit; ergo cùm hæ actiones, de quibus agimus, non sint iniustæ respectu tertij ex natura, & circumstantijs, non fient iniustæ ex intentione. Ratio, quia intentio sumit speciem suam ex obiecto; ergo si obiectum non est iniustum respectu intendentis, neque intentio iniusta erit, sed solùm contra charitatem. Obiectum autem intentum non esse iniustum respectu intendentis, probatur, quia quod intenditur, est, vt mors illa eueniat aliorum causa, & malitia, sed hîc nulla est actio iniusta, quæ ab intendente in tertium dirigatur, ergo, &c. Etsi enim illatio mortis sit iniusta respectu eorum, à quibus procedit, non tamen est iniusta respectu illius, à quo non procedit, quamuis optet illam fieri; quare nulla erit iniustitia in illa intentione, ac proinde intentio illa non potest iniustitiam communicare operi externo. 101 102

Deinde intentio non facit, vt opus externum magis fit damnosum, aut magis violet æqualitatem, quam facit in se; ergo si opus per se non est iniustum, intentio nocendi non facit iniustum, etiamsi sit actus quantumuis liber, & humanus in se. 103

Ex dictis sequitur solutio multarum quæstionum, an scilicet hoc vel illud opus sit peccatum contra iustitiam, an tantum contra charitatem.

Item sequitur, quod si actio exterior talis 104 sit, vt ex ea plerumque tale damnum tertio sequi soleat, erit peccatum iniustitiæ, etiamsi illud damnum non intendas, mortale, vel veniale, pro ratione negligentiæ; Peccatum autem iniustitiæ non erit, si periculum non aduertisti; vel si aduertisti, præstitisti cautionem necessariam, vel vteris iure tuo.

Prima pars probatur, quia tunc erit voluntarium in causa, nempè in omissione cautionis, & diligentiæ debitæ ex iustitia; sicut subuersio nauis est voluntaria in negligentia gubernatoris debita ex officio.

Secunda pars probatur, quod scilicet non sit maius peccatum, quàm illa negligentia; quia non est voluntarium, nisi ratione negligentiæ: vnde non potest, nisi ratione illius negligentiæ ad culpam imputari; si ergò negligentia sit grauis, erit culpa grauis, seu mortalis, quæ trahet consequenter (vt patet ex dictis) obligationem restitutionis; & in homicidio (si sit Clerici) excommunicationem, & in quocunque homicidio irregularitatem;


etiamsi detur opera rei illicitæ, vt patet ex *c. vlt. de homicid. in 6.* si negligentia sit leuis, erit culpa leuis, seu venialis; si nulla, culpa quoque erit nulla.

Tertia pars patet *ex dictis*; quia tunc damnum, vt potè non præcognitum, non erit voluntarium; atque adeò nec imputabile.

Quarta pars etiam patet *ex dictis*: quia tunc diligentia abstersit periculum.

Quinta pars probatur, quia qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam, quamuis possit peccare contra charitatem; si scilicet parum ipsius intersit illo vti, & alteri exinde magnum damnum sequatur, vt si venas aquarum per tuum prædium currentes, è quibus aqua in puteum vicini influebat, prætextu alicuius operis intercipias; vel si cloacam in prædium alienum aperias, &c.

105 Itaque breuiter, non contrahitur irregularitas, quotiescunque homicidium non est voluntarium, sed fortuitum, seu casuale; vt si per accidens illud sequitur ex causa, quæ non est efficax; vel si actio est talis, ex qua non sequitur vt plurimùm effectus, sed aliundè; Quod etiam verum est, si homicidium, in illa præuidisti, & intendisti, vel si ex ea homicidium sequi solet, non tamen illud aduertisti; vel si aduertisti, sufficientem cautionem adhibuisti, ne sequatur; vel vsus es iure tuo ad tuum incommodum, aut damnum præcauendum, vt patet *ex dictis*.



SECTIO VII.

Quid dicendum, si mandas, vel consulis Petro, vt alium occidat, Petrus autem illum occidit, non ex vi tui mandati, vel consilij?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non contrahitur à mandante, vel consulente Petro, vt alium occidat non ex vi mandati, vel consilij; sed quia semel sic decreuit, aut ex alio nouo motiuo, & cur*
2. *Irregularitas non contrahitur à mandante, vel consulente mutilari aliquem, licet in effectu ille mutiletur ex vi tui mandati, aut consilij, quia irregularitas non contrahitur nisi sit in iure expressa, & textus expressus non reperitur de mandante vel consulente mutilationem.*
3. *In pœnis non valet argumentum à pari, vel simili, quin neque à fortiori, seu à maiori ad minus.*
4. *Irregularis non est mandans, vel consulens mutilationem ad auertendum homicidium, quod alioquin certò moraliter secutum fuisset.*
5. *Irregularis non est consulens mortem mitiorem ad auertendam mortem duriorem.*




Respondetur *ex dictis*; neque contrahitur irregularitas, si mandas, vel consulis Petro, vt alium occidat; Petrus autem illum occidit, non ex vi tui mandati, vel consilij, sed quia semel sic decreuit, aut ex alio nouo motiuo, &c. nam cùm tuum mandatum, vel consilium datum in tali casu non influat in homicidium; sed solum sit illius occasio, homicidium non est, neque dicitur tibi voluntarium. Atque ita docet præter alios Coninch. *disp.* 14. *num.* 180. 1

Vbi aduerte, probabiliter contra communem Doctorum opinionem, cum Corneio *in* 3. *p. tract.* 5. *de irregul. disp.* 2. *dub. vn. q.* 5. *num.* 3. & Præpos. *in* 3. *p. q.* 5. *de irregul. dub.* 9. *num.* 64. quod neque sis irregularis, si mandes, vel consulas mutilari aliquem, & in effectu ille mutiletur ex vi tui mandati, vel consilij. Ratio, quia non contrahitur irregularitas, si non sit in iure expressa, at expressus textus de mutilationis mandato, vel consilio non reperitur, ergo; &c. 2

Nec valet, si dicas, qui consulit homicidium, quod in effectu sequitur, est irregularis; ergo & qui consulit mutilationem, quæ in effectu sequitur, erit etiam irregularis: nam in pœnis non valet argumentum à pari, vel simili; quin neque à fortiori, seu à maiori ad minus. 3

Sed quidquid sit de hac opinione, illud tamen cum Corneio, & Præposito contra communem apud omnes in confesso est, quod non sis irregularis, si mandes, vel consulas mutilationem ad auertendum homicidium, quod alioquin certò moraliter secutum fuisset. Ratio, quia in tali casu non peccas; quapropter neque irregularis es, si consulas mortem mitiorem ad auertendam mortem duriorem: præsertim, quia tunc non causa mortis es, sed potius, vt pars supplicij dematur, qui misericordiæ, non seueritatis actus est. Vide Doctores, quos refert Sayr. *de censib. lib.* 7. *c.* 3. *nu.* 13. Vide etiam Corneio, *vbi supra* & Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *num.* 4. 4 5



SECTIO VIII.

Quid dicendum, si bona fide amicum rixantem associes, ne in rixa periclitetur, & is inimicum suum occidit?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non contrahitur ab associante bona fide amicum suum rixantem ne in rixa periclitetur, licet is inimicum suum occidat,*

dummodò per hoc non animetur associatus ad inimicum suum occidendum.

2. *Irregularis non est is, qui bono animo tenebat ensem euaginatum in manu sine vlla læsione, quamuis alius percussus à fratre illius in rixa postea mortuus sit.*

1 RESpondetur ex dictis, Neque contrahitur irregularitas, si bona fide amicum rixantem associes, ne in rixa periclitetur, & is inimicum suum occidit: dummodò tamen non videas per hoc amicum associatum à te animare ad inimicum suum occidendum: quia tunc verè influis in homicidium, & sic censeris verè causa homicidij. Atque ita docent Henriq. *lib.* 13. *c.* 16. *num.* 1. Auila *p.* 3. *disp.* 6. *sect.* 3. *concl.* 1. Præpos. *in* 3. *p. q.* 5. *de irregul. dub.* 8. *num.* 65.

Vide etiam Nauarr. *consil.* 32. *de homicidio*, vbi docet, non esse irregularem eum, qui
2 bono animo tenebat ensem euaginatum in manu sine vlla læsione, quamuis alius percussus à fatre illius in rixa postea mortuus sit.

SECTIO IX.

Quid dicendum, si cum sis Aduocatus rei, illum defendis in iudicio, & ex accidenti sequitur mors accusatoris?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non contrahitur ab Aduocato defendenti reum in iudicio, si ex accidenti sequatur mors accusatoris dummodò tamen pœnam talionis contra accusatorem non postulauerit.*
2. *Aduocatus rei etiam si obijciat in eius defensione crimen accusatori propter quod conuictus puniatur pœna mortis, non fit irrigularis, dummodo tamen præmittat protestationem citra sanguinis præiudicium.*

1 RESpondetur ex dictis; neque contrahitur irregularitas, si cùm sis Aduocatus rei, illum defendis in iudicio: & ex accidenti sequitur mors accusatoris; dummodo tamen pœnam talionis contra accusatorem non postulaueris; atque ita docent Turrian. *de censf. lib.* 9. *disp.* 66. *dub.* 3. & Præpos. *in* 3. *p. q.* 5. *de irregular. dub.* 13. *num.* 104. vbi ait, Aduocatum patrocinantem reo non fieri irregularem, si accusator deficiens in probationibus morte puniatur, dummodò in progressu non censeatur eum impetere, crimina obijciendo; si tamen id necessarium non sit ad defensionem rei grauiter peri-
2 clitantis: alioquin enim verisimile est, Aduocatum rei in eo casu etiam obijcientem accusatori crimen, non fieri Irregularem, dummodò tamen præmittat protestationem citra sanguinis præiudicium.

SECTIO X.

Quid dicendum, si prabeas alteri arma, sciens, illa esse etiam ad iniustè occidendum?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non contrahitur à præbente alteri arma, etiam sciente illa esse ad iniustè occidendum.*
2. *Irregularitas non contrahitur à præbente alteri arma ad iustè occidendum, vt ad bellum iustum, ad iustam mortis sententiam exequendam.*
3. *Irregulares non fiunt vendentes, mutuantes, vel donantes arma militibus ad bellum iustum, quamuis præbeant arma offensiua in ipso conflictu belli, & quamuis præbens sit Clericus in sacris, dummodo proprijs manibus in bello non occidat, & non sit minister iustitiæ.*



Espondetur ex dictis; Neque contrahitur irregularitas, si præbeas alteri arma, sciens illa esse, etiam ad iniustè occidendum; quia causa occisionis non sunt arma, quæ ex se sunt indifferentia ad occisionem, & defensionem; & quibus occidens posset bene vti, si vellet; sed causa occisionis verè est voluntas abutentis armis: & sic præbens arma non est causa, sed solum occasio occisionis: quapropter non peccat contra iustitiam, sed solùm contra charitatem. Atque ita contra Sayrum *lib.* 7. *c.* 4. Auilam *disp.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. docet Hurtad. *de irregular. diffic.* 8. qui excipit, si illa præbeas ex intentione homicidij, quia tunc moraliter censeris causa homicidij. At oppositum adhuc non improbabile esse videtur colligi ex ijs, quæ *supra* dicebantur; nempè quod si opus externum per se non est iniustum, intentio non facit illud iniustum.

At quidquid sit de hoc, illud tamen dicendum videtur, quod si præbeas ad iustè occidendum, vt ad bellum iustum, ad iustam mortis sententiam exequendam, &c. non sis irregularis; sicuti rectè contra Silu. *verb. homicid.* 3. Henriq. *lib.* 13. *c.* 12. *num.* 4. *in gl. lit. N.* Suar. & alios docent Turrian. *de censur. lib.* 9. 2

disp. 68. *dub.* 1. & Auila *p.* 7. *disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. vbi ait.

3 *Ex dictis* sequitur, quod vendentes, mutuantes, vel donantes arma militibus ad bellum iustum, non manent irregulares; & hoc intelligo, quamuis quis præbeat arma offensiua in ipso conflictu belli; & quamuis, qui præbet, sit Clericus in sacris: sufficit enim in tali casu Clericus non fiat irregularis, si proprijs manibus in bello non occidat, & ipse in persona non sit minister iustitiæ, seu minister Principis ad iustam vindictam de inimicis eius sumendam,




SECTIO XI.

Quid dicendum, si ex tua omißione mors alterius sequatur?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas neque contrahitur si ex tua omißione (cum poßis scilicet & debeas non omittere ex charitate) mors alterius sequatur v. g. mors ægroti eo quod ei non subueneris in extrema neceßitate.*
2. *Quis cum tenetur non ex iure alterius impedire ne eueniat aliquod malum, sed ex debito charitatis non censetur in morali æstimatione influere in effectum, qui ex omißione ipsius sequitur; censetur tamen interpretatiuè illum velle, quia imputatur ei, non quidem vt causæ sed vt volenti, & ideò mors secuta non imputatur omittenti.*
3. *Irregularitas est annexa homicidio voluntario, at in casu recensito homicidium non dicitur voluntarium, sed volitum.*

1 Respondetur *ex dictis*; Neque contrahitur irregularitas, si ex tua omissione (cum possis scilicet, & debeas non omittere ex charitate) mors alterius sequatur, v. g. mors ægroti, ex eo, quod ei non subueneris in extrema necessitate. Ratio, quia, cùm non debeas subuenire ex iustitia, sed solum ex charitate, talis mors (vt docent communiter Theologi *in* 1. 2. *q.* 6.) non dicitur tibi voluntaria, sed solum volita; seu non imputatur tibi: sed solum vt volenti. Et ratio est, quia cùm debitum sit duplex; vnum legale, & iustitiæ propriè dictæ, alterum commune, & genericum omnium virtutum: in debito legali, seu iustitiæ, debitum oritur ex iure, quod alius habet circa talem, vel talem rem: in debito verò charitatis v. g. aut temperantiæ, &c. non oritur debitum ex iure alterius: & sic in casu nostro necessitatis proximi tenetur quis subuenire non ex iure, quod proximus habet ad talem subuentionem, sed ex præcepto charitatis, quo tenemur vitare graue malum proximi semper, quando possumus sine nostro magno incommodo; vnde fit, vt mors secuta ex omissione contra debitum iustitiæ imputetur omittenti, tanquam causæ mortis: in morali enim æstimatione censetur influere in effectu, 2
qui violando ius alterius contrahit, quod ex tali iure tenebatur impedire, & non curat talem effectum: contra verò cùm quis tenetur non ex iure alterius, sed ex debito charitatis, non censetur in morali æstimatione influere in effectum, qui ex omissione ipsius sequitur; censetur tamen interpretatiuè illum velle, quia imputatur ei, non quidem, vt causæ, sed vt volenti, & ideo mors secuta ex omissione contra præceptum charitatis, non imputatur omittenti, vt voluntaria; quia *ly voluntarium* dicit influxum, saltem moralem, atque adeò rationem causæ, sed imputatur, vt volita, & ideò etiam peccat mortaliter: quare in tali casu non eris irregularis, quamuis in eo pecces mortaliter, nempè contra præceptum charitatis; quia irregularitas est annexa homicidio 3
voluntario, hoc autem non est tibi voluntarium, sed volitum, quia in morali æstimatione non censetur causa euentus orti ex omissione, nisi qui habet debitum iustitiæ de non omittendo, vt *supra* dicebatur.



SECTIO XII.

Quid dicendum, si ex tua omißione mors alterius sequatur, & tu omittas ex dolo, cùm non omittere tenearis, etiam ex iustitia?


SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non incurritur probabiliter etiam ab eo, qui non impediat homicidium, vel mutilationem etiam ex dolo, cum poßit, & teneatur impedire etiam ex iustitia, quia is non est causa positiuà homicidij positiuè influens in illud.*
2. *Irregularis neque est non impediens occidentem, vel mutilantem, quem tenetur impedire ex iustitia, si ille occidat, vel mutilet etiam ad vindicandam iniuriam sibi illatam, & is non contradicat; quia neque influit positiuè in talem actum.*

Respondetur *ex dictis*, quod satis probabiliter neque contrahitur irregularitas, si non impedias homicidium, vel mutilationem (etiam ex dolo) cùm possis, & tenearis impedire, etiam ex iustitia, sicuti docent S. Anton. 3. *part. tit.* 28. *c.* 2. Tabien. *verb. irregularitas*,

1. §. 2. Vasq. quem refert, & sequitur Hurtadus *diffic. 9.* Ratio, quia licet in tali casu sis causa moralis homicidij, moraliter influens in illud, ita vt sit tibi voluntarium, & sic obligationem restitutionis contrahas, vt *supra* dicebatur; non tamen es causa positiua homicidij, positiuè influens in illud; v. g. per opus, auxilium, consilium, iussum, aut animationem, &c. at hoc ex iure videtur requiri ad irregularitatem contrahendam, vt patebit ei, qui Canones contemplabitur, ergo &c.

2 Vnde vlterius sequitur, quod si non impedias occidentem, vel mutilantem, quem tenearis impedire ex iustitia; & ille occidit, vel mutilat etiam ad vindicandam iniuriam tibi illatam, & tu non contradicas; neque etiam eris irregularis propter eamdem rationem, quia adhuc scilicet non influis positiuè in talem actum. Vide Hurtad. *vbi supra.*



SECTIO XIII.

Quid dicendum, si positiuè influas in homicidium, vel mutilationem, at influendo non pecces mortaliter?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non contrahitur ab influente positiuè in homicidium, vel mutilationem, dummodo influendo non peccet mortaliter, vt si infirmum vertens de latere ad latus, &c.*
2. *Irregularitas ex homicidio (idemque dico de mutilatione) non incurritur ex concursu ad illum, nisi vel iustè factum à ministro publico (qualis est Iudex Assessor, fiscalis Denunciator, Accusator, Aduocatus, Procurator, Testis, Tabellio, qui torquendo exprimit confessionem Rei, qui dictat, scribit, publicat literas pro vindicta sanguinis destinatas, sententiæ executor, eiusque cooperatores, ac satellitum Comitatus.*
3. *Irregularitas incurritur ab illo, qui criminosum iudici tradit, si postea iusto supplicio afficiatur, defectu lenitatis, vel incurritur à persona priuata iniustè occidente.*
4. *Irregularitas non incurritur à vendente, donante, & deferente ligna ad reum comburendum, vel deferente gladios, funes, & alia instrumenta, vel etiam fabricatur furcam, applicat scalam ad reum interficiendum.*
5. *Irregularitas non incurritur à Confessario, vel altero consulente pœnitenti, iudici, vel cuilibet alteri in casu particulari quod concurrat citius, vel etiam simpliciter ad Rei interfectionem.*
6. *Irregularitas non incurritur à quocumque alio, qui quocumque alio modo Rei mortem accelerat (vt si dicat ei, qui est plectendus quod scalam citius ascendat, & ideò citius ascendit, vel quod caput supponat ad excipiendum ictum, & ideo citius supponit, vel alio modo breuiori consulat mortem carnifici, &c.*
7. *Textus loquens de irregularitate ex homicidio defectu lenitatis, loquitur tantum de ministris iustitiæ, & iis, qui iudicialiter tanquam personæ publicæ concurrunt ad causæ probationem, vel iustitiæ executionem.*
8. *Irregularitas non incurritur à Clerico, vel Laico legenti literas missas alicui ad aliquem capiendum secuta morte.*
9. *Irregularitas non incurritur à Clerico si spectandi causa assistat, dum reus supplicio afficitur, modo non cum auctoritate præsentiam exhibeat.*
10. *Clericum in ordinibus maioribus constitutum non decet inter alios spectare supplicium Rei, ne curiositatis vitio notetur, nisi velit reum consolari, vel modum consolandi ab alio Sacerdote, cuius lateri extra Turbam se adiungere poterit, addiscere.*
11. *Irregularitas non incurritur à Confessario denegante absolutionem iudici, nisi officio satisfacere, & reum reipublicæ noxium morti adiudicare proponat, item hortante reum vt crimen dignum morte fateatur cum legitimè interrogetur, &c.*



Respondetur *ex dictis*, quod satis probabiter neque contrahitur irregularitas, etiamsi positiuè influas in homicidium, vel mutilationem, at influendo non pecces mortaliter, vt si infirmum vertens de latere ad latus, vel transportans de loco ad locum vel ei cibum & potum porrigens, causa sis præter tuam intentionem, vt eius mors sequatur, vt contra Comitolum *lib. 6. qu. 52. num. 2.* tradunt Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 102.* Megal. *in 3. part. lib. 7. cap. 1. quæst. 5. num. 56.* Filliuc. *tom. 1. tract. 19. cap. 10. num. 278.* qui alios citat. 1

Cùm igitur irregularitas ex homicidio (idemque dico de mutilatione) non incurratur ob concursum ad illud, nisi vel iustè factum à Ministro publico (qualis est Iudex, Assessor, Fiscalis, Denunciator, Accusator, Aduocatus, Procurator, Testis, Tabellio, qui torquendo exprimit confessionem rei, qui dictat, scribit, signat, publicat litteras pro vindicta sanguinis destinatas, sententiæ executor, eiusque cooperatores, ac satellitum comitatus; qua de re vide, *c. aliquantos dist. 51.* Abb. & Doctores *in c. sententiam, ne Clerici, vel Monachi*, S. Antonin. *3. part. tit. 28. cap. 2.* Henriq. *lib. 14. cap. 12.* Auil. *par. 6. disp. 5. sect. 2. dub. 1.* Sà *verb. irregularitas ex deform. lic.* Nauarr. *cap. 27. num. 212.* & in *c. periculosè d. 1. de Pœnit. ad fin.* & Gl. quæ iuncto textu *in c. vnum 23. quæst. 5.* subdit, irregularem etiam fieri illum, qui criminosum iudici tradit, si postea iusto supplicio afficiatur) defectu lenitatis, vel iniustè factum à persona priuata, ratione delicti. 2 3

Sequitur, quòd irregularitatem probabiliter non contrahat, qui vendit, aut donat, de-

4 fert ligna ad reum comburendum, vendit, aut donat, defert gladios, funes, & alia instrumenta, vel etiam fabricatur furcam, applicat
5 scalam ad reum interficiendum; nec confessor, vel alter consulens pœnitenti, Iudici, vel cuilibet alteri in casu particulari, quòd concurrat citius, vel etiam simpliciter ad rei interfe-
6 ctionem; nec quiuis alter, qui quocumque alio modo rei mortem accelerat (vt si dicat ei, qui est plectendus, quòd scalam citius ascendat, & ideò citius ascendit; vel quòd caput supponat ad excipiendum ictum, & ideò citius supponit; vel si dicat carnifici, quòd aliquid aptet, quo citius reus occidatur; vel si dum reus ad supplicium ducitur, dicat, quòd eatur per viam breuiorem, vel motu velociori, vel acceleret quocumque alio mòdo executionem iustitiæ, monendo, horam esse tardam, vel nimis populum detineri, vel reum periculo spirituali per talem longam detentionem exponi, &c.) aut in Rei mortem quoad substantiam influit; vt si dicat in particulari, adesse obligationem occidendi reum, vel detegat malefactorem, clamet adesse latronem, vt comprehendatur (nisi id faciat, qua accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel qua minister iustitiæ) vel procuret à Principe indultum alicui bannito, qui ex tali indulto ad immunitatem consequendam alium bannitum occidit: ita (& si contrà communem sententiam Doctores) docent ex Vasq. Turrianus *in 2. 2. tom. 1. disp. 93. dub. 2. de censur. lib. 9. disp. 66. dub. 3.* & Hurtad. *disp. 2. de irregular. diffic. 11. num. 39.* qui rectè respondit ad c. tua nos de homicid. & ad alia iura, quod hæc iura, cùm imponunt irregu-
7 laritatem ex homicidio defectu lenitatis, loquantur tantùm de ministris iustitiæ, & de ijs, qui iudicialiter, tanquam personæ publicæ, concurrunt ad causæ probationem, vel iustitiæ executionem; sicque non sint extendenda ad alios, qui se habent extraiudicialiter, tanquam personæ priuatæ.

Probatur ex dictis; quia in prædictis casibus incurri potest irregularitas, vel ex homicidio iniusto, vel ex defectu lenitatis; non primùm, quia suppono, prædictas personas non peccare; non secundum, quia non operarantur, vt ministri iustitiæ, ergo ex nullo capite irregularitatem incurrunt.

Confirmatur, quòd Confessarius, vel alius Doctor non incurrat irregularitatem (etiamsi respondeat in particulari, adesse obligationem occidendi reum) quia non est ius, ex quo colligatur, non incurri irregularitatem, si interrogatus respondeat, adesse obligationem seruandi leges; & incurri, si dicatur, adesse obligationem occidendi reum: nam reuera, consideratis circumstantijs rerum, vtraque responsio eumdem effectum operatur: consultus enim homo euoluens illam inuolutam responsionem de obligatione legis in communi, planè intelligit, sibi dari consilium de occisione iusta in particulari: neque apparet caput, vti dicebam, in quo liceat responsio illa confusa de obligatione seruandi legem in communi, & non expressa de obligatione seruandi talem legem in particulari, imponentem scilicèt pœnam homicidij; Et quidem valdè seuerè cum Confessore, vel Doctore ageretur, si propter responsionem de obligatione expressa in prædicto casu, irregularitas imponeretur. Adde quòd, vt *supra* etiam dicebam, illi solum incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, qui vel sunt necessarij ad causam iudicialem, vel assistunt, vt ministri ad executionem mortis; at tales non sunt in casu nostro Confessor, & Consultor casuum conscientiæ; ergo non incurrunt irregularitatem, etiamsi expresse respondeant in casu particulari, Iudicem, vel alium esse obligatum ad occidendum reum. Vide Gl. *c. ex literis verb. consuluit de excess. Prælat.* & Molin. *tract. 3. disp. 74.*

Sequitur secundò, quod (si Titio missæ sint litteræ, quibus contineatur, vt reum capi iubeat, easque litteras sibi à Clerico, vel Laïco legi iubeat) neq; lector cōtrahat irregularitatem, secuta morte rei; tùm ob dictas rationes; tùm quia talis lector non est causa mortis propinqua, & per se, sed valdè remota, & per accidens, quidquid in contrarium dixerit Abb. *in cit. c. sententiam, num. 14.* 8

Sequitur certiò, quòd neque Clericus contrahat irregularitatem, si spectandi causa assistat, dum reus supplicio afficitur; tùm ob easdem rationes; tùm quia ne remotè quidem talis Clericus ad Rei mortem, vel mutilationem concurrit (modò cum authoritate præsentiam non exhibeat, vt dicam *infra sect. 18.*) 9
Non decet tamen Clericum in Ordinibus maioribus constitutum, inter alios spectare supplicium Rei, ne curiositatis vitio notetur; sin verò & ipse reum consolari velit, vel modum consolandi ex Sacerdote (cui talis cura commissa est) addiscere, tunc se extra turbam lateri eius adiungat. 10

*Sequitur quartò, quòd neque Confessarius (vt fatetur etiam Molin. *tract. 3. disp. 74.* Auil. *par. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6.* & Suar. *tom. 5. disp. 47. sect. 2.*) contrahat irregularitatem; sed possit absolutionis beneficium denegare, nisi officio satisfacere, & reum Reipublicæ noxium morti condemnare proponat: Item possit hortari reum, vt in iudicio fateatur crimen morte dignum, cum iuridicè interrogatus, ad confitendum illud obligatur. Auil. *dub. 7.* & Henriq. *cap. 16. num. 4. litt. B.* non enim videtur, voluisse Ecclesia irregularitatis obicem ponere, quominus DD. & Confessarij munere suo rectè fungi possint. Vide etiem *sectione sequenti.* 11



SECTIO

SECTIO XIV.

Quid dicendum, si occidas, vel mutiles in defensionem vitæ, honoris, aut bonorum propriam, aut alterius innocentis?

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non contrahitur ab occidente, vel mutilante in defensionem vitæ, honoris, vel bonorum propriam, vel etiam in defensionem bonorum honoris, vel vitæ alicuius innocentis, aut ne is mutiletur, grauiter vulneretur & c. priuata autem persona, (ad differentiam personæ publicæ, seu ministri iustitiæ.)*
2. *Irregularitas vt incurratur requiritur peccatum mortale, ita vt non sufficiat peccatum veniale.*
3. *Idem procedit in omnibus censuris, & in specie in suspensione docet Henriquez, ita vt quotiescumque ignorantia iuris, vel facti excusat hominem a peccato mortali, excuset etiam ab irregularitate, excommunicatione, suspensione, interdicto, cæterisque censuris, & pœnis omnibus ob delictum impositis contra Caietanum, & alios.*
4. *Textus in clementia vnica de homicidio explicatur.*
5. *Irregularis aliquis non est in casu de quo agitur nisi influat in homicidium, & influat positiuè, & influat iniustè mortiferè, seu nisi influat positiuè in homicidium iniustum mortiferum, nisi in casu quod influat vt persona publica, seu vt minister iustitiæ, quia tunc irregularis est defectu lenitatis.*
6. *Referuntur plures casus, in quibus irregularitas non contrahitur superius etiam recensiti iuxta numerum septimum sequentem.*
7. *Occidens, vel mutilans hominem ob necessariam vitæ vel corporis sui defensionem, non contrahit irregularitatem.*
8. *Occidens, vel mutilans etiam si Clericus sit ob necessariam vitæ, vel corporis sui defensionem iniustum Reipublicæ, vel hominis innocentis inuasorem cum ex lege naturali, & diuina ad talem necessariam defensionem obligatur.*
9. *Irregularis non est qui in bello defensiuo ad liberandam Patriam, vel Ecclesiam ex obligatione charitatis, vel pietatis hostem mutilat, vel occidit, irregularitatem euitat.*
10. *Irregularitas contrahitur ab occidente, vel mutilante iniquum aggressorem ob defensionem famæ (quia v. g. fugere indecorum esse videtur) vel furem ob defensionem rerum.*
11. *Irregularitas vt incurratur ex defectu lenitatis, non requiritur culpa, sed sufficit si sponte quis occiderit, mutilauerit.*

Respondetur *ex dictis*, quod etiam probabiliter neque contrahas irregularitatem, si occidas vel mutiles in defensionem vitæ, honoris, vel bonorum tuorum non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, ita communiter Doctores & *Clement. si furiosus, de homicidio*. Ratio est tum quia huiusmodi actio non censetur iniusta, nec huiusmodi homicidium reputatur voluntarium, sed necessarium. 1

Nec etiam fies irregularis si occidas vel mutiles alium in defensionem bonorum, honoris, & vitæ alicuius innocentis, aut, ne is mutiletur, vel occidatur, aut grauiter vulneretur, dummodo agas vt priuata persona, ad differentiam publicæ personæ vel ministri iustitiæ, Ita Petr. Nauarr. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 409. Suar. *disp.* 46. *sect.* 3. Reginald. *tom.* 2. *tit.* 1. *c.* 5. *num.* 60. Coninch. *num.* 88. *concl.* 2. & 3. Filliuc. *num.* 106. & *seqq.* contra Nauar. *nu.* 203. Moiel. *lib.* 5. *c.* 8. Vgol. *c.* 32. *num.* 2. Tolet. *lib.* 1. *c.* 76. *num.* 1. & alios. Ratio est, quia ad incurrendam irregularitatem ob priuatum homicidium, requiritur culpa homicidij, in his autem casibus non est culpa homicidij, cùm licitum sit, vim vi repellere, non solum ob propriam defensionem, verum ad defensionem proximi etiam extranei maximè innocentis.

Adde quod vt aliquis fiat irregularis ex delicto requiritur culpa mortalis, Ita vt non sufficiat peccatum veniale ad incurrendam irregularitatem Nauarr. 27. *num.* 249. Sotus *de iustitia q.* 1. *art.* 1. Auila *dub.* 3. Salon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *contr.* 4. sub finem. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. Suar. *disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 19. Henriq. *lib.* 14. *c.* 3. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 4. *nu.* 27. Filliuc. *q.* 8. *num.* 14. Reginald. *lib.* 30. *num.* 201. contra Caiet. & aliòs. Ratio est, quia cum omnis irregularitas quæ ob delictum incurritur, sit pœna grauissima, non debet incurri ob leue seu veniale peccatum, pœna etenim debet proportionari delicto, *dixi ex delicto* quia ad incurrendam irregularitatem ex defectu, nulla videtur esse culpa necessaria, vt patet ex multis irregularitatibus, quæ ex defectu contrahuntur, vt dicetur *infra* de ministris iustitiæ, qui fiunt irregulares, sine culpa aliqua, sed tantum ex defectu lenitatis seu mansuetudinis, vti dicunt communiter Doctores. 2

Idem procedit in omnibus censuris, excommunicationis, suspensionis, interdicti, cæterisque censuris & pœnis ob delictum impositis generatim, & in specie in suspensione, vti docet Henriq. *loc. cit.* itavt quotiescumque ignorantia iuris vel facti, vel etiam pœnæ excusat hominem à peccato mortali, etiam excusat ab irregularitate, excommunicatione, suspensione, interdicto, cæterisque censuris & pœnis omnibus ex delicto impositis, vti docent Vgol. *c.* 14. §. 20. *num.* 9. Auila *p.* 7. *disp.* 2. *dub.* 1, Suar. *loc. cit. num.* 18. Filliuc. *num.* 21. Reginald. *num.* 15. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 4. *num.* 19. Sanch. & Nauarr. *locis supra citatis*, contra Caietan. & alios vt patet exem- 3

plo hominis qui percusserit vel occiderit Clericum ad defensionem proximi etiam externi, siquidem ille occidens, percutiens vel mutilans Clericum nec incurrit excommunicationem, vti communiter tradunt Doctores cum Innoc, *in cap. si verò de sent. excommunicat.* nec etiam fit irregularis occidens alium ad defensionem proximi, licitum enim est in hoc casu argumentari à simili, vti testatur Bonac. *prop.* 3. *num.* 11. *punct.* 6. *q.* 4. *disp.* 7. cum ista irregularitas non incurratur sine peccato sicut nec incurritur excommunicatio.

4 Nec obstat *Clement. vnica si furiosus* de homicid. in qua dicitur, *nullam irregularitatem incurri ex hoc quod quis mortem vitare non valens suum occidit vel mutilat inuasorem*, quod expresse ibi dicatur tantum, illum non esse irregularem qui occidit vel mutilat alium ad vitæ suæ defensionem nec valet resistere quia forsan inangulatus, vel sic arctatus est, quod fugere non possit, nec se iuuare clamore, vel aliter, vt *gloss. ibid.* nec ideo asserit illum esse irregularem, qui occidit vel mutilat alium ad defensionem proximi, quem tenetur defendere, non ratione muneris suscepti. sicut iudex, sed alia ratione, vti principem, vel personam publicam, vti patrem, matrem, filium, filiam, coniugem & quos aliter iuuare non potest, nec enim valet argumentum hoc in hac materia pœnali, vel odiosa, præsertim irregularitatis pœna quæ nec incurritur, nisi sit iure expressa. vti docent Filliuc. 4. 7. *c.* 28. Suar. & alij non pauci.

5 Quocirca irregularis aliquis non est in casu de quo agitur, nec qui tradit arma inuaso, vt se defendat, licet inuasor occidatur, vel mutiletur, vel grauiter vulneretur ab inuaso, nisi influat in homicidium positiuè, & in homicidum iniustum & mortiferum, & influat iniustè & mortiferè, vel vt persona publica, seu vt minister iustitiæ, vti dicebam *supra*, quia tunc irregularis esset ex defectu lenitatis seu, mansuetudinis inferendo mortem seu mutilationem alicui, vt patet *ex supra dictis*, quamuis contrarium sentiat Vgol. *c.* 32. §. 6. *num.* 2.

6 Similiter non ligatur quis irregularitate qui ex zelo charitatis in reum rogat ministros iustitiæ seu carnifices, ne nimium in tormentis torqueant reum & vitam eius in pœnis detineant sed citò reum occidant (dummodò non consulat, vt Assessor; quia tunc se habet, vt persona publica, non priuata) nec petens, à iudice priuatim, seu extra iudicium (ad differentiam eius, qui petit publicè, seu in iudicio, aut iuridicè) vt reum ad mortem condemnet; nec qui suadet, (etiam Clericus dummodò manibus proprijs non mutilet, vel occidat) vt hic, vel ille hostis numero occidatur in bello iusto, quamuis offensiuo: hinc enim non est minister iustitiæ, sed animat tantùm ministros iustitiæ ad iustam mortem exequendam: quod non est illicitè cooperari, nec cooperari, vt ministrum publicum, sed vt personam priuatam: Canones autem, cum loquantur de irregularitate, quæ contrahatur defectu lenitatis, loquuntur tantùm de iudicibus, & ministris iustitiæ, & de ijs, qui concurrunt ad causæ probationem, vt Aduocatus, Notarius, accusator, & testis; vel de ijs, qui concurrunt ad pœnæ executionem, vt carnifex, &c. Ergo dicta irregularitas non est extendenda ad alias personas; nam pœnæ potius sunt restringendæ, quàm ampliandæ; licet sit eadem, quin fortior ratio, vt *supra* dicebam.

Hæc dixerim disputando, & quidem non improbabiliter; vt sequendo opinionem communem probabiliorem.

Dico primò: Qui ob necessariam vitæ, vel corporis sui defensionem hominem occidit, vel mutilat, non contrahit Irregularitatem; ita expresse habetur *cit. Clement. vnic. de Homicid.* 7

Dico secundò: Neque contrahit irregularitatem, qui etiam Clericus iniustum Reipublicæ, vel hominis innocentis inuasorem mutilat, vel occidit, cùm ex lege naturali, & diuina ad talem necessariam defensionem obligatur; Ita contra Caiet. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 2. & Nauarr. *cap.* 15. *num.* 2. *& cap.* 27. *num.* 213. docent Syl. *verb. bellum* 3. *quæst.* 2. Couarr. *par.* 3. *Clem.* §. *vn. num.* 5. Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 109. & Auila *disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 5. 8

Probatur, quia irregularitas non contrahitur, nisi ex homicidio spontaneo, quale non est illud, de quo loquimur, cùm non omninò sponte, sed cogente legis necessitate fiat.

Secundò quia irregularitas ex homicidio licito contrahitur defectu lenitatis, qui non interuenit, vbi charitas, vel iustitia per se, & simpliciter obligat ad occidendum aggressorem Reipublicæ, vel innocentis; ne vnam virtutem cum alia pugnare, dicere cogamur.

Dixi *per se, & simpliciter*, quia iudicem, & carnificem obligat quidem lex iustitiæ ad reos occidendos, sed ex suppositione muneris ab ipsis spontè suscepti, ideóque hi irregularitatem contrahunt.

Tertiò, quia non videtur velle Ecclesiam inferre irregularitatem homini ex eo, quod legem naturalem seruauit, & à morte spirituali animam suam liberauit; nam hoc non esset aliud, quàm auertere hominem ab obseruantia præceptorum Dei.

Hinc, qui in bello defensiuo ad liberandam patriam, vel Ecclesiam ex obligatione charitatis, vel pietatis hostem mutilat, vel occidit, iregularitatem euitat. Non obstat, *c. petitio, de homicid.* vbi infra *sect. seqq.* dicetur. 9

Dico tertiò, contrahit autem irregularitatem, qui mutilat, vel occidit iniquum aggressorem ob defensionem famæ (quia v. g. fugere indecorum esse videtur) vel furem ob defensionem rerum. 10

Prior pars colligitur ex sensu contrario Clement. si furiosus, *Qui mortem aliter vitare non valens*, &c. ergo si mortem fuga declinare potest, irregularis efficitur, vt notat *gloss. ibi.* Abb. *in c. olim.* 1. *de restit. spoliat. num.* 18. Syl. *verb. excommunicatio* 6. *quæst.* 9. Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 7. *num.* 4. *de homicid.* & Auila *disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. contra Couarr. Petr. Nauarr. Castr. & Suar. *locis supra citatis.*

Probatur secundò ratione, quia ad irregularitatem ex defectu lenitatis non requiritur culpa, sed sufficit, si sponte quis occiderit, vel 11

mutilauerit; cum Christianæ charitati, & patientiæ ad Christi imitationem magis conforme sit, iniuriam substinere; excepto casu, si agatur de defensione vitæ; hunc enim canones excipiunt, quod eo minor ibi sit lenitatis defectus, quo maior defendendi vitam necessitas.

Posterior pars patet ex hac ipsa ratione, & fauet *c. suscepimus, de homicid.* ibi, *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum substinere iacturam, quàm pro conseruandis vilibus, & transitorijs rebus tàm acriter in alios exardescere*; & Glos. *in c. 2. eodem tit.* ait, *Irregularis factus est, quia potius debuit dimittere sua, quàm interficere.*

Probatur secundò ratione; quia si ob rerum iustam defensionem occidens irregularitatem non contraheret, neque contraherent, qui vim patientem pugnando adiuuant; sicque irregularitatem non contraherent milites propria manu occidentes in bello iusto defensiuo; cuius contrarium docetur communiter *in c. petitio, de homicid.*

Atque ita tenent Abb. & alij Canonistæ *in c. 2. de homicid.* S. Anton. *in 3. par. tit. 4. cap. 3. §. 2.* Syl. *verb. homicidium 2. qu. 16.* Armill. *verb. irregularitas num. 41.* Nauarr. *cap. 27. nu. 213. & cap. 15. num. 4.* (vbi subdit, id ipsum obseruare stylum Curiæ Romanæ, qui ius facit, iuxta *c. quàm graui, de crim. fals. & c. ex literis, de constitut.*) Mol. *tract. 3. disp. 72.* Henriq. *cap. 11. num. 3. lit. B.* Gutier. *lib. 2. canon. 99. cap. 6. num. 61.* Auil. *disp. 5. sect. 3. dub. 4.* & alij communiter contra Couarr. Petr. Nauarr. Castr. & Suar. *loc. supra cit.* quorum doctrina defendi potest, saltem si famæ, honoris, vel bonorum defensio alicui necessaria sit ad vitam suam, vel suorum, vel ad aliud eximium bonum consequendum; vt vel ineuitabilis necessitas appareat, vel consilij, maiorisque virtutis opus esse videatur; occidere, quàm iacturam pati; ne fateri cogamur, canonica lege Clericos à virtutis opere impediri; præsertim quia ex dictis in principio lectionis facile responderi potest ad fundamenta huius communis posterioris opinionis.



Del Bene, p. Tars.

SECTIO XV.

Quid dicendum, si Clericus pugnet, & occidat in bello iusto defensiuo? Vbi etiam de offensiuo.

SVMMARIVM.

1. *Irregularitas non incurritur etiam à Clerico pugnante, vel occidente in bello iusto defensiuo (vt ad liberandam Patriam, Ecclesiam &c. sicuti & ad liberandum quemlibet innocentem.*
2. *Textus in cap. petitio, de homicidio habet locum quando necessitas non vrget, at secus in aliquo casu ineuitabilis necessitatis.*
3. *Irregularitas non contrahitur à quocumque in bello iusto etiam offensiuo sua præsentia pugnantibus animum addente, vel aliud auxilium præstante, si neminem manu propria occidat, vel mutilet.*
4. *Irregularitas contrahitur ab occidentibus, vel mutilantibus proprijs manibus in bello offensiuo defectu lenitatis, sic in bello iniusto contrahitur ex delicto.*

Respondetur *ex dictis*, quòd in bello iusto defensiuo (vt ad liberandam Patriam, Ecclesiam, &c. sicuti & ad liberandum quemlibet innocentem) potest etiam Clericus, sine irregularitate pugnare, & occidere, vt deducitur *ex c. 2. de immunitat. Eccles.* Et ratio est; quia talis actus est actus charitatis, aut pietatis. 1


Neque obstat *c. petitio de homicid.* vbi Clericus irregularis iudicatur, si in bello contra hostes fidei Catholicæ aliquem interficiat; cuius constitutionis ratio est, quia Clericos, præsertim qui in sacris sunt, plerumque non conuenit in publico bello defensiuo propria manu pugnare; quia per alios; videlicet Laicos, vis, & iniuria depelli potest, ait Abb. *ibidem*, & docet Silu. *verb. homicidium 3. quæst. 6.* 2

Respondetur enim, id verum esse, quando necessitas vlla non vrget; at secus dicendum est, si in aliquo casu ineuitabilis necessitas sit; quia scilicet aliter Ecclesia, vel Patria, vel etiam innocens ab iniustis inuasoribus liberari non possit, sicuti ex communi notauit Abb. *loc. cit.* & Sylu. *verb. Bellum. 3. quæst. 2.*

His adde, quod neque quicumque in bello iusto, etiam offensiuo, sua præsentia pugnantibus animum addunt, vel aliud auxilium præstant, si neminem manu propria occidunt, vel mutilant, licet vulnerent, irregularitatem contrahunt, *c. petitio de homicid.* Quod est 3

ſpeciale iuris noui priuilegium conceſſum, ne quis metu irregularitatis à bellando in tali caſu abſterreatur, vt colligitur ex *c. ſi quis diſt.* 51. & docet Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 110. & *tract.* 3. *diſp.* 78. Auil. *par.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dubit.* 2.

4 Quicumque verò in bello offenſiuo proprijs manibus occidunt, vel mutilant, irregularitatem contrahunt, *cit. c. ſi quis*, & docent communiter Doctores, vbi diſcrimen aduerte, quod qui in bello iuſto offenſiuo occidit, vel mutilat, contrahit irregularitatem defectu lenitatis, ſine peccato, ſi Laïcus ſit; qui autem in bello iniuſto, irregularitatem ex delicto; ſicut Clericus, etiam in iuſto, ſi illud offenſiuum ſit, non autem defenſiuum vti dicebam.



SECTIO XVI.

Quid dicendum de ijs, qui pugnant, vel quid aliud faciunt in bello iniuſto ſimpliciter?

SVMMARIVM.


1. *Irregularitas contrahitur ab omnibus ijs, qui in bello iniuſto pugnantes ſunt, ſua præſentia animantes, hortantes, aut quomodocumque influentes in mortem, mutilationem vel vnius hominis ex exercitu inimico.*
2. *Irregularitas contrahitur à conducente milites ad bellum iniuſtum contra Villadiego, & alios.*
3. *Idem dicendum de cuſtodiente ſarcinas, & ſimilia, quia hæc cuſtodiens expeditiores reddit milites ad occidendum, & mutilandum.*
4. *Irregulares non fiunt qui bello iniuſto interſunt ob honeſtam cauſam, v.g. vt pacem componant, confeſſiones militum audiant, &c.*

1 Reſpondetur *ex dictis*, quòd è contra omnes in bello iniuſto pugnantes, ſua præſentia animantes, hortantes, aut quomodocumque influentes in mortem, mutilationem, vel vnius hominis ex exercitu inimico (etiam non Clerici) fiunt irregulares; ità ſumitur *ex c. ſicut dignum §. vltim. de homicid. & c. quod in dubijs de pœnis* iuncta Gloſ. & ex communi docet Syl. *verb. bellum* 3. *quæſt.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 216. & 234. Couarr. *par.* 2. *Clement.* §. 3. *num.* 2. Ratio, quia tunc iniuſtè influunt in homicidium, aut mntilationem, ſeu in iniuſtum influunt homicidium, aut mutilationem, nam cùm plures coniuncto conſilio, vel auxilio concurrunt ad delictum, vel aliud damnum, cenſentur veluti vna cauſa moralis, Doctores in *c. ſignificaſti* 2. *de homicid.* & Syl. *cit. verb. bellum*, 1. Vide tamen quæ dicentur *infra tract.* 6. *cap.* 3. *dubit.* 10.

Idem ob eaſdem rationes dico de conducente milites ad bellum iniuſtum, contra Villadiego, & alios. 2

Idem ob eaſdem rationes dico de cuſtodiente ſarcinas, & ſimilia; quia hæc cuſtodiens expeditiores reddit milites ad occidendum, & mutilandnm. 3

Non fiunt tamen irregulares, qui bello iniuſto interſunt ob honeſtam cauſam v. g. vt pacem componant, confeſſiones militum audiant, infirmos curent, &c. Ratio, quia, ſi exindè militum animus augeatur, augetur ſolùm per accidens.




SECTIO XVII.

Quid dicendum de teſte, ſi teſtificet in iudicio, præcepto iudicis obligatus, aut metu compulſus, quando iure, etiam naturali, teſtificare tenetur.

SVMMARIVM.

1. *Teſtis in iudicio, præcepto iudicis obligatus, aut metu compulſus ſi teſtificet quando iure naturali tenetur, fit irregularis contra Coninchium.*
2. *Defectus lenitatis materialiter ſatis eſt, ad contrahendam irregularitatem, licet non adſit defectus lenitatis formaliter.*

Reſpondetur, quod (& ſi Coninch. doceat, non fieri irregularem teſtem, ſi teſtificet is in iudicio, præcepto iudicis obligatus, aut metu compulſus, quando iure, etiam naturali, teſtificare tenerur; ex eo quod tunc, vt inquit ipſe, non adſit defectus bonitatis) oppoſitum tamen cum Hurtado vbi *ſupra* probabilius videtur. Et ratio eſt, quia licet in tali caſu non adſit defectus lenitatis formaliter, adeſt tamen defectus lenitatis materialiter; quod ſatis eſt, vt irregularitas contrahatur, vti patet in iudice, qui per omnes irregularitatem contrahit; ſi quem ad mortem damnet; quamuis obligatus id faciat, & coactus officium aſſumpſerit, & ſententiam tulerit. 1 2



SECTIO XVIII.

Quid dicendum de Inquisitoribus, & Prælatis Ecclesiasticis, eorumque officialibus, si reum, vt incorrigibilem sæculari potestati tradunt, postquàm officio suo in proprio tribunali functi sunt.

SVMMARIVM.

1. *Inquisitores, & Prælati Ecclesiastici, eorumq; officiales reum vt incorrigibilem sæculari potestati tradetes non contrahunt irregularitatē, quia tales mortis sententiam nec pronunciant, nec exequuntur, quod procedit etiamsi hortentur in genere iudicem ad exequendum.*
2. *Episcopi, & Prælati, qui temporalem etiam iurisdictionem habent & si propria præsentia auctoritatem sententiæ sanguinis præstare non possint, possunt tamen leges pœnales ferre, iudices creare, causarum criminalium cognitionem etiam in particulari committere adiuncto mandato quod iuris ordo seruetur, & secundum leges iudicetur.*
3. *Episcopi, & Prælati supradicti non possunt sine nota irregularitatis definitè mandare quod reus iste morti, vel mutilationis pœna afficiatur, possunt tamen absque nota irregularitatis latam à iudice sententiam moderari.*

1 Respondetur, quòd non contrahant irregularitatem, Med. *in sum. lib.* 1. *cap.* 11. §. 10. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 5. *in Comment. lit. O.* & Auil. *par.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 2. contra Couarr. *par.* 2. *Clement.* §. 5. *num.* 6. Et probatur, quia tales mortis sententiam nec pronunciant, nec exequuntur, sed sæculari iudici id munus relinquunt, ad quod exequendum illum etiam in genere hortari possunt absque irregularitatis periculo.

2 Similiter Episcopi, & Prælati, qui temporalem etiam iurisdictionem habent, & si propria præsentia authoritatem sententiæ sanguinis præstare non possint, *c. literis, de excessib. Prælat.* (alioquin irregularitatem contrahent, Glos. *ibi verb. corporalem.* & Abb. *num.* 2. tamen possunt leges pœnales ferre, iudices creare, causarum criminalium cognitionem, etiam in particulari, committere, adiuncto mandato, quòd iuris ordo seruetur, & secundùm leges iudicetur, *c. vltim. ne Clerici, vel Monachi in* 6. Glos. *in c. literis, verb. nec iudicent*, ibid. Abb. *num.* 12. *ne Clerici, vel Monachi*, Syl. *verb. homicidium* 3. *quæst.* 7. S. Anton. *part.* 3. *tit.* 28. *cap.* 2. Caietan 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Couarr *cit.* §. 5. *num.* 8. Mol. *tract.* 3. *disp.* 8. *num.* 2. & Auil. *sect.* 2. *dub.* 4. qui benè subdunt contra Henriq. *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 6. *lit. N.* talem commissionem fieri posse, etiam in causa particulari.

Sed non possunt sine nota irregularitatis definitè mandare, quòd reus iste mortis, vel mutilationis pœna afficiatur, Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 16. *de homicid.* possunt tamen sine nota irregularitatis latam à iudice sententiam moderari, v. g. mandare, si reus post latam sententiam morte afficiendus est, non rota, vel igne puniatur, sed pœna mitiore; quia sic non sunt causa mortis, vel supplicij, sed potiùs, vt pars supplicij dematur; qui misericordiæ, non seueritatis actus est. 3

SECTIO XIX.

An qui iniuriam passus est, possit aliquo modo accusare?

SVMMARIVM.

1. *Qui vel in persona, vel in rebus suis, vel suorum, Ecclesiæ suæ iniuriam passus est, potest sine periculo irregularitatis reum iudici denunciare, eumdem à se in custodia detentum iudici tradere, ac ciuiliter contra reum agere (dummodo expressè protestetur se sanguinis vindictam non intendere) licet interim ex qualitate criminis intelligat fore vt iudex ex officio moueatur ad mortem reo inferendam.*
2. *Denuncians, vel accusans in foro sæculari de iniuria, vel damno alterius, quamuis protestetur se criminaliter vindictam non intendere, irregularitatem tamen incurrit, si mortem aut mutilationem, crimine ita exigente, reo iudex inflixerit.*
3. *Aduocatus, ac testis in causa criminali nihil per protestationem adiuuantur, si ex eorum allegationibus iudex motus fuerit ad mortem reo infligendam.*
4. *Clericus ob dictam rationem compelli non potest ad ferendum testimonium in causa criminali.*
5. *Quicumque potest reum accusare, vel de crimine testificari sine irregularitatis periculo si agatur de iniuria inferenda vel crimine pendente in futurum (quod aliter emendari non potest, quam per iudicialem processum) non solum ad cauendum malum proprium, sed etiam alienum reipublicæ, vel priuatæ personæ.*
6. *Canones nunquam infligunt irregularitatem propter officium debitam ex lege naturali vel diuina, charitatis, aut alterius virtutis.*
7. *Protestatio in casu prædicto non est necessaria, quia opus ex sua natura ab irregularitate exemptum est.*
8. *Irregularis non est is, qui infantem aqua-*

frigida baptizat ob necessitatem, & idcirco citius infans moriatur.

9. *Irregularis non est is, qui liberandi à fure bona proximi clamat, & si idcirco fur capiatur, & à iudice puniatur.*

10. *Neque is, qui contra proximi iniustum aggressorem clamat, & si idcirco mors aggressoris sequatur; quia talis proximi defensio est de iure naturæ quod lege positiua impediri non debet.*

11. *Clericus non potest sine peccato intentare accusationem criminalem de delicto, quod mortem, vel mutilationem meretur, & sine irregularitatis nota, licet accusator protestetur velle se criminis vindictam citra pœnam mortis, & mutilationis, quia protestatio illa accusantis actoris est contraria facto, secus est si crimen non est morte, vel mutilatione dignum.*

12. *Denuncians, vel accusans etiam ciuiliter de crimine, quod scit esse dignum morte, vel mutilatione indirecta voluntate censetur esse causa mortis, vel mutilationis, quæ indirecta voluntas secundum canones retractari censetur per protestationem illam saltem in casu, quo quis prosequitur iniuriam suam, vel suorum.*

1 Respondetur: Qui vel in persona, vel rebus suis; vel suorum, vel Ecclesiæ suæ iniuriam passus est, potest sine periculo irregularitatis reum iudici denunciare, eumdem à se in custodia detentum iudici tradere, ac ciuiliter contra reum agere (dummodò expresè protestetur, se sanguinis vindictam non intendere) licet interim ex qualitate criminis intelligat, fore, vt iudex ex officio moueatur ad mortem reo inferendam. Sumitur *ex c. 2. de homicid. in 6.* & docet Caiet. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Sot. *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 5. *art.* 1. *in fin.* Mol. *tract* 3. *disp.* 8. *num.* 3. Couar. *in clement. par.* 2. §. 5. Nauar. *cap.* 27. *num.* 213. Suar. *tom.* 5. *disp.* 47. *sect.* 2. & Auila *par.* 7. *disp.* 5. *dub.* 9. Et ratio redditur in *cit: cap.* 2. *Nam alioquin si Prælati, vel clerici propter metum huiusmodi, quia Iudex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi.*

Hinc sequitur, quod sicut Ecclesiasticus sine nota irregularitatis Reum iudici cum tali protestatione denunciare potest, ita etiam possit ad eum finem capere, detinere, & iudici tradere; quia cui finis permissus est, etiam media ad eum necessaria, permissa sunt, Couar. *in Clement. par.* 2. §. 1. *num.* 3. & Mol. *tract.* 3. *disp.* 74. *num.* 11.

Dixi *in persona, vel rebus suis, vel suorum*, nampè domesticorum, vel ità coniunctorum, vt iniuria per consequentiam in ipsum conquerentem redundare censeatur, Mol. *tract.* 3. *disp.* 44. *num.* 11. & alij passim.

2 Hinc, si quis denunciet, vel accuset in foro sæculari de iniuria, vel damno alterius, quamuis protestetur se criminaliter vindictam, non intendere, irregularitatem tamen contrahit si mortem aut mutilationem crimine ita exigente Reo iudex inflixerit. Ratio est, quia eo ipso, quod in causa criminali de damno vel iniuria alteri illata quis conqueritur, censetur petere pœnam quæ propter delictum à lege Reo imponitur & consequenter protestatio illa vana & inutilis seu ficta videtur, quod colligitur *ex c. prælatis de homicid. num.* 6. vbi permittitur Clericis conqueri coram iudice de suis malefactoribus, non vero de ijs qui alijs damna inferunt; Ita Nanarr. *c.* 27. *num.* 213. Sayr. *lib.* 6. *c.* 18. Vgol. *c.* 6. §. 9. Mol, *disp.* 8. *num.* 8. Coninch. *num.* 94. Reginal. *lib.* 30. *num.* 129. Filliuc. *num.* 249. contra glossam & alios quos refert Vgol.

Ex quo patet quod dicebam 2. *vel Ecclesiæ suæ*, Clericum posse absque nota vlla irregularitatis accusare & denunciare iniustum damnificatorem bonorum Ecclesiæ suæ, nam bona Ecclesiæ ad ipsum pertinent, & illorum damnum reputatur ei proprium & iniuria Ecclesiæ suæ illata in illum redundare videtur. ita Mol. *disp.* 74. *num.* 11. Reginal. *lib.* 5. §. 6. Roderic. Coninch. & alij communiter. & hoc certè iustè permissum esse censetur ne Laici scientes Clericum, non posse absque nota irregularitatis querelas coram iudice deponere, audaciores fiant ad inferendas illi iniurias & suis Ecclesijs damna & hoc quidem verum est inquit Henriquez *lib.* 14. *c.* 12. *num.* 4.

3 Aduocatus & testis in causa criminali non eximuntur ab irregularitate præmittendo excusationem, se non intendere pœnam sanguinis, si ex eorum allegationibus iudex motus fuerit ad mortem seu mutilationem Reo infligendam. Ita Couarr. *part.* 2. §. 2. Henriq. *c.* 12. *num.* 8. Suar *disp.* 47. *sect.* 4. Auila *dub.* 12. Filliuc. *tract.* 19. *num.* 57. Reginald. *lib.* 30. *num.* 133. Vgol. *c.* 6. §. & alij non pauci. Ratio est, vti *supra* dicebamus, quia cooperantes in causa sanguinis, incidunt in irregularitatem, nisi excipiantur in iure, sed Aduocati & testes in causa criminali cooperantur in causa sanguinis, nec excipiuntur in iure ob suam protestationem, Ergo, &c.

4 Ideoque Clerici cogi non possunt ad ferendum testimonium in causa criminali contra Reum, licet suos malefactores, & Ecclesiarum suarum damnificatores accusare, & in iudicijs denunciare possint sine nota irregularitatis vt *supra* dicebam, & ratio hæc est, quia testes in causa sanguinis multùm cooperantur ad mortem seu mutilationem alterius in iudicijs criminalibus *c. is à quibus dist.* 23. *q.* 8.

5 Quicumque tamen potest Reum accusare vel de crimine testificari, sine irregularitatis periculo, si agatur de iniuria inferenda, vel crimine pendente in futurum, (quod aliter emendari non potest quam per processum iudicialem) non solum ad cauendum malum proprium, sed etiam alienum, Reipublicæ, vel priuatæ personæ. Ratio est, quia æquum non est vt aliquis damnum subeat, id præstando ad quod iure naturæ tenetur. Cũ ergo quis teneatur in huiusmodi casibus denunciare & accusare huiusmodi damnificatores, nec ipse possit aliter illa damna impedire quam accusando vel denunciando, par non est vt propter hoc fiat irregularis. Ita Sayr. *lib.* 6. *c.* 19. Mol. *disp.* 8. *num.* 9. Salon. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *contr.* 3.

Auila *dub.* 11. Coninch. *loc. cit.* Filliuc. *n.* 249. Sanch. *sect.* 2. Reginald. *num.* 129. & alij plerique multi apud Sayr. *c.* 18. *nu.* 12. Vgol. & alios.

6 Canones enim nunquam infligunt irregularitatem propter officium debitum ex lege naturali, vel diuina, charitatis aut alterius virtutis, vt testantur Doctore *supra* citati.

7 Nec protestatio in prædictis casibus est necessaria, quia hoc opus ex sua natura ab irregularitate exemptum est, Ita Suar. *disp.* 47. *sect.* 3. *num.* 18. & alij, etiamsi quis protestationem omiserit, aiunt illi.

8 Irregularis etiam non est is qui infante aqua frigida baptisarit ob necessitatem, etsi idcirco citiùs infans moriatur, tum quia hoc homicidium casuale est, & non voluntarium aut peccaminosum, tum quia necessitas legi non subiacet, Ita communiter Doctores, *ex cap. lator. & ex c. dilectus de homicid.*

9 Nec etiam irregularis est, is qui causâ liberandi à fure bona proximi clamat, etiamsi fur deinde capiatur, & à iudice secundum leges puniatur, & ratio est, quia opus illud nullo modo est peccaminosum modo hoc non fecerit animo vindictæ, sed intentione tantum rei suæ vel alienæ conseruandæ, Ita Vgol. *c.* 14. §. 1. *num.* 7. Salon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *contr.* 1. *concl.* 4. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. Auila & alij non pauci.


10 Itaque nec is, qui contra proximi iniustum aggressorem clamat, irregularitatem contrahit, etiamsi postea vel occidatur, vel mutiletur, vel grauiter vulneretur, vel aliter puniatur aggressor, inculpato quidem, sed commisso defectu lenitatis, cùm non agat iudicialiter, vt accusator, vel denunciator; neque contrahit, si agatur de conseruatione rerum alienarum, præsertim non parui momenti, etsi postea contingat, furem a circumstantibus occidi, vel iudici tradi, & pœna mortis affici, Sà *loc. cit.* quia talis homo opus charitatis exercuit: ergo non debet idcircò irregularitatem contrahere; tùm quia, vt suppono, non ea intentione clamauit, vt fur occideretur, neque ad id cooperatus est, sed solum voluit impedire damnum proximi.

11 Dixi tertiò, *ciuiliter contra Reum agere*, vel ad compensandum damnum illatum, vel ad pœnam pecuniariam actori applicandam; nam actionem criminalem de delicto, quod mortem, vel mutilationem meretur, Clericum sine peccato, & irregularitatis nota instituere non posse, conueniunt Doctores teste Suar. *num.* 10. & Auil. *dub.* 10. licet accusator protestetur, velle se criminis vindictam, citrà pœnam mortis, & mutilationis: cùm enim iudex postulatus secundum leges iudicare soleat, & debeat, protestatio illa actoris accusantis de crimine quod mortem, vel mutilationem meretur, est contraria facto, ideóque inutilis.

Secus, si crimen non est morte, nec mutilatione dignum: tunc enim accusare potest, etiam non præmissa protestatione, Mol. *tract.* 4. *disp.* 8. *num.* 5. quia si in tali casu iudex vel ob propriam sæuitiam, ignorantiam, vel aliam accidentalem causam moueretur ad inferendam Reo pœnam mortis, vel mutilationis, id accusanti imputari non potest; Mol. *supra*, Couarr. *par.* 2. §. 5. *num.* 3. Nauarr. *num.* 214. Henriq. *cap.* 12. *num.* 8. Auil. *dub.* 9. *argum. c. postulasti, de homicid.* & innuit glos. *in c.* 2. *de homicid. in* 6.

Dixi quartò, *dummodò expressè protestetur*; 12 sic enim requiritur *in cit. c.* 2. *de homicid. in* 6. & ratio est, quia qui denunciat, vel accusat, (etiam ciuiliter) de crimine, quod scit esse dignum morte, vel mutilatione, is indirecta voluntate censetur esse causa mortis, vel mutilationis (cum ad eam decernendam iudex ex officio moueri soleat) occasione talis denunciationis, vel accusationis; quæ indirecta voluntas secundùm Canonum constitutionem retractari censetur per protestationem illam, saltem in casu, quo quis prosequitur iniuriam suam, vel suorum.

Hinc Couarr. *cit.* §. 5. *num.* 2. Henriq. *cap.* 11. *in fin.* & Auil. *dub.* 9. contra Syluestrum *verb. homicidium*, 2. *quæst.* §. & Nauarr. *num.* 226. colligunt, quòd licet protestatio ficta sit, & accusator animo intendat Reum à iudice morte puniri, tamen irregularitas non contrahatur; contrà verò subdunt Couarr. & Auil. *loc. cit.* irregularitatem contrahi, si quis protestationem omittat, licet animo cupiat mortem, vel mutilationem Reo non inferri; quia accusans de crimine, quod scit esse dignum morte, & per iudicem ex officio morte puniendum, irregularitatem incurrit, siue mortis sententiam intendat indirectè, siue non, præterquam si per Canones excipiatur; Canones autem solùm excipiunt, si quis suam, vel suorum iniuriam ciuiliter prosequatur, præmissa protestatione externa, quod Reum sanguinis, vel mutilationis pœnam non petat.



SECTIO XX.

Quid dicendum, si ignores, aut non aduertas irregularitatem operi iniusto annexam?

SVMMARIVM.

1. *Influens in homicidium, vel mutilationem iniustam satis probabiliter adhuc non contrahit irregularitatem tali delicto annexam si delinquendo illam delicto esse annexam ignores, vel etiam non aduertat.*
2. *Amplia id procedere in omni alia pœna delicto annexa, vt in omissione iuris petendi debitum, de reseruatione, de pœna soluendi aliquid, vel assumendi religionem, peregrinationem, &c.*
3. *Excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis, & inhabilitatis pœna vt incurratur, requiritur quod incurrens sciat, & actu aduertat, quod talis actus sit prohibitus & quod tali actui annexa sit vna ex dictis censuris.*

4. *Coniugum alter vt incurrat in pœnam non petendi debitum non solum requiritur vt sciat, & actu aduertat, v. g. prohiberi sibi à iure, extra casum necessitatis propriam prolem ab illa susceptam baptisare, consanguineam eiusdem cognoscere, &c. sed etiam requiritur, vt scias, & actu aduertas id tibi sub tali pœna à iure prohiberi.*

5. *Vouens non fornicari, vel ludere sub pœna soluendi centum v. g. postea autem immemor voti fornicatur, vel ludit, non tenetur soluere centum: naturalis enim obliuio, vel inaduertentia æquiparatur ignorantiæ inuincibili.*

6. *Amplia idem procedere si dum fornicatur, vel ludit, memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiamsi esset pœna Religionis, castitatis, peregrinationis Hyerosolimitanæ, &c.*

7. *Omittens recitare aliquas horas Canonicas ex obliuione naturali, non tenetur restituere fructus, non obstante lege pœnali irritante fructuum acquisitione.*

8. *Omittens recitare horas Canonicas non tenetur ad fructuum restitutionem, si easdem omittat per ignorantiam inculpatam.*

9. *Ignorantia vincibilis, seu mortaliter culpabilis iuris, vel facti (modo illa non sit crassa, & supina) sed etiam ignorantia vincibilis censuræ & alterius pœnæ (modo similiter illa non sit crassa, & supina) excusat ab incursione censurarum, vel aliarum pœnarum.*

10. *Ignorantia vincibilis (quæ in alijs materijs esset mortalis) excusat à transgressione præcepti humani, & iuris positiui, vt ieiunij, obseruationis festorum, &c.*

11. *Ignorantia crassa, & supina est vel quæ procedit ex culpa lata in adhibenda diligentia, id est quando operans nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam.*

12. *Ignorantia hoc ipso quod est vincibilis, seu mortaliter culpabilis est ignorantia crassa, & supina, itavt ad inuicem confundantur.*

1 Espondetur, quòd etiamsi influas in homicidium, vel mutilationem iniustè; seu influas in homicidium, vel mutilationem iniustam, satis probabiliter, adhuc non contrahes irregularitatem tali delicto annexam, si delinquendo, illam delicto esse annexam, ignores, vel etiam non aduertas; quod & de omni alia pœna delicto annexa dicendum est, vt de
2 amissione iuris petendi debitum, de reseruatione, de pœna soluendi aliquid, vel assumendi religionem, peregrinationem, &c. si luseris, aut fornicatus fueris, &c. de excommunicatione, suspensione, interdicto, & similibus alijs pœnis. Ratio, quia pœna est contra inobedientes, & spernentes ipsam: quapropter requiritur scientia non solum circa ius prohibens (alioquin enim cessaret culpa, & si certò cessaret pœna, quæ ob culpam decernitur, argum. *c. cùm cessante de appellat.*) sed etiam circa pœnam impositam à iure prohibente: quod intelligo, etiamsi pœna sit imposita ab Episcopo, vel à Pontifice; item etiamsi factum sit à iure naturali damnatum: est enim semper vtrobique eadem ratio. Quapropter, vt incurras pœnam excommunica- 3
tionis, suspesionis, interdicti, irregularitatis, inhabilitatis, &c. non sufficit, quòd scias, & actu aduertas, opus esse prohibitum sub pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis, inhabilitatis, &c. v. g. vt qui celebrat in censura, incurrat irregularitatem, requiritur, vt sciat, & actu aduertat, quòd talis actus sit prohibitus, & quòd etiam tali actui annexa sit irregularitas. Atque ita in terminis docent Portell. *in addit. ad dub. Reg. verb. ignorantia, num.* 21. qui citat Nauarr. & Rodriguez, quibus adde Valentiam *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1. *corollar.* 9. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 23. *num.* 2. Suarium *vbi supra sect.* 9. *num.* 19. Sayrum *de Censur. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 57. Curiel. *in par.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *dub.* 5. Meroll. *in disp. Theologic. tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *corollar.* 1. *num.* 48. Castrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1 *punct.* 18. *num.* 6. Coninch. *de Sacram. disp.* 18. *dub.* 4. *num.* 31.

Item, vt incurras in pœnam non petendi 4
debitum ab vxore, non solùm requiritur, vt scias, & actu aduertas prohiberi tibi à iure, extrà casum necessitatis, propiam prolem, ab illa susceptam baptisare, consanguineam eiusdem cognoscere, &c. sed etiam requiritur, vt scias, & actu aduertas, id tibi à iure prohiberi, & sub tali pœna. Atque ita in terminis docet Portell. *vbi supra*, & Castrus Palaus. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 8. Vide etiam Sanchez. *lib.* 9. *de Matrimon. disp.* 32. *quæst.* 4 *num.* 21.


Item si vouisti non fornicari, vel ludere sub 5
pœna soluendi centum; posteà autem immemor voti, fornicaris, vel ludis, non teneris soluere centum: naturalis enim obliuio, vel inaduertentia æquiparatur ignorantiæ inuincibili: idemque dico, si dum fornicaris, vel 6
ludis, memor sis voti, non autem pœnæ impositæ, etiamsi esset pœna religionis, castitatis, peregrinationis Hierosolymitanæ, &c. atque ità in terminis docent Sanch. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 18. & alij.

Quapropter idem dicendum est, si ex obli- 7
uione naturali omittas recitare aliquas horas canonicas, quòd non tenearis in tali casu restituere fructus, non obstante lege pœnali irritante fructuum acquisitionem; quinimò addit Less. *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 34. *dub.* 32. quod neque tenearis ad fructuum restitutio- 8
nem, si easdem omittas per ignorantiam inculpatam: vt si tibi persuasum fuit à viris doctis, quibus meritò poteras credere, te non teneri ad illas pro annò domus mortuariæ, vel dum versaris in studiis.

Et Portell. *verb. ignorantia num.* 27. Bonac. *de censib. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. Barbos. *in collectan. tom.* 3. *lib.* 1. *sexti decreti tit.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. & Meroll. *vbi supra num.* 83. addunt, quod non solùm ignorantia vincibilis, seu mortaliter culpabilis iuris, vel facti, (modò illa non sit crassa, & supina) sed etiam ignorantia vincibilis censuræ, & alte- 9
rius pœnæ (modò similiter illa non sit crassa, & supina) excuset ab incursione censurarum, vel aliarum pœnarum, etiamsi adsit ex alio

capite scientia legis, vel iuris naturalis; cuius violationi à iure positiuo annexa est pœna; & addunt similiter, quòd ignorantia vincibilis (quæ in alijs materijs esset mortalis) excuset à transgressione præcepti humani, & iuris positiui; vt ieiunij, obseruationis festorum, &c. Ratio, quia ius positiuum (de quo iure sunt etiam pœnæ, quæ imponuntur ab ipso) non obligat cum tanto rigore, vt obligat Ius naturale, & diuinum.

11 Si ignorantia tamen sit crassa, & supina, ex communi sententia omnium non excusat. ignorantia autem crassa, & supina est vel quæ procedit ex culpa lata in adhibenda diligentia, idest, quando operans nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam, sicuti explicant Sanchez, & Portell. *in locis supra cit.* vel quæ procedit ex malitia, aut ex nimia negligentia, vt explicat Graff. *Decis. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 20. & alij; vel quæ procedit ex latissima culpa, quæ dolo æquiparatur, vt explicant Anton. *cap.* 2. *de constit. num.* 9. & alij contra Sotum *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 2. Graff. *par.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 20. Suar. & alios, quos citat, & sequitur Villalobos *tom.* 1. *tract.* 16. *num.* 6. docentes, quod ignorantia hoc ipso quod est vincibilis, seu mor-
12 taliter culpabilis, sit ignorantia crassa, & supina, itavt ad inuicem confundantur, & sint vnum, & idem.



SECTIO XXI.

Quid dicendum, si pœnam ignores ignorantia etiam crassa.


SVMMARIVM.

1. *Ignorantia quantumcumque crassa (nisi adsit ingens temeritas) excusat à pœna si illa imposita sit contra eos, qui scienter aliquid faciunt, vel qui præsumunt aliquid facere.*
2. *Præsumptio supra ignorantiam crassam dolum importat, vel temeritatem magnam.*
3. *Excommunicatio imposita contra aliquid scienter facientes non incurritur ab operante ex ignorantia affectata, siue ignorantia sit iuris, siue facti.*
4. *Legentes libros hæreticorum ex ignorantia affectata non incurrunt in sententia aliquorum Doctorum in censuram Bullarem, quia fertur contra eos, qui legunt scienter contra alios tenentes oppositum in gratiam Religionis.*

1 Espondetur, quòd adhuc ignorantia quantumcumque crassa (nisi adsit ingens temeritas) excusat à pœna, si illa imposita sit contra eos, qui scienter aliquid faciunt, vel qui præsumunt aliquid facere. Ratio, quia non dicitur verè præsumens is, qui ex ignorantia culpabili, & crassa aliquid facit; nam præsumptio supra ignorantiam crassam dolum importat, vel temeritatem magnam. Atque ita docent Mol. *tract.* 5. *disp.* 71. *num.* 13. Auila *de censib. par.* 2. *cap.* 6. *disp.* 10. *dub.* 6. Henriq *lib.* 13. 23. *num.* 3. Sanch. *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 31. Curiel. *in par.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *dub.* 4. & Pontius *de matrim. lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 10. contra Toletum *lib.* 1. *cap.* 48. Alterium *de cens. disp.* 11. *de suspens. cap.* 5. *§. hoc autem*, & alios. 2

Quinimò Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 38. retractans sententiam oppositam, quam docuerat *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 40. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 7. *num.* 205. Duard. *in Bull. Can. lib.* 2. *quæst.* 36. *num.* 3. Bonac. *de cens. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 4. *num.* 9. & alij contra Molinam, Henriquez *vbi supra*, Suarinm 3. *par. tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 10. *num.* 1. Graffium *decis. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 83. & Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. docent, id etiam procedere, non solum, quando homo operatur ex ignorantia crassa, sed etiam quando operatur ex ignorantia affectata, si (vt dictum est) verba censuræ hæc sint: *Qui scienter hoc fecerit, vel qui hoc facere præsumpserit.* Et ratio est, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda vltra proprium significatum; sed qui operatur ex ignorantia affectata, non operatur reuerà scienter: 3
ergo non incurrit in excommunicationem, contra aliquid scienter facientes, impositam, (quod & procedit, siue ignorantia affectata sit iuris, siue facti, semper enim militat eadem ratio.)

Vndè Doctores aliqui non improbabiliter 4
docent, eos, qui legunt libros hæreticorum ex ignorantia affectata, non incurrere in censuram Bullarem; quia hæc fertur contra eos, qui legunt scienter; quamuis alij doceant oppositum, ex eo, quia sentiunt, censuras Bullares non esse pœnales, sed fauorabiles (cùm sint latæ primò, & principaliter in fauorem Dei, & animarum) sicque extendendas.



SECTIO XXII.

An quoad irregularitatem, quæ dicta sunt de homicidio, dicenda sint etiam de mutilatione?

SVMMARIVM.

1. *Mutilatio, & homicidium in iure æquiparantur quoad incurrendam irregularitatem.*
2. *Ad irregularitatem contrahendam ex homicidio, vel mutilatione culpa necessario non requiritur, sed sufficit occidendi, vel mutilandi voluntas actualis, itavt detur irregu-*

laritas ex delicto, vel ex lenitatis defectu, dummodo effectus sequatur, & necessitas non compulerit.

3. *Irregularitas non tam est pœna quam moralis macula siue indignitas ad altaris ministerium ob mansuetudinis defectum.*


4. *Mutilasse dicitur non omnis, qui vulnerauit, sanguinem fudit, vel membrum inutile reddidit, sed solum qui membrum alicui viuum abscidit.*

5. *Membrum strictè sumptum aliud non est quam organum, seu corporis pars principalis peculiarem in corpore functionem habens v. g. manus tangendi, pes ambulandi, oculus videndi, &c.*

6. *Irregularis non est qui aurium, vel narium Cartilaginem, aut qui vnum, aut alterum digitum alicui abscidit, nam aurium, vel nasi Cartilago licet sensorium adiuuet, sentiendi tamen actionem non exercet, quare nec membrum, nec corporis organum censeri debet.*

7. *Digitus non est membrum, sed pars membri seu membri membrum, cum propriam operationem non habeat, sed manui in operatione inseruiat.*

8. *Irregularitas contrahitur ab eo, qui sibi ipsi digitum, vel aliam corporis partem iniquè abscidit.*



1 Espondetur, & dico primò. sic prorsus; quia quatenus attinet ad incurrendam irregularitatem mutilatio, & homicidium in iure æquiparantur, *c. 1. de Clericis pugnantibus in duello*, *c. vlt. de homicid. in 6.* & Clement. *eod. tit.* iuncta glos. *verb. mutilat.*

Hinc hactenus promiscuè egi de irregularitate, tàm ex homicidio, quàm ex mutilatione.

2 Hinc etiam ad irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione contrahendam culpa necessariò non requiritur, sed sufficit occidendi, vel mutilandi voluntas actualis, vel virtualis (itavt detur irregularitas ex delicto, vel ex lenitatis defectu) dummodò effectus sequatur, & necessitas non compulerit. Ratio,
3 quia irregularitas non tam est pœna, quàm moralis macula, siue indignitas ad altaris ministerium, ob mansuetudinis defectum, *c. suscepimus, de homicid.* Indecens enim est, vt is, qui voluntariè, nullaque cogente necessitate, (quod & in iudice, alijsque ministris iustitiæ locum habet ante munus susceptum) hominis sanguinem fudit, Christi mansuetissimi personam in altari repræsentet, hostiam immaculatam Deo Patri offerens, vt rectè notauit Nauarr. *cap. 27. num. 218.*

At restat dubium, quid sit mutilatio, ideò.
4 Dico secundò, Mutilasse dicitur non omnis; qui vulnerauit, sanguinem fudit, vel membrum inutile reddidit (vti contra Abbat. *c. cum illorum num. 8. de sent. excommunicat.* Syluestrum *verb. homicidium 3. quæst. 3.* docet Caiet. *2. 2. quæst. 65. art. 1.* Nauarr. *cap. 27. num. 233.* Suar. *disp. 44. sect. 2. num. 6. & 11.* Mol. *tract. 3. disp. 68.*) sed solùm, qui membrum alicui viuum abscidit, vti colligitur *ex c. sicut vrgeri 1. quæst. 1. c. Clericis, qui Clerici, vel Monachi, & c. Archiepiscopatu, de Raptoribus.*

At restat aliud dubium, quid intelligatur nomine membri, cuius abscissio irregularitatem inducat. Ideò

Dicò tertiò, intelligitur membrum strictè sumptum, vt aliud non sit, quàm organum, 5
seu corporis pars principalis, peculiarem in corpore functionem habens, v. g. manus tangendi, pes ambulandi, oculus videndi, &c. *argum. ex l. idem Ofilius ff. de ædil. edict.* & ex Arist. *10. Ethic. cap. 5.* & ex Apost. *1. ad Corinth. 12. In vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent*, (itavt irregularis non sit, qui aurium, 6
vel narium cartilaginem, aut qui vnum, vel alterum digitum alicui abscidit; nam auris, vel nasi cartilago, licet sensorium adiuuet, sentiendi tamen actionem non exercet, quare nec membrum, nec corporis organum censeri debet; sicut neque digitus est membrum, sed 7
pars membri, seu membri membrum; cum propriam operationem non habeat, sed manui in operatione inseruiat, & instrumenti loco sit) & ex Bart. *l. 2. ff. de public. cit. iudic.* Abb. *in c. Ego N. num. 2. de Iur. iur.* Syl. *loc. supra cit.* Nauarr. *num. 206.* Couarr. *par. 3.* Clement. *in princip. num. 8.* Molin. *tract. 3. disp. 69.* & Auila *par. 7. disp. 5. sect. 1.*

Quamuis Caietan. Sot. *locis cit.* & Suar. *nu. 7.* teneant, irregularem fieri, qui alteri aurem, vel nasum, vel digitum abscindit, (præsertim vnum ex maioribus; nam de minoribus ipsemet Suar. dubitat *num. 9.*) ex eo, quia Canones nuspiam meminerunt huius physicæ potiùs, quàm moralis definitionis membri, sed mutilationem vocare videntur quamlibet partis organicæ abscissionem, ob quam corpus humanum notabiliter imperfectum, seu mutilum redditur.

At quidquid sit de hoc, illud tamen dicendum est, eum, qui sibi digitum, vel aliam 8
corporis partem iniquè abscidit, fieri irregularem; quod in ea re maior criminis deformitas apparet, *c. qui partem dist. 55. & c. significauit, de corpor. vitiat.* & docet Nauarr. *num. 198.* Suar. *disp. 51. sect. 2. num. 6.* Mol. *tract. 3. disp. 7. num. 17.* vbi subdit, irregularem etiam fieri, licet factum occultum sit; cuius tamen contrarium dixerunt Hostiens. & alij apud Nauarr. *loc. cit.* & Couarr. *in Clement. si furiosus par. 1. in princip. num. 6.*





SECTIO XXIII.

An in dubio iuris, vel facti debeat quis se censere irregularem?



Espondetur, Vide *supra tractat.* 3. *dubit.* 14.



SECTIO XXIV.

Quid dicendum de cæteris irregularitatibus, & quinam possint dispensare super quamcumque irregularitatem?



Espondetur, Vide *infra to.* 2. *tract.* 1. *de Censur. Bullæ Cœnæ dub.*1. *sect.* 75. *& seqq. vsque ad sect.* 103.



DVBITATIO IX.

An teneatur homo ad compensationem damni dati ex ignorantia antecedente?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio eadem.

SVMMARIVM.

1. *Homo non tenetur ad compensationem damni dati ex ignorantia antecedente; quia ignorantia antecedens tam iuris quam facti omnino excusat à culpa.*
2. *Voluntarium non est vbi non est præcognitum, vbi autem voluntarium non est ibi non est culpa.*
3. *Ignorantia facti reddit actum non voluntarium simpliciter.*
4. *Ignorantia iuris, seu legis reddit actum non voluntarium, qua malus, seu prohibitus est.*
5. *Voluntarium commensuratur cum præcognito; itavt si totum, seu secundùm omnem rationem sit voluntarium; si partim, seu secundum vnam rationem sit præcognitum, partim seu secundum vnam rationem sit voluntarium, & sic si totum, totum &c.*
6. *Opus malum, & aliqua lege prohibitum adhoc vt homini ad culpam imputetur, necesse est vt operans actu aduertat, vel aduerterit ad eius malitiam; vel ad periculum malitiæ.*
7. *Omissio, seu negligentia considerationis non imputatur ad peccatum, nisi sit voluntaria, & non est voluntaria nisi in mentem veniat saltem sub dubio cogitare de obligatione examinandi.*




Espondetur, *ex dictis eadem dubit.* 1. 2. *&* 3. non teneri hominem ad compensationem damni dati ex ignorantia antecedenti; quia ignorantia antecedens, tam iuris, quàm facti omninò excusat à culpa, vt *supra* probatur, & docent S. August. *lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 18. *& lib. de duabus animabus cap.* 10. *&* 11. S. Th. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 3. S. Bonauentur. *in* 2. *dist.* 22. *art.* 2. *quæst.* 3. Richard. *ibidem art.* 2. *quæst.* 3. & alij communiter. 1

2 Et ratio breuiter est, quia vbi non est præcognitum, ibi non est voluntarium; vbi autem non est voluntarium, ibi non est culpa: nam moraliter tunc id non potest imputari; 3 Vnde facti ignorantia reddit actum simpliciter non voluntarium, quippè fit, non aduertente animo ad id, quod agitur. Iuris autem, 4 seu legis ignorantia reddit actum non voluntarium, qua malus, seu prohibitus est; quippè qui fit, non aduertente animo ad legis prohibitionem, & operis malitiam, v. g. si nescio, vel non aduerto, esse diem veneris, tunc actus lege prohibitus (scilicet comestio carnis in die veneris) absolutè mihi voluntarius non est; quia absolutè mihi præcognitus non est; sin verò nescio, vel non aduerto, legem prohibentem positam esse, tunc licet mihi comestio carnis in die veneris reipsa voluntaria sit, non tamen voluntaria est secundùm rationem mali, seu peccati, quam accipit ex positiuæ legis prohibitione; quia secundùm talem rationem præcognita non est; Vnde fit, quod 5 voluntarium commensuretur cum præcognito; itavt si totum, seu secundùm omnem rationem sit præcognitum, secundùm totum, seu secundùm omnem sit voluntarium; si partim, seu secundùm vnam rationem sit præcognitum; partim seu secundùm vnam rationem sit voluntarium: si totum, seu secundùm nullam rationem sit præcognitum, totum, seu secundùm omnem rationem non sit voluntarium, vel sit inuoluntarium. Lege Suar. *de Cens. disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 18. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 9. *&* 21. Vasq. 1. 2. *disp.* 107. *cap.* 3. *& disp.* 123. *cap.* 2 qui rectè monent, quòd sicuti suprà dicebatur, adhoc, vt opus malum, 7 & aliqua lege prohibitum, homini ad culpam imputetur, necesse est, vt operans actu aduertat, vel aduerterit ad eius malitiam, vel ad periculum malitiæ: si enim nunquam in mentem veniat cogitare, vel suspicari de operis malitia, seu dubitare de eius honestate, tunc

homo non operatur malum liberè, & deliberatè; cum fieri non possit, vt voluntas in malum peccati consentiat, nisi intellectus illud præcognoscat, & sic voluntati proponat: est enim (vt ait Philosophus) voluntas potentia cæca.

Dices, qui non cogitat de malitia operis prohibiti, debebat quando operabatur cogitare; ergo adhuc operatio eius temeritati, & imprudentiæ est imputanda, atque adeò ad culpam.

7 Respondetur, *vt supra*, quod omissio, seu negligentia considerationis non imputatur ad peccatum, nisi sit voluntaria; at non est voluntaria, nisi in mentem veniat, saltem sub dubio cogitare de obligatione examinandi; in quo casu, si scilicet in mentem venerit, & prætermissa fuit examinatio, & nihilominus homo operatur; vltrò concedo, quòd peccet.



SECTIO II.

An, si intellectus iudicet, esse tantùm veniale, quod est mortale. homo peccet tantum venialiter?

SVMMARIVM.

1. *Voluntas non peccabit plusquam venialiter, si intellectus per inuincibilem errorem iudicet esse tantum veniale quod alioquin est mortale.*
2. *Voluntas tunc peccat mortaliter si intellectus simpliciter, & indistinctè iudicet peccatum esse quod re ipsa mortale est, quod intellige, si operans dubitauerit saltem esse mortale, alioquin vt omnino non præcognitum, omnino inuoluntarium erit, atque adeo inimputabile in genere moris.*
3. *Voluntas non peccat, etiamsi simpliter, & indistinctè intellectus iudicet peccatum esse, quod à parte rei, vel nullum, vel veniale tantum est contra Vasquez, & alios existimantes satis esse ad peccandum si voluntas consentiat in peccatum genericè propositum.*
4. *Sententia Vasquez, Azorij, &c. in tantum vera est, in quantum intellectus dubitauerit sitne peccatum mortale, vel veniale, adeoque aduertat ad periculum peccandi mortaliter, de quo periculo non excogitato, peccat voluntas tantum venialiter.*

1 Respondetur, *ex dictis*, quòd si intellectus per inuincibilem errorem iudicet, esse tantùm veniale, quod alioquin est mortale, voluntas consentiens non peccabit plusquàm venialiter.

2 Si tamen intellectus simpliciter, & indistinctè iudicet peccatum esse, quod re ipsa mortale est (quamuis Vasq. 1. 2. *disp.* 107. *cap.* 1. *in fin.* & Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 1. *num.* 9. sentiant, quòd tunc voluntas peccet mortaliter) id intelligendum arbitror, si operans dubitauerit saltem, esse mortale; alioquin *vt* *mortale*, vtpotè omninò non præcognitum, omninò inuoluntarium erit, atque adeò inimputabile in genere moris, vt mortale.

Sicut etiam si intellectus simpliciter, & indistinctè iudicet peccatum esse quod à parte 3
rei vel nullum, vel veniale tantum est (quamuis etiam Vasq, *disp.* 59. *c.* 3. *num.* 10. Azor. *to.* 1. *lib.* 2. *c.* 8. *q.* 6. Sayr. *lib.* 1. *clauis Reg.* *c.* 4. *num.* 17. sentire videantur, adhuc peccatum mortale committi, ex eo, quia cùm voluntas consentiat in peccatum genericè propositum, committit se periculo peccandi mortaliter, quandoquidem peccatum æquè potest esse mortale, & veniale) tamen dicendum est, quod eorum sententia in tantum vera sit, in 4
quantum intellectus dubitarit, sit ne peccatum mortale, an veniale, adeoque aduertat ad periculum peccandi mortaliter: quod si de peccato mortali, eiusque periculo nihil omnino cogitauit, dicendum est, quod peccet tantum venialiter; sicuti rectè docuit Nauarr. *in Prælud.* 9. *man.* *num.* 9. & videri potest etiam Lopez *p.* 1. *instruct. c.* 3. *§. at hæc doctrina.*

Confirmatur, quia in dubio ex qualitate obiecti est præsumendum, operantem virtualiter iudicasse esse peccatum tantum veniale. Ratio, quia præsumendum est, hominem apprehendentem obiectum, vt peccaminosum, ita virtualiter, & implicitè de eo iudicasse, sicut illud reuera se habet; vel saltem non nimis ab eius qualitate aberrasse; alioquin hominibus simplicibus, & indoctis scrupulorum materia ministraretur. Vide, quæ dicebantur *tract.* 1. *dubit.* 3.



SECTIO III.

Quid dicendum, si quis adhibita morali diligentia, occidat hominem, dum putat, se Ceruum occidere.

SVMMARIVM.

1. *Occidens hominem pro Cerua, adhibita morali diligentia non peccat peccato homicidij, ac proinde non tenetur damna compensare, quia cum tale homicidium sit omnino non præcognitum, est omnino inuoluntarium.*
2. *Amplia idem procedere in omnibus alijs effectibus non præuisis, qui præter intentionem accidunt.*
3. *Putans se occidere Clericum A. si occidat Clericum B. quem adhibita debita diligentia*

certò

certò putabat esse Clericum A. contra Couar. & alios: non est excommunicatus, quia id facit ex ignorantia antecedenti quæ causat inuoluntarium.

4 *Occidere volens vtrumque Clericum A. & B. si incidens in Clericum A. putando inuincibiliter esse Clericum B. illum occidat, quem etiam occidisset, si cognouisset pro Clerico A. neque est excommunicatus, quia in hoc casu est ignorantia concomitans, quæ licet non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium.*

5. *Occidens vtrumque Clericum A. B. sed A. putans inuincibiliter esse B. & B. putans inuincibiliter esse A. nunquam incurrit excommunicationem: vtrumque enim homicidium per ignorantiam concomitantem est non voluntarium.*

6. *Confiteri quis tenetur in his casibus actum externum: nam licet occasio non sit voluntaria, conatus tamen occidendi illum Clericum, qui ex errore putatur adesse, est voluntarius, non tamen habet annexam excommunicationem.*

1 Respondetur, *ex dictis*, quod si quis adhibita morali diligentia, occidat hominem, dum putat, se ceruum occidere, non peccet peccato homicidij, ac proinde non teneatur damna compensare; quia cùm tale homicidium sit omninò non præcognitum, erit omninò inuo-
2 luntarium; idemque dicas in alijs effectibus, qui præter intentionem accidunt, & non præuidentur, quia adhibetur debita diligentia; quinimo si occisus fuerit Clericus, occidens non erit excommunicatus, nec irregularis, nec similiter contrahit cæteras iuris pœnas. Ratio, quia huiusmodi pœnæ sunt impositæ homicidio, prout voluntario.

3 Item, si quis putet se occidere Clericum A. occidat autem Clericum B. quem adhibita debita diligentia certò putabat esse Clericum A. (quamuis Couarr. *in c. alma, par.* 1 §.10. *num.* 15. doceat occidentem in tali casu esse excommunicatum, *arg. l. cum, qui*, §. *si iniuria mihi, ff. de iniurijs*, vbi dicitur: si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut quis putet me esse Liuium, cum sim Caius, iniuriarum mihi actionem competere. De qua re videri potest Mol. *tract.* 3. *disp.* 30.) non est excõmunicatus, sicuti docet Suar. *de Cens. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 54. & Ægid. *disp.* 14. *dub.* 15. *num.* 197. Et ratio est, quia licet in tali casu homicidium Clerici sit volitum, non tamen est voluntarium; cùm sit ex ignorantia antecedente, quæ causat inuoluntarium: excommunicatio autem annexa est, non quidem homicidio Clerici volito, sed voluntario. Vnde etiam
4 sequitur, quod si quis velit occidere vtrumque Clericum A. & B. & incidens in Clericum A. putando inuincibiliter esse Clericum B. illum occidat, quem etiam occidisset, si cognouisset pro Clerico A. neque est excommunicatus; quia in hoc casu est ignorantia concomitans, quæ licet non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium, & sic eximit ab excommunicatione, quæ annexa est Clericidio voluntario. Vnde etiam sequitur, quod si quis vtrumque Clericum occidat A, & B. Sed A. putans inuincibiliter esse B. & B. putans inuincibiliter esse A. nunquam incurrit excommunicationem: vtrumque enim homicidium per ignorantiam concomitantem est non voluntarium. Dici tamen potest in his casibus, quod præter Clericidium internè volitum, tenetur etiam quis confiteri actum externum: nam licet occasio non sit voluntaria, conatus tamen occidendi illum Clericum, qui ex errore putatur adesse, est voluntarius: est enim ex odio talis Clerici, vt præcogniti: excommunicatio tamen non est annexa conatui percutiendi, vel occidendi Clericum, sed percussioni, vel occisioni Clerici, quæ in talibus casibus non est voluntaria.



SECTIO IV.

An qui legem ignorat, non solum à culpa, sed etiam à pœna immunis sit.

SVMMARIVM.

1. *Ignorans legem non solum à culpa, sed etiam à pœna immunis est.*
2. *Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non conuenit.*
3. *Ignorantia facti quod excuset, non autem ignorantia iuris non intelligitur secundum forum internum, in quo solum attenditur veritas, & præsumptio cedit veritati, sed secundum forum externum, in quo ignorantia iuris non præsumitur.*
4. *Excipiuntur à dicta regula in dubio nonnullæ personæ vt miles, de quo facilè præsumitur ignorantia iuris, & minor* 25. *annis, cui ob iudicij imbecillitatem venia datur.*
5. *Facti ignorantia (scilicet alieni) præsumitur vbi scientia non probatur.*
6. *Ignorantia etiam iuris excusat in damnis, & suum petenti nihil nocet: non autem excusat in incommodis, & acquirere volentem nihil adiuuat.*
7. *Facti ignorantia nisi crassa, & supina sit tam in commodis, quam in damnis excusat, idque etiam in conscientiæ foro locum habere docet Abbas.*
8. *Ius ignoranti si indebitam ciuiliter, debitam autem naturaliter pecuniam soluerit, cessat repetitio: veluti si hæres per iuris ignorantiam legata soluit ex testamento imperfecto, vel non detracta falcidia, ordinariè dignus non censetur, cui iuris beneficium prodesse debeat.*
9. *Ignorans ex facti ignorantia non supina si indebitum ciuiliter soluit, quia ignorauit v. g. testamentum imperfectum esse, solutum repetere potest.*
10. *Ignorans ob ignorantiam iuris, siue facti si*

soluisset quod suum erat, nulloque iure alteri debitum, illud absque dubio tanquam indebitè solutum, condicere potest.

1 Respondetur, *ex dictis*, quod qui legem ignorat, non solum à culpa, sed etiam à pœna immunis est.

Prior pars patet *ex dictis*, quia in tali casu transgressio legis est inuoluntaria, atque adeò non imputabilis in genere moris.

2 Posterior verò sequitur ex priore, iuxta *c. 2. de constit.* vbi dicitur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.* Et ratio est, quia pœna decernitur ob culpam, ergo cessante culpa, tanquam causa, cessare debet etiam pœna, tanquam effectus, *arg. c. cum cessante, de appellat.*

3 Dices, ignorantia facti excusat, non autem ignorantia iuris, iuxta regulam 13. *in 6.* cuius ratio affertur *in l. 2. ff. de iuris, & facti ignorantia*; quia ius finitum est, quod comprehendi potest; facta autem sunt varia, & infinita, quæ proinde etiam prudentem fallunt.

Respondetur, id non intelligi secundùm forum internum, in quo solum attenditur veritas; & præsumptio cedit veritati; sed secundùm forum externum, in quo ignorantia iuris non præsumitur, sed ab allegante probari debet *propria scientia instructum se non fuisse, neque Iurisconsulti consilium secutum fuisse*, iuxta *l. regula §. sed iuris ff. de iuris, & facti ignorantia*; cuiusmodi probatio admodum rara, & difficilis esse consueuit, cessat verò præsumptio, & probandi obligatio, si de veritate

4 constet. Excipiuntur etiam in dubio nonnullæ personæ, vt miles, iuxta *l. 1. Cod. de iuris, & facti ignorantia* quia de eo facilè præsumitur ignorantia iuris: arma enim magis, quàm iura scire milites legislator existimat, *l. vlt. Cod. de iur. deliber.* item minor xxv. annis, cui ob iudicij imbecillitatem venia datur, iuxta *cit. l. regula* & *l. quamuis in lucro, Cod. eodem.*

5 Facti autem *ignorantia* (scilicet alieni) *præsumitur, vbi scientia non probatur. reg. 47. in 6.* nisi publicum, vel notorium sit factum. iuxta *cit. l. regula, & c. 1. de postul. Prælat.* vel scientia eius ex officio alicui incumbat, *arg. c. innotuit, de elect. & c. quamuis, de reg. iur.* vbi Pontifex ait: *Non potest esse pastoris excusatio. si lupus oues comedit, & pastor nescit.* Vide Abb. *in c. ab excommunicato num. 18. de rescript. & c. innotuit, num. 9. de elect.*

6 Debet præterea ita intelligi dicta regula; quod ignorantia etiam iuris excusat in damnis, & suum petenti nihil nocet: non autem excusat in commodis, & acquirere volentem

7 nihil adiuuat. Facti autem ignorantia, nisi crassa, & supina sit, tam in commodis quàm in damnis excusat. Ita habetur *in l. 7. & seqq. ff. de iur. & facti ignorantia*; idque etiam in conscientiæ foro locum habere docet Abb *in c. quia plerique, num. 17. de immunit. Eccles.* Exemplum habes *in l. 10. C. de iur. & facti*

8 *ignorantia*: Cùm quis ius ignorans indebitam (ciuiliter) debitam autem (naturaliter) pecuniam soluerit, cessat repetitio: veluti si hæres per iuris ignorantiam legata soluit ex testamento imperfecto, vel non detracta Falcidia, ordinariè dignus non censetur, cui iuris beneficium prodesse debeat; sicuti constat *ex cit. l. regula § si quis ius ff. de iur. & facti ignorantia, & l. error C. ad l. Falcidiam.*

Quicumque autem ex facti ignorantia (non supina) indebitum ciuiliter soluit: quia ignorauit v. g testamentum imperfectum esse, solutum repetere potest, sicuti constat *ex cit. l. 10. & tit. ff. & Cod. de condict. indebiti.* Cæterùm si quis ob ignorantiam, siue iuris, siue facti, soluisset, quod suum erat, nulloque iure alteri debitum, illud absque dubio, tanquam indebitè solutum, condicere potest: nam locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura, *reg. 48. in 6.* lege gl. *in c. vlt. de solut. verb. indebitam*, & Abb. *ibidem num. 11.* 9 10

SECTIO V.

Quid dicendum de legis ignorantia crassa.

SVMMARIVM.

1. *Legis ignorantia crassa, aut supina, sicut non excusat à mortali peccato, ita etiam neque excusat à pœna legis, quamuis pœna illa grauis sit.*
2. *Excipe nisi pœna inferatur contra scienter, ac temerè peccantes, hac enim voce non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia, etiamsi ignorantia affectata sit, vt probabiliter supra dicebatur, contra alios oppositum etiam probabiliter tenentes.*



Respondetur, *ex dictis*; quod legis ignorantia crassa, aut supina, sicut non excusat à mortali peccato, ita etiam neque excusat à pœna legis, quamuis pœna illa grauis sit. Sumitur *ex c. 2. de constit. in 6. & l. 1. ff. de legib.* & docet Sylu. *verb. ignorantia, q. 5.* 1

Excipe, nisi pœna inferatur contra scienter, ac temerè peccantes: hac enim voce non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia; sicuti ex communi docent Sylu. *verb. ignorantia, num. 18.* Nauarr. *cap. 27. num. 141.* Auila *p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 9.* Suar. *lib. 5. de legib. c. 12. num. 14.* etiamsi ignorantia affectata sit, vt probabiliter supra dicebatur. 2

Quamuis alij probabiliter etiam doceant

oppositum, ex eo, quia ignorantia affectata scientiæ æquipollere videtur, nullamque peccantibus excusationem afferre; sicuti videtur colligi *ex c. eos, qui* iunct. gl. *verb. affectata de tempor. ordinat. in 6.*



SECTIO VI.

Quid dicendum de legis ignorantia vincibili?

SAMMARIVM.

1. *Ignorantia vincibilis non tamen crassa, sicuti culpæ grauitatem minuit, & venialem efficit in iis, quæ sunt iuris positiui, ita etiam æquum est, vt pœnam minuat.*
2. *Iudex in tali casu, si legis transgressori certa pœna decreta est, vel veniam delicti dare, vel mitiorem arbitrariam imponere debet.*

R Espondetur, *ex dictis*, quòd ignorantia vincibilis, non tamen crassa, sicuti culpæ grauitatem minuit,
1 & venialem efficit in ijs, quæ sunt iuris positiui, ita etiam æquum est, vt pœnam minuat, sicuti docet Sotus *lib. 5. de iust. q. 1. art. 9. ad finem*, Suar. *loc. cit. num. 16.*

Quare si legis transgressori certa pœna decreta est, in tali casu Iudex, vel veniam delicti dare, vel mitiorem arbitrariam imponere
2 debet: idemque dicas de ignorantia vincibili, sed leui in ijs, quæ sunt iuris naturalis, & diuini.



SECTIO VII.

Quid dicendum, si quis legem non ignoret, ignoret autem pœnam annexam?

SVMMARIVM.

1. *Legem non ignorans, ignorans autem pœnam annexam, si legem præuaricetur, culpæ solum non tamen etiam pœnæ reus efficitur contra aliquos ex communi docentes oppositum.*
2. *Excipe primò in sententia tenentium oppositum censuram Ecclesiasticam, quam nemo incurrit ob delictum, cui ignorat annexam huiusmodi pœnam, nisi ignorantia sit crassa.*
3. *Excipe etiam in sententia prædictorum nisi pœna sit admodum grauis & maior quam delictum absolutè spectatum mereri videtur.*



R Espondetur, *ex dictis*, quod si quis 1 legem non ignoret, ignoret autem pœnam annexam, & in legem præuaricetur, culpæ solum, non tamen etiam pœnæ reus efficitur, sicuti *supra* cum Nauarr. *cap. 23. num. 47.* Portell. Meroll. Palao, & alijs probabiliter dicebatur; Etsi ex communi doceant oppositum Mol. *tract. 3. de iust. disp. 71. num. 9.* & alij.

Qui tamen in nostram sententiam inclinando, excipiunt primò, censuram Ecclesiasticam, quam nemo incurrit (etiam per ipsos) 2 ob delictum, cui ignorat annexam huiusmodi pœnam, nisi ignorantia sit crassa, vt supra dicebatur. Vide etiam Sylu. *verb. excommunicatio 10. q. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 274. & lib. 3. consil. 10. num. 4. de sepult. edit. 2.* Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 13.* Suar. *de censur. disp. 4. sect. 9. num. 19.* & Ægid. *disp. 13. dub. 10.* contrà Gl. *c. à nobis, de sentent. excomm.* Couarr. *c. alma, p. 1.* §. 10. *num. 9.* Cordubam *lib. 2. q. 25.*

Excipiunt secundò, nisi pœna sit admodum 3 grauis, & maior, quam delictum absolutè spectatum mereri videtur. Exemplum est, si peregrinus transeat per regionem, in qua sub pœna grauissima prohibita est venatio ferarum, non videtur afficiendus tanta pœna, si legem violet, sciens quidem venationem prohibitam esse, sed ignorans grauitatem pœnæ, cùm in sua regione, & spectata ipsa natura rei, non ita grauiter venatores puniri soleant.



SECTIO VIII.

Quid dicendum, si quis post diligentem inquisitionem, speculatiuè dubitet, vtrum lex, aut præceptum impositum sit, nec ne, ab obligatione interim immunis sit?



R Espondetur, de hac re vide *disp. de Conscientia dubia, dub. 2.*





DVBITATIO X.

An teneatur homo ad compensationem damni ex culpa leuissima, vel leui in contractu?

SECTIO I.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1. *Homo non tenetur ad compensationem damni ex culpa leuissima, neque etiam ex leui in contractu, vt commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius &c. sed solum si intercessit dolus, aut negligentia tanta vt sit peccatum mortiferum.*
2. *Nemo tenetur iure natura in conscientia de damno dato, nisi iniustè damnum datum fuerit.*
3. *Precarium non est aliud quam commodatum ad tempus incertum, nempè ad arbitrium Domini.*
4. *Precarium non requirit, nisi custodiam communem, ita vt ex eo solum quis vitare debeat dolum, & latam culpam.*
5. *Homo non tenetur ad restitutionem, si res apud commodatarium vel conductorem, &c. pereat fortuitò. Excipe nisi aliter expresse conuentum fuerit.*
6. *Commodatarius in tribus casibus tenetur de euentu fortuito, & quinam sint.*
7. *Rathibitio retrotrahitur, & aquiparatur mandato, & sic si quis de Domini consensu re commodata pro alio vsu, quam commodata fuerit, vsus sit, non teneretur de casu fortuito.*
8. *Rathibitio non extenditur ad ignoratâ principaliter, secus accessoriè.*
9. *Error circa extrinseca non vitiat contractum.*
10. *Commodatarius in casu, de quo agitur, si deprehendat Domino displicuisse tenetur ad restitutionem.*
11. *Commodatarius, qui aliò diuertit rem commodatam inuito Domino non potest excusari à peccato nisi per bonam fidem, cum animo scilicet compensandi, si Dominus nollet ratum habere.*
12. *Dicta de commodato habent locum etiam in conducto.*

1 Espondetur, *ex dictis, eadem dubit.* 1. 2. *&* 3. non teneri hominem ad compensationem damni, ex culpa leuissima, neque etiam ex leui, in contractu, vt commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius, &c. adeò vt si is, cui res commodata, vel locata, vel oppignorata est, negligenter, negligentia leui, eam custodiat, & ex ipsius negligentia leui pereat, non teneatur ad restitutionem; sed solum, si intercessit dolus, aut negligentia tanta, vt sit peccatum mortiferum apud Deum.

Probatur, tum ex principio *supra* dato; tum quia (vt ait Sot. *vbi supra*) à venialibus homo vix potest liberari; vnde ob illas negligentias non est tanta pœna plectendus. Tum quia iure naturæ nemo tenetur maiorem diligentiam præstare in custodia rei commodatæ, conductæ, &c. quàm in re propria, & quam diligentiam ipse Dominus adhibuisset, si res apud ipsum mansisset; Ergo si ista diligentia sit præstita, & adhuc contingat rem perire, sine culpa propriè dicta peribit; ac proinde sine iniustitia: at nemo tenetur iure naturæ in 2
conscientia de damno dato, nisi iniustè damnum datum fuerit; Ergo cùm hic nulla iniustitia commissa sit, non obligabitur in conscientia. Tum quia quando quis præstitit omnem diligentiam, quam tenebatur præstare, & adhuc res perijt, censetur tunc casu illa perijsse; Ergo, &c. Antecedens patet, & probatur, quia iure naturæ non minorem postulat custodiam precarium, quàm commodatum 3
(cùm precarium non sit aliud, quàm commodatum ad tempus incertum, nempè ad arbitrium Domini) sed precarium non requirit, 4
nisi custodiam communem, ita vt solum vitare debeas dolum, & latam culpam, *l. contractus*, 23. *ff. de reg. iur. & l. quæsitum est* 8. *ff. de precario*; Ergo, &c. Atque ita præter alios Sot. *lib.* 4. *de iustit. q.* 7. *art.* 2. Sà *verb. commodatum*, Henriq. *de iur. c.* 15. vbi citat alios, addens eos, qui contrarium tenent, esse limitandos, vt id locum habeat solum in foro externo.

Hinc à fortiori sequitur, non teneri homi- 5
nem ad restitutionem, si res apud commodatarium, vel conductorem, &c. pereat fortuitò.

Excipe, nisi aliter expressè conuentum fuerit, sicuti habetur, *in c. vn. de commodato*; & probatur, quia res Domino suo perit, si non intercessit culpa, vel pactum, ratione cuius tenearis ad compensandum damnum, quod sequitur.

Aduerte tamen in tribus casibus teneri com- 6
modatarium de euentu fortuito, sicuti *in cit. c. vn.* etiam habetur.

Primò, si intercessit pactum de restituendo, quomodocumque res periret: quod pactum is qui commodat, semper potest exigere, si gratis commodet, at secus, si iusto pretio. Ratio, quia supra iustum pretium nihil potest exigi pretio æstimabile; obligatio autem præstandi euentum fortuitum est pretio æstimabilis; Ergo, &c.

Secundò, si sit in mora restituendi, vt si tempore statuto non restituat, & postea res pereat: si enim tunc restituisset, fortè non perijsset: est autem in mora, qui potest restituere, & non restituit, cùm teneatur.

Tertiò, si ex culpa sit data occasio casui fortuito, vt si non sit re illa vsus in loco, quo conuentum est, sed in alio, vbi erat maius periculum; & ibi perijt; v. g. accepit vtendum vas domi suæ, & foras extulit, vbi perijt. Vide

Instit. quibus modis re contrah. obligatio. §. item is..

Dices quod si bona fide putauit se id facere, volente Domino.

Respondeo, si verè Domino placebat, vt sic faceret vel retineret vltra terminum, non tenetur; quia vsus est sub rathibitione Domini quapropter si postea ratum habeat, libe-
7 rabitur; quia rathibitio retrotrahitur & æquiparatur mandato, *reg. 10. de reg. iur. in 6.* sicut ergo si de Domini expresso consensu vsus esset, non teneretur de casu fortuito: ita nec modò tenetur accedente Domini rathibitione, quæ præuio, & expresso consensu Domini æquiparatur

Instabis, est iam acquisitum ius Domino, cui non intendit is renunciare, ergo.

Respondeo, est acquisitum absolutè, nego; dependenter à consensu, vel dissensu Domini in vsum præteritum, concedo: sicut delata, vel deuoluta hæreditate ad Titium, Titius non habet ius, nisi dependenter ab acceptatione.

Vrgebis, rathibitio non extenditur ad ignorata ergo,
8 Respondeo. principaliter, concedo accessoriè, nego. sicut consensus in contractibus; vt si emis rem tibi damnosam futuram: vel si quis nomine tuo contraxerit vtiliter, & tu
9 nobis ratum habere: error enim circa extrinseca in contractu non vitiat contractum; vt in materia de contractibns docent communiter Doctores Vnde fit, vt sæpè contrahamus, vel ratificemus ea, ex quibus nobis maximum damnum euenit.

10 Dixi quod *non tenetur, si verè Domino placebat vt sic faceret*; &c. nam si deprehendat Domino displicuisse, tenetur ad restitutionem. Patet *ex dictis* & probatur, quia non potuit vti re illa nisi cum animo compensandi in euentu, quo Dominus nollet ratum habere ipsius factum, alioquin commisisset furtum, contrectando rem alienam Domino inuito rationabiliter, Ergo si Dominus nolit ratum habere illum vsum, tenebitur perinde, ac si illo inuito vsus esset: nam reuera, illo inuito, vsus est, nec potest excusari à peccato, nisi
11 per bonam fidem, cum animo scilicet compensandi, si Dominus nollet ratum habere.

Reurgebis, cùm Dominus ratum habet vsum præteritum, non videtur facere, nisi saluo iure de compensando, si res perijt, ergo.

Respondeo, nego antecedens: sicut enim in contractu commodati in futurum non petijt, vt commodatarius teneretur de casu
12 fortuito, ita nec putandus est, id requirere in rathibitione præteriti, nisi id exprimat.

Quod autem dixi de commodato, multò magis intelligendum est de conducto; quia conductor ad euentum fortuitum obligari non potest; sicut commodatarius; nisi forsan in casu, quod diminuatur pretium conductionis infra iustum pretium.

Del Bene, p. Pars.



SECTIO II.

Quid dicendum, si res eodem modo erat peritura apud Dominum?

SVMMARIVM.

1. *Commodatarius, si res erat peritura apud Dominum, neque in tribus casibus supra recensitis tenetur ad restitutionem, quia tunc non censetur Domino causa damni.*
2. *Detinens iniustè rem alienam, semper est in mora; ei autem qui est in mora casus fortuitus imputatur.*
3. *Excipe si purgasset moram rem scilicet Domino offerens, & is noluisset tunc acceptare, sed ei custodiam commisisset tunc enim non teneretur ex casu fortuito, quia non esset amplius in mora.*
4. *Auferens vestes, frumentum, pecuniam. vel quid aliud ex domo alterius, quæ paulo post incendio, vel hostili incursione peritura erant apud Dominum, vel incendit segetes, quas inundatio postea erat euersura, non tenetur ad restitutionem contra Paludanum & alios.*
5. *Iniquus detentor, si res casu, vel iusta hostium incursione, certò erat peritura apud Dominum non tenetur ad restitutionem contra Paludanum, & Iuristas.*
6. *Iniquus detentor si res non erat peritura apud Dominum nisi per alicuius iniuriam, tenetur ad restitutionem.*
7. *Item si dubium erat an res certò erat peritura, vt si Dominus eam erat alienaturus ante illud tempus, tenetur restituere, vel saltem pro parte dubij si non ad totum.*
8. *Res quando iam certò peritura est apud Dominum, iam habet detrimentum præparatum in causa, ita vt non possit impediri à Domino, & secundum moralem æstimationem est, ac si iam illatum esset.*
9. *Iniqua acceptio non inducit restituendi obligationem, nisi quatenus infert damnum efficaciter.*
10. *Is, contra quem agitur, vt reddat depositum, si sua natura res ante rem iudicatam interciderit: veluti si homo mortuus fuerit, absoluè debet.*
11. *Nauta non tenetur ex conducto & locato, si inuito conductore euehat res in alia naui quam in conducta, & vt deterior pereat cum mercibus, & rebus, si simul pereat etiam nauis conducta, quia licet contra pactum, non tamen censetur datum damnum.*
12. *Fur probabile est in casibus prædictis non teneri ad restitutionem etiam si res pereat culpa sua, vt si v. g. rem sua negligentia perdiderit, vel etiam vastarit, aut consumpserit, vide ibi*

Y iij

plura exempla, non enim censetur Domino damnum inferre occidens eum, qui certò paulo post moriturus erat, vel vi morbi, vel iusta Iudicis sententia, & si grauiter peccet, ad restitutionem non tenetur.

14 *Fur non aquè tentur ad custodiam, ac depositarius: nam depositarius quando res aliquo modo saluari potest, tenetur ex iustitia id præstare fur verò non tenetur ex iustitia illam alio transferre, si videt illam apud Domidum, & vbi modo est, esse perituram.*

15. *Fur ex dictis si custodia non est ei commissa, non tenetur ex iustitia eam custodire, sed solum ex charitate: sicut solum ex charitate tenetur à domo proximi auertere ignem, qui casu ibi accensus est.*

16. *Detentor etiam iniustus si res erat certò peritura apud Dominum non tenetur ad restitutionem, si res pereat apud ipsum casu, vel iusta hostium incursione, &c. quia etiam & culpa ipsius iniusti detentoris.*

1 Espondetur; quod si res eodem modo erat peritura apud Dominum, commodatarius in tribus dictis casibus tenetur ad restitutionem, sicuti docent S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. Couar. *ad reg. peccatum p.* 2. §. 6. *num.* 1. & multi alij, qui id tradunt etiã de fure; & omni iniusto detentore. Et ratio esse potest; quia tunc non censetur Domino causa damni.

Itaque (quamuis, si res furto, vel aliter iniquè acquisita casu pereat, teneatur homo ad pretij restitutionem, si non putetur similiter peritura fuisse apud Dominum; in quo conueniunt omnes Doctores. Et ratio est quia obligatur non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione acceptionis, ergo siue res extet, siue non; tenetur resarcire damnum: quia per iniustam acceptionem est causa interitus; cùm verisimile sit, quod si non accepisset, illa
2 non perijsset. Ergo, &c. Tum quia, qui iniustè detinet, semper est in mora; ei autem, qui est in mora, casus fortuitus imputatur, *c.*
3 *decima*, 16. *q.* 1. Excipe, si purgasset moram, rem scilicet Domino offerens, & is noluisset tunc acceptare, sed ei custodiendam commisisset: tunc enim non teneretur ex casu fortui-
4 to, quia non esset amplius in mora.) Tamen, si res certò erat peritura apud Dominum, ad restitutionem minimè tenetur, v. g. abstulit vestes, frumentum, pecuniam, vel quid aliud, &c. ex domo alterius, quæ paulo post incendio, vel hostili incursioue peritura erant apud Dominum: incendit segetes, quas inundatio postea erat euersura, non tenetur ad restitutionem.

In quo discordat Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *ar.* 2. *concl.* 5. & nonnulli Iuristæ (vt refert Couarr. *vbi supra* (docentes etiam in isto casu ad restitutionem teueri iniquum detentorem. Et ratio eorum est, quia semper est in mora; mora autem trahit ad se periculum, vt iura determinant

5 Dicendum tamen mihi videtur, quod si res casu, vel iusta hostium incursione, certò erat peritura apud Dominum, non teneatur ad restitutionem; contra Paludanum, & Iuristas, iniquus detentor, si apud ipsum similiter res perijt. Atque ita præter S. Thom. & Couarr. *supra* docent Med. *C. de restit. q.* 6. *concl.* 6. Sylu. *verb. Restitutio* 7. *q.* 5. Petrus Nauarr. *lib.* 4. *c.* 1. *num.* 17. Nauarr. *c.* 17. *num.* 8.

Dixi, *casu, vel iusta hostium incursione*: quia 6
si non erat peritura apud Dominum, nisi per alicuius iniuriam, tenebitur. Ratio, quia qui eam sic abstulisset, vel destruxisset, teneretur; ergo si tu præuenias, teueberis: nam obligatio, quam alius subijsset, in te ratione damni transfusa est.

Dixi, *si certò erat peritura apud Dominum*: 7
quia si id sit dubium, vt si Dominus eam erat alienaturus ante illud tempus, teneberis: quia in dubio melior est conditio innocentis; vel saltem teneberis pro parte dubij, si non ad totum.

Nunc probatur, quod *supra* dicebam, quia 8
si res certò erat apud Dominum peritura, vt nihil commodi inde ad eum peruenturum esset, nihil noui detrimenti est ei illatum, dum apud te perijt: ergo nihil est ei compensandum pro illa re. Antecedens probatur, quia illud detrimentum iam erat præparatum in causa, ita vt non posset impediri à Domino; ac proinde secundum æstimationem moralem ita se habebat, ac si iam illatum esset. Ergo non censetur ille fur nouum damnum intulisse.

Secundò, quia fur non est causa damni, ratione interitus rei, cùm ad illum non cooperetur, vt suppono: neque ratione iniquæ acceptionis, cùm similiter interitura fuerit apud Dominum, etiamsi non fuisset accepta; ergo, &c.

Tertiò, quia iniqua acceptio non inducit 9
restituendi obligationem, nisi quatenus infert damnum efficaciter: at hæc acceptio non fuit talis, ergo, &c.

Quartò probatur, *ex l. si plures, ff. depositi*, 10
vbi dicitur, *eum, contra quem agitur, vt reddat depositum* (qui sanè se habet instar furis) *si sua natura res ante rem iudicatam interciderit: veluti si homo mortuus fuerit, absolui debere*, id est, liberari à restitutione pretij. Ratio subditur; quia *æquum est, naturalem interitum ad actorem pertinere; vtique cùm interitura esset ea res, etsi restituta esset actori.* Hæc ibi.

Quintò probatur *ex l. fin.* §. *fin. ff. de lege* 11
Rhodia, vbi dicitur: *Si ea conditione nauem conduxisti, vt ea merces tua deportarentur, easque merces nauta, nulla necessitate coactus, cùm id sciret te fieri nolle, transtulit in nauem deteriorem, & merces cum ea naui perierunt; habes ex conducto locato cum priore nauta actionem: contra, inquit Paulus, si modò ea nauigatione vtraque nauis perijt.* Vbi clarè constat, nautam non teneri, si etiam melior nauis perijit: quia ex eo, quod merces translatæ sint in deteriorem uauem contra pactum, non censetur datum damnum. Vnde patet, hanc sententiam etiam foro externo esse conformem.

Adde, quod etsi res perijt culpa furis, seu iniqui detentoris, probabile etiam est in prædictis casibus, contra Couarr. Med. Sylu. Petrum Nauarr. & alios *in locis supra cit.* eum

neque teneri ad restitutionem; vt si, v. g. rem sua negligentia perdiderit, vel etiam vastauerit, aut consumpserit.

Probatur, quia illa res in eo statu considerata, Domino nullius est pretij: nam in illo loco certò erat peritura absque vllo Domini commodo. Ergo etiamsi fur illam perimat, non censetur Domino inferre damnum; vt si incendat segetes, quas videt mox eluuione euertendas: si absumat annonam, quæ proijcienda in mare est, vel naufragio peritura: si interficiat equum, quem in iusto bello hostis erat perditurus: quamuis enim in his, & similibus casibus rem perimat, vel consumat, non tamen censetur Domino damnum inferre; ac proinde ad restitutionem non tenetur.

13 Item ob eamdem rationem: si quis occidat eum, qui certò paulo post moriturus erat, vel vi morbi; vel iusta iudicis sententia, etsi grauiter peccet, ad restitutionem non tenetur.

Dices ex Petro Nauarra *lib. 4. c. 1. num. 17.* si res mea, quam pretio tradidi custodiendam, pereat culpa depositarij, tenetur depositarius ad restitutionem, etiamsi apud me quoque periisset: at fur non minus tenetur rem custodire, quàm depositarius. Ergo si culpa ipsius perijt, tenebitur ad restitutionem, quamuis apud Dominum etiam periisset.


14 Respondeo, non æquè teneri furem ad custodiam, ac depositarium: nam depositarius, quando res aliquo modo (si scilicet alio transferatur, vel abscondatur) saluari potest, tenetur ex iustitia id præstare; quia ad hoc conducitur, vt omni modo, quo potest, illam saluet. Quamquam, si constet interitum rei caueri nullo modo potuisse, non tenebitur depositarius, etiamsi in illa custodienda negligens fuerit, vel illam consumpserit; idque propter eamdem dictam rationem. Fur verò non tenetur ex iustitia illam aliò transferre, si videt illam apud Dominum, & vbi modo est, esse perituram: nam non militat in ipso ratio, quæ militat in depositario. Vnde etiamsi illam tunc consumat, non tenebitur ad restitutionem; quia in eo statu considerata, nihil Domino valet.

Instabis, hoc ipso, quo est apud furem qui potest cauere, ne pereat, res incipit Domino valere, quia tenetur Domino eam custodire: sicut ex eo, quod est apud depositarium, qui potest eam saluare, est pluris, quàm si apud Dominum esset, ergo, &c.

15 Respondeo, *ex dictis*, si custodia non est ei commissa, non tenetur ex iustitia eam custodire, sed solum ex charitate: sicut solum ex charitate tenetur à domo proximi auertere ignem, qui casu ibi accensus est. Vnde si nolit id facere res non valet pluris Domino apud furem, quàm apud ipsum: & sic si rem perimat, non censetur causa damni. At non sic dicendum de depositario, quia hic ex iustitia tenetur custodire, vti *supra* dicebatur.

Breuiter itaque dico, quod si res erat certò peritura apud Dominum, non tenetur ad restitutionem detentor etiam iniustus, si res pereat apud ipsum, casu, aut iusta hostium incursione, &c. quin etiam & culpa ipsius iniusti detentoris. Ratio, quia in omnibus his casibus (vt *supra* dicebatur) non censetur Domino causa damni.

Ex his, præter innumeros alios casus, soluuntur casus sequentes.



SECTIO III.

An, si quis furto accepit torquem aureum, vel quid simile; & illum locauit, quem Dominus non locasset, teneatur ad restitutionem pretij locationis?

SVMMARIVM.

1. *Furto si quis accepit torquem aureum, vel quid simile, & locauit illum, quem Dominus non locasset, non tenetur ad restitutionem pretij locationis.*
2. *Fructus rei purè industrialis restituendi non sunt, sed tantum fructus naturales.*
3. *Furto si quis accepit equum, vel quid simile, & locauit, quem Dominus non locasset, neque etiam probabiliter tenetur ad restitutionem pretij locationis, contra Molinam, & alios docentes oppositum.*
4. *Opinio supradicta de equo locato non est omnino improbabilis, quinimò vera in casu quod Dominus sit vir diues, qui pretium locationis non præsumatur velle.*




Respondetur *ex dictis sect. præcedenti*, quòd si quis furto accepit 1 torquem aureum, vel quid simile, & locauit illum, quem Dominus non locasset, non tenetur ad restitutionem pretij locationis. Ita Nauarr. *c. 17. num. 25.* Lopez *p. 1. c. 101. in fin.* Malder. *2. 2. tract. 4. c. 1. dub. 10.* Et confirmatur, 2 quia non sunt restituendi fructus rei purè industriales, sed tantum fructus naturales; vt ex communi docet Sylu. *verb. furtum, q. 19. & verb. restitutio, 3. q. 7. & 9.*

Quin addo, si quis furto accepit equum, 3 vel quid simile, & locauit, quem Dominus non locasset, neque etiam probabiliter tenetur ad restitutionem pretij locationis. Ita præter Nauar. & Lopez defendunt Azor. *p. 1. lib. 4. c. 4. q. 3.* Megalius *2. 2. lib. 2. c. 7. num. 85.* Bonac. *de contract. disp. 1. q. 3. punct. vlt. §. 1. num. 4.*

Quamuis oppositum in tali casu doceant Mol. *to. 3. disp. 719. num. vlt.* Nauarra *de restit. lib. 4. c. 1. dub. 6.* Rebell. *de oblig. iustit. p. 1. lib. 2. q. 5. num. 4.* Sanch. *lib. 2. moral. c. 23. num. 132.* Malder. *loc. cit.* & Turrian. *2. 2. tom. 2. disp. 10. dub. 2. num. 14.* moti ex eo quia illud pretium non est fructus purè industrialis, sed potius naturalis, cùm non

correſpondeat ſoli induſtriæ, ſed potius correſpondeat ipſi rei: licet enim in locatione ſit aliquid induſtriæ, pretium tamen vſus rei correſpondet ipſi rei. Ergo, &c.

Opinio tamen oppoſita ob rationes *ſupra* dictas non eſt omnino improbabilis, quinimò vera in caſu, quod (vt docet Leſſius *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 17. *num.* 114.) Dominus ſit vir diues, qui pretium locationis non præſumatur velle.



SECTIO IV.

An, ſi Theſaurarius alicuius Principis, pecunias, quas conſeruandas habet, & Dominus negotiaturus non fuiſſet, inſcio Domino, cum lucro negotiatur, lucrum reſtituere teneatur?

SVMMARIVM.

1. *Theſaurarius alicuius Principis, vel Procurator, ſeu famulus alicuius Domini, pecunias, quas conſeruandas habet, & Dominus negotiaturus non fuiſſet, inſcio Domino cum lucro negotiatur, lucrum reſtituere non tenetur: cum lucrum huiuſmodi ſit fructus induſtriæ concurrente pecunia tanquam inſtrumento.*

1 Reſpondetur; *ex dictis ibidem*, quod ſi Theſaurarius alicuius Principis, vel Procurator, ſeu famulus alicuius Domini pecunias, quas conſeruandas habet, & Dominus negotiaturus non fuiſſet, inſcio Domino, cum lucro negotiatur, lucrum reſtituere non tenetur. Et confirmatur, quia huiuſmodi lucrum eſt fructus induſtriæ concurrente tantum pecunia, tanquam inſtrumento, quod ex ſe eſt infæcundum; ergo. Ità Beia *par.* 1. *caſ.* 42. & alij.





SECTIO V.

An, ſi quis, v. g. triticum alienum vendit eo tempore, quo pluris valet, teneatur lucrum Domino reſtituere.

SVMMARIVM.

1. *Si quis triticum alienum vendit eo tempore quo pluris valet, non tenetur lucrum Domino reſtituere; ſed ſatisfacit emendo, & tantumdem triticum æqualis bonitatis reſtituendo eo tempore, quo minoris valet, ſi Dominus non erat tunc temporis, quando pluris valebat, venditurus, ſed ſeruaturus vſque ad tempus, quo minoris valet.*



Reſpondetur *ex dictis ibidem*, quod ſi quis, v. g. triticum alienum vendit eo tempore, quo pluris valet, non tenetur lucrum Domino reſtituere; ſed ſatisfacit emendo, & tantumdem triticum æqualis bonitatis reſtituendo eo tempore, quo minoris valet ſi Dominus non erat tunc temporis, quando pluris valebat venditurus, ſed ſeruaturus vſque ad tempus, quo minoris valet.

Confirmitatur, quia ſic ſeruat Dominum indemnem, tantumdem triticum, æqualis bonitatis ſcilicet, reſtituendo, licet retineat ſibi lucrum, quod fecit triticum alienum carius vendendo; quinimò vtiliter gerit Domini negotium: nam negotiando triticum eius, ſubtrahit Dominum à periculo, ſi triticum periret, quandoquidem ſi illud non negotiaretur, & periret, Domino periret: res enim perit Domino ſuo.



SECTIO VI.

An, si famulus mille aureos à te in auro habet, vt illos soluat tuo creditori, tu autem non cures, in qua specie id fiat, & is cum lucro eos mutet in pecuniam argenteam, in qua, retento lucro, soluit creditori tuo, teneatur tibi restituere lucrum.

SVMMARIVM.

1. *Famulus, vel negotiorum gestor si mille aureos à Domino in auro habet, & illos soluat eius creditori, Dominus autem non curet in qua specie id fiat, & is eos cum lucro mutet in pecuniam argenteam, in qua retento lucro soluit creditori, non tenetur Domino restituere lucrum.*
2. *Excipe si secus erat in mente, quia tunc distinguendum est, nam creditor illa specie erat lucraturus, vel non: si lucraturus, famulus tenetur ei de lucro cessante quanti scilicet illa spes lucri æstimabitur, secus si non erat lucraturus.*

1 RESpondetur *ex dictis ibidem*; quod si famulus vel negotiorum gestor mille aureos à te in auro habet, vt illos soluat tuo creditori: tu autem non cures, in qua specie id faciat, & is eos cum lucro mutet in pecuniam argenteam, in qua retento lucro soluit creditori tuo, non tenetur tibi restituere lucrum.

Confirmatur, quia illud lucrum est fructus industriæ, proueniens ex pecuniæ negotiatione, quæ famuli industria, famulique periculo facta est; proinde nec tibi pecuniæ Domino lucrum illud debetur (sicut dum fur, vel vsurarius aliena pecunia negotiatur, non tenetur pecuniæ Domino lucrum restituere, vt *supra* dicebatur) nec etiam debetur tuo creditori, quia hæc species non erat illi debita, cùm creditor non habeat ius, nisi in voluntate debitoris; & ante numerationem pecuniæ dominium non sit acquisitum creditori; & integrè in alia specie sit ipsi satisfactum, Ergo, &c.

2 Si tamen mens tua erat, vt famulus illam pecuniæ speciem tuo creditori traderet, eo quod velles ei gratum facere, & dare ei occasionem lucrandi, tunc distinguendum est, vel creditor illa specie erat lucraturus, vel non; si erat lucraturus, famulus tenetur ei de lucro cessante, quanti scilicet illa spes lucri æstimabitur; quia hæc species erat ei debita, quam non soluendo, est causa iniusta amissionis lucri; si autem non erat lucraturus, sed pretio communi erat illam expositurus, ad nihil tenetur: quia, etsi speciem debitam non soluendo iniuriam fecit, non tamen damnum intulit; Vide Mol. *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 402. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 33. *num.* 450. Salas *tract. de Cambijs dub.* 7. Rebell. *par.* 2. *lib.* 11. *quæst.* 10. *num.* 2. & Azor. *par.* 3. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 11.

SECTIO VII.

An, si fur rem subreptam vendit summo pretio, quod tamen Dominus non erat facturus, teneatur Domino augmentum pretij restituere?

SVMMARIVM.


1. *Fur, vel quiuis alius iniquus detentor si rem subreptam vendit summo pretio, quod tamen Dominus facturus non erat, non tenetur Domino augmentum pretij restituere.*
2. *Pretij augmentum si proueniat aliunde quam ab ipsa re scilicet ex copia emptorum, vel raritate rei, dicitur effectus industriæ, & ideo acquiritur iniquo detentori.*
3. *Pretij augmentum si fundetur in bonitate intrinseca rei, & sic proueniat ex ipsa re, iniquus detentor non tenetur ad restituendum summum pretium, si Dominus non vendidisset rem tanto pretio, sed tenetur tantum ad illud pretium, quo Dominus illam vendidisset.*

RESpondetur *ex dictis ibidem*, quod si fur, vel quiuis alius iniquus detentor rem subreptam vendit summo pretio (vt quia vendidit, quando erant multi mercatores; vel quia transtulit ad locum, vbi pluris valebat) quod tamen Dominus facturus non erat, non tenetur Domino augmentum pretij restituere. 1

Confirmatur, quia tale pretij augmentum non fundatur in bonitate rei intrinseca, sed in circumstantia, seu causa quadam extrinseca; atque adeò non prouenit ex ipsa re, sed prorsus aliundè, scilicet ex copia emptorum, vel raritate rei; quod totum est effectus industriæ furis, seu iniqui possessoris. Ita Less. *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 16. *num.* 105. 2

Quin addo cum Bonacina *de contract. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 11. *num.* 9. quod etiam, quando augmentum pretij fundatur in bonitate intrinseca rei, & sic prouenit ex ipsa re; fur, &c. non tenetur ad restituendum summum pretium, quo rem alienam vendidit, aut quo 3

valuit, quando eam consumpsit, (si Dominus eam non vendidisset tanto pretio, sed seruasset vsque ad illud tempus; quo pretium rei decreuit; vel consumpsisset eo tempore, quo eiusdem rei pretium non creuit) sed tenetur solum ad restituendum illud pretium, quo Dominus illam vendidisset; Ratio, quia in tantum solum, & non plus censetur fur causa damni Domino, & sic adæquatè seruat indemnem Dominum, vt *supra* dicetur.



SECTIO VIII.

An, si campsor auctarium recipit, quia pecuniam, v. g. prius numerat, vt postea in loco distante recipiat, teneatur ad restitutionem talis auctarij?

SVMMARIVM.

1. *Campsor si auctarium, seu lucrum recipit; quia pecuniam prius numerat, vt postea in loco distante per se, vel per suum correspondentem recipiat: vel quia præsentem pecuniam prius accipit, vt postea in loco distante per se, vel per suum correspondentem restituat, non tenetur ad restitutionem talis auctarij, quamuis inde nullum onus, sed potius fortasse commodum reportet.*
2. *Locator mercedem locationis recipere potest, si nuncius mercede conductus ad centum aureos Romam transferendos, postea aliquem reperit, qui Romæ aureos centum numeraturus sit, perinde ac si reuera eos illuc transtulisset.*
3. *Nuncius conductus vt eat Romam ad ducendum equum, quamuis ei commodum sit Romam ire negotiorum causa, ob quæ alioquin etiam conducto equo iturus fuisset, pro locata opera pretium recipere potest.*
4. *Mercator ad nihil restituendum tenetur, si quis, v. g. studiorum causa Neapoli Romam profecturus, pecuniam ei det, eumque roget, vt pecuniam illam alteri ad cambium det, quo eam deinde Romæ cum lucro, seu auctario recipere possit, cum per id nihil decidat alteri personæ, cum qua contractus institutus est.*
5. *Nuncius ad nihil tenetur qui ab vno mercede conductus ad litteras deferendas, postea re dissimulata, ab altero se iterum ad eundem locum conduci facit mercede integra postulata per accidens enim id sese habet, & ad fortunam nuncij spectat, & secundo conductori damnum non infertur.*
6. *Auriga si iusta mercede accepta, aliquem Neapoli Romam vexit; postea reuersurus Neapolim tantumdem mercedis recipiat ab altero, perinde ac si nullam redeundi necessitatem habeat, ad nihil tenetur.*



Respondetur *ex dictis ibidem*, quod si campsor auctarium, seu lucrum recipit, quia pecuniam prius numerat, vt postea in loco distante per se, vel per suum correspondentem recipiat; vel quia præsentem pecuniam prius accipit, vt postea in loco distante per se, vel per suum correspondentem restituat (quod vtrumque dicitur cambium locale, seu per litteras) & sic ex virtuali pecuniæ traiectione in tuum cōmodum (quod est pretio æstimabile magis, & magis, quo periculosior est via, & quò longiùs distat locus, ad quem cambium instituitur) auctarium, seu lucrum recipit, non tenetur ad restitutionem talis auctarij, quamuis inde nullum onus, sed potius fortasse commodum reportet; si nimirum pecuniam, quam à te accipit Neapoli, Romam nunquam transmissurus esset, sed Neapoli per illam, instituta noua ratione cambij, vel alterius generis negotiatione, iterum lucraturus: nam id tibi nihil obest, & ex alio capite totum ad campsoris industriam pertinet. 1

Vt si nuncius mercede conductus ad centum aureos Romam transferendos, postea aliquem reperit, qui Romæ aureos centum numeraturus sit, mercedem locationis recipere potest, perinde ac si reuera eos illuc transtulisset; vt præter alios docet Less. *lib. 2. c. 23. dub. 3.* 2

Item secundò si nuncium conduxisti, vt equum, v. g. Romam duceret, quamuis ei commodum sit Romam ire negotiorum causa, ob quæ alioquin etiam conducto equo iturus fuisset, is pro locata opera pretium recipere potest: esto, quod si tu nuncij commoditatem sciuisses, non tali, sed alio modo cum illo contraxisses. Ita Mol. *disp. 405.* Less. *dub. 3. & 4.* 3

Item tertiò si quis, v. g. studiorum causa Neapoli Romam perfecturus, pecuniam det mercatori Neapolitano, eumque roget, vt pecuniam illam alteri ad cambium det, quo eam deinde Romæ cum lucro, seu auctario recipere passit, is ad nihil restituendum tenetur; quia obsequium, quod nuncius ille, vel mercator alteri præstat, dignum est tali stipendio, seu auctario: & per accidens est, quod ipse nuncius, vel mercator ex huiusmodi contractu maius commodum capturus sit; cùm per id nihil decidat alteri personæ, cum qua contractus institutus est; vt rectè notauit Caiet. *c. 6. de cambijs, §. si autem*, & docet Mol. contra Medinam *q. 9. de rebus per vsuram acquisitis, §. potest etiam.* 4

Item quartò ad nihil tenetur nuncius, qui ab vno mercede conductus ad literas deferendas, postea, re dissimulata, ab altero se iterum ed eundem locum conduci facit mercede integra postulata: quia obligatio illa, & obsequium, quod secundo conductori præstatur, absolutè loquendo, tanta mercede dignum est; quod autem tale iter in suum, vel alterius commodum conficere habeat, pet accidens se habet, & ad industriam, vel fortunam nuncij spectat; & inde præterea secundo conductori 5

[illegible] damnum infertur, cùm, vt suppono, [illegible] conductum constituere. eique similem [illegible] dare debuisset.

[illegible] auriga, iusta mercede accepta [illegible] Neapoli Romam vehit: postea reuer- [illegible] Neapolim tantumdem mercedis recipit [illegible] perinde ac si nullam redeundi ne- [illegible] haberet: id enim alteri non obest, & [illegible] parte ad industriam, vel fortunam eius spectare videtur.



SECTIO IX.

An, si quis mala, nedum bona fide rem furtiuam emit a fure, & postea inuento Domino, non Domino, sed furi illam restituit ad pretium suum recuperandum, ad [illegible] teneatur Domino?

SVMMARIVM.

1. *Emens mala, nedum bona fide rem furtiuã a fure, si postea inuento Domino, non Domino, sed furi eam restituat ad pretium suum recuperandum, ad nihil tenetur Domino contra Bannes, & alios Doctores.*
2. *Possessor malæ vel bonæ fidei, in casu, de quo agitur, si rem non emerit, sed gratis acceperit a fure, in tali casu non est, vnde excusari possit, si eam restituet furi, nisi fortè moraliter certus sit, quod Domino restituet fur.*
3. *Possessor malæ, nedum bonæ fidei, quinimo fur ipse si vendiderit rem furtiuam, & postea iuste minori pretio emerit eamdem, non tenetur excessum pretij illum Domino restituere, sed satisfacit reddendo Domino rem suam, non deterioratam cum fructibus ex ea debitis.*
4. *Pretium succedit in locum rei, habet locum solum in vniuersalibus iudicijs cuiusmodi sunt hæreditas, fideicommissum, dos &c. non autem in particularibus contractibus.*
5. *Vendens bona fide rem alienam eodem pretio, quo emerat, non tenetur restituere Domino pretium rei; & sic ad nihilum tenetur, secus si res euincatur, vel Domino restituatur, tenebitur enim emptori de euictione, non tamen tenetur monere emptorem, esse alienam, si casu contigerit id eum rescire.*
6. *Vendens bona fide rem alienam pluris, & illud plus non suo effectus industria, tenetur restituere Domino id in quo locupletior factus est, sicut & tenetur bona fide consumens, si bona fide consumendo ditior similiter factus est, & fur a quo eam accepit non impotens ad restituendum contra Bannez, & alios.*



Respondetur *ex dictis ibidem*; quod si quis mala, nedum bona fide rem furtiuam emit à fure, & postea inuento Domino, non Domino, sed furi illam restituit ad pretium suum recuperandum, ad nihil tenetur Domino; quia sic non est causa damni Domino, & Dominum seruat indemnem: nam rescindendo contractum cum fure, & ei rem restituendo, non ponit rem Domini in statu deteriori, ac erat antea; & ex alia parte quilibet potest magis sibi consulere, quam alteri. Atque ita contra Bannes 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. Molinam *to.* 3. *disp.* 722. Sotum *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 2. Rebellium *par.* 1. *lib.* 2. *q.* 9. *num.* 4. Vasq. *opusc. de restitut. c.* 9. *§.* 2. *dub.* 2. *num.* 14. Medinam, Couarr. quos citat, & sequitur Reginald. *to.* 1. *lib.* 10. *c.* 5. *num.* 40. docent Alexander ab Alex. *p.* 4. *q.* 86. *art.* 5. *num.* 3. Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 3. *dub.* 5. Angelus *verb. Restitutio* 1. *num.* 1. Silu. *eod. verb. q.* 7. Paludanus *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. *dub.* 5. D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 1. *c.* 2. *§.* 16. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *c.* 4. *p.* 3. *dub.* 4. Toletus *lib.* 5. *c.* 17. *num.* 13. & Fernandez *p.* 1. *c.* 18. *§.* 1. *num.* 14.

Qui tamen addunt, & præcipuè Nauar. *vbi supra c.* 2. *dub.* 3. *num.* 19. quod si malæ quin etiam bonæ fidei possessor rem non emit, sed gratis accepit à fure, in tali casu non est, vnde excusari possit, si eam restituet furi, nisi fortè moraliter certus sit, quod Domino restituet fur. Vide etiam Vasq. *vbi supra §.* 1. *dub.* 2. *num.* 12. & Sayrum *in Claui Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 2. *num.* 21. 2

Item si malæ; nedum bonæ fidei possessor, 3 quinimò fur ipse vendidit rem furtiuam, & postea iuste minori pretio emit eamdem, non tenetur excessum pretij illum Domino restituere, sed satisfacit reddendo Domino rem suam, non deterioratam, cum fructibus ex ea debitis; quia sic faciendo non est causa damni Domino, & Dominum seruat indemnem; plus pretij autem illud non est fructus rei, sed industriæ; & sic spectat potiùs ad auctorem industriæ, quàm ad Dominum rei. Atque ita contra Nauarrum *c.* 27. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 23. *num.* 28. & Lessium *lib.* 2. *c.* 21. *num.* 134. docet Molina *to.* 3. *tract.* 2. *disp.* 721. *num.* 10. Vide etiam Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *c.* 17. *§.* 3. *num.* 25.

Non obstat *l. si & rem ff. de pet. hæred.* vbi 4 dicitur, quod pretium succedit in locum rei: nam id (vt docent Doctores *in l. Mater C. de rei vendit.* & glos. cùm Bart *in dicta l. si rem*) locum habet solum in vniuersalibus iudicijs, cuiusmodi sunt hæreditas, fideicommissum, dos, &c. non autem in particularibus contractibus; vt est in casu nostro.

Quapropter contra Ledesmam, *to.* 2. *tract.* 8. *c.* 14. *post.* 4. *concl. dub.* 2. Bannes, & Aragonium 2. 2. *q.* 62. *art.* 6 *dub.* 1. Sayrum *lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 2. *num.* 13. & Vasq. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 172. *c.* 1. *num.* 4. docent Molina *to.* 3. *tract.* 2. *disp.* 721. Sotus *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 2. Less. *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 5. *num.* 29. Vegha. *to.* 1. *c.* 60. *cas.* 14. & 15. Philcarchus *to.* 2. *p.* 2. *lib.*

6. *c.* 18. Rebellius *par.* 1. *lib.* 2. *q.* 3. *num.* 3. *& par.* 2. *lib.* 9. *q.* 18. *sect.* 1. *num.* 9. & alij,
5 quod vendens bona fide rem alienam eodem pretio, quo emerat, non tenetur restituere Domino pretium rei; & sic ad nihilum tenetur: non enim tenetur ratione iniustæ acceptionis, cùm totum bona fide factum sit: nec ratione rei acceptæ; cùm iam distracta illa fuerit, & sic non extet apud ipsum: nec ad quidquam tenetur emptori, quamdiu emptor rem illam retinet: quia contractus fuit validus, & emptor nullum ex eo damnum accepit.

Si tamen res euincatur, vel Domino restituatur, tenebitur emptori de euictione: non tamen tenetur monere emptorem, esse alienam, si casu contigerit, id eum rescíscere: quia non tenetur cum pari suo damno curare, vt alteri fiat restitutio eius, quod nulla eius culpa perijt, vel alienatum est.

6 Item, si vendens bona fide rem alienam, pluris vendidit, & illud plus non fuit effectus industriæ (vt si, v. g. rem illam partim emit & partim dono accepit) tenetur restituere Domino id, in quo locupletior factus est: sicut & tenetur bona fide consumens, si bona fide consumendo rem alterius, ditior similiter factus est, & fur, à quo eam accepit, non impotens ad restituendum: sicut ex communi docet Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 23. *num.* 24.

Quamuis oppositum non improbabiliter doceant Bannez 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 3. *concl.* 4. Salon. 2. 2. *to.* 1. *q.* 62. *art.* 6. *contr.* 3. *concl.* 4. & Ledesma *to.* 2. *tract.* 8. *c.* 14. *post concl.* 14. *dub.* 3. *dict.* 4. vbi asserit, ita sentire communiter Thomistas. Et ratio esse potest; quia verus Dominus in tali casu non habet ius petendi à fure ipsas numero res, si consumptæ iam sint, sed similes, vel eiusdem pretij; at similes, vel eiusdem pretij manent apud furem, quas restituat, cum non sit factus impotens ad restituendum: ergo recipiens ab illo non tenetur restituere, quamuis ditior factus sit, sed poterit Dominum remittere ad furem, vt ab eo recuperet rem sibi ablatam per furtum.





SECTIO X.

An, si quis subripuit dolium vini, v. g. quod valebat quinque, sed ante restitutionem excreuit ad septem, deinde paulatim iterum decreuit ad quinque, teneatur septem, seu rem cum æstimatione illius augmenti Domino restituere?

SVMMARIVM.

1. *Surripiens dolium vini quod tunc valebat quinque, sed ante restitutionem excreuit ad septem, deinde paulatim iterum decreuit ad quinque, non tenetur septem, seu rem cum æstimatione illius augmenti Domino restituere, nisi in casu, quod Dominus illud vendidisset in illo optimo statu quando valebat septem, non autem si non erat tunc venditurus.*
2. *Fur si dubium sit an Dominus rem suam in optimo statu, & sic summo pretio vendidisset, tenetur in tali casu restituere Domino summum pretium, vel restituere pretium medium pro parte dubij ad arbitrium prudentium.*
3. *Regula, quod in dubio melior est conditio innocentis, locum habet in foro externo, & in interno quando non suppetit melior ratio constituendi æqualitatem inter creditorem, & debitorem.*


Respondetur ex *dictis ibidem*, quod si quis surripuit dolium Vini. v. g. quod tunc valebat quinque, sed ante restitutionem excreuit ad septem, deinde paulatim iterum decreuit ad quinque, non tenetur septem seu rem cum restitutione illius augmenti Domino restituere; nisi in casu, quod Dominus illud vendidisset in illo optimo statu, quando valebat septem; non autem, si non erat tunc venditurus: nam tunc sufficiet, si restituat rem, vt est in se, dummodo non sit effecta deterior, & minoris pretij quàm erat antea; idque obuenturum non fuisset similiter apud verum Dominum. Ita Less. & Bonacina *in locis supra cit.* Rebell. *p.* 1. *lib.* 2. *q.* 6. Turrian. 2. 2. *to.* 2. *disp.* 10. *dub.* 2. *num.* 2. *& seq.* Megalius 2. 2. *lib.* 2. *c.* 1. *q.* 8. *num.* 102. quidquid in contrarium dixerit Nauarr. *c.* 17. *num.* 26. 1

Quod si dubium sit, an Dominus rem suam in optimo statu, & sic summo pretio vendidisset; docent Vasq. *in opusc. de restit. c.* 5. §. 1. *dub.* 12. *num.* 77. & Less. *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 16. *num.* 109. teneri furem in tali casu restituere Domino summum pretium. Ratio, quia in eo statu vendi poterat; & in dubio melior est 2

[illegible] innocentis, & in eius fauorem inclinandum.

At non improbabiliter dici potest, teneri restituere pretium medium pro parte dubij, ad arbitrium prudentium; quia sic creditori, & debitori melius consulitur, cùm res illa, sicut poterat vendi in optimo statu, & sic pretio summo, ita potuerit vendi in pessimo statu, & sic pretio infimo.

3 Ad argumentum autem in contrarium respondetur quod in dubio melior est conditio innocentis & in eius fauorem inclinandum, in foro externo,& in interno,quando non suppetit melior ratio constituendi æqualitatem inter creditorem & debitorem, quod locum non habet in casu nostro,vt *supra* probabatur. Vide Turrianum *2. 2. to. 2. disp.* 10. *dub.* 2. *num.* 7.



SECTIO XI.

Obiectiones contra dicta.

Obiectio I.

SVMMARIVM.

1. *Leges statuunt quod (quamuis si contractus tantum cedat in commodum Domini, cuius res est, quis teneatur solum ex dolo, vel lata culpa, non autem ex leuissima, vel leui.*
2. *Depositarius, qui gratis rem depositam custodit, tenetur solum ex dolo, & nomine doli etiam culpa lata continetur.*
3. *Æquitas postulare videtur, vt depositarius non maiorem teneatur custodiam adhibere, quam passim homines in suis rebus solent.*
4. *Contractus si cedat in vtilitatem vtriusque tenetur ex culpa lata, & leui, etsi non leuissima.*
5. *Contractus pignoris est eiusdem generis, pignus enim datur vtriusque gratia nempè creditoris, & debitoris; vnde is qui pignus accepit non tenetur nisi ad exactam diligentiam in eo custodiendo.*
6. *Contractus etiam conducti, locati, & depositi dicitur esse eiusdem generis, quando datur pretium pro rei custodia, secus si gratis fiat.*
7. *Leges statuunt, quod si res alterius sit apud aliquem per contractum, qui in eius solius vtilitatem tendat, is teneatur non solum ex leui culpa, sed etiam ex leuissima, vt si quis gratis alicui commodauerit librum, equum, vestem, &c.*
8. *Commodatarius, qui librum commodatum reliquit in cubiculo, & egrediens ostium attraxit sed non tentauit an firmiter clausum esset, teneatur ad restitutionem.*
9. *Æquitas postulat vt is, qui gratis re alterius vtitur in suam vtilitatem, summam diligentiam adhibeat, ne Domino pereat.*
10. *Leges prædictæ secundum opinionem multorum satis probabilem obligant ante iudicis sententiam ad damni ex culpa leui, vel leuissima dati reparationem præstandam in conscientia.*
11. *Leges nihilominus recensitæ non obligant in conscientia ante iudicis sententiam, siue quia illæ sunt pœnales, & procedunt ex præsumptione culpæ interioris, siue potius quia in foro conscientiæ non videntur ita receptæ.*
12. *Idem videtur dicendum de commodato.*
13. *Homo non magis tenetur ad custodiam precarij quam commodati, vnde plerumque fit restitutio, non solum si commodatum peryt, sed etiam si precarium.*
14. *Argumentum à foro interno ad externum in pœnalibus non valet, si quidem lex potuit aliquid prohibere pro bono publico, quod in conscientia non est peccatum.*
15. *Deflorans Virginem volentem ante sententiam iudicis nihil ei ex iustitia dare tenetur, & tamen in foro externo cogitur eam dotare lege sic statuente propter bonum commune.*
16. *Similiter qui amisit commodatum absque culpa, etsi nihil ex iustitia debeat ante sententiam iudicis, cogi tamen poterit per sententiam ad restitutionem ex vi legis propter bonum commune sic statuentis.*
17. *Culpa leuissima in foro externo (dum agitur de damno dato) spectatur, quæ in foro conscientiæ non obligat.*
18. *Lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia, si in aliquo casu deficiat eius præsumptio.*
19. *Leges humanæ, quæ irritant contractum, licet fundentur in præsumptione, tamen validæ sunt, & obligant in vtroque foro tam interno, quam externo, etiamsi contingat præsumptionem in aliquo casu falsam esse.*
20. *Hæres, qui non confecit inuentarium licet obligetur ex lege ad omnia defuncti legata, & debita soluenda, quod lex fundetur in præsumptione, non tenetur in conscientia illa soluere, si reuera vires hæreditatis non excedant.*
21. *Decretum Trid. sess. 25. c. 19. audientiam professis (qui transacto quinquennio reclamare volunt, professionem suam fuisse nullam allegantes) denegans, cum fundetur in præsumptione, non obligat in foro conscientiæ.*
22. *Bulla Sixti V. quoad professionis annullationem ob illum iuris defectum, quod scilicet de professi vita, & moribus inquisitio antea facta non fuerit, innitatur præsumptioni, in foro interiori non obligat, si reuera à parte rei nullum vitium subest.*
23. *Bulla alia Sixti V. quoad Chiromanticos &c. cum fundetur in præsumptione, quod huius generis homines habeant cum dæmone, si quis certò sciat, eos tale pactum non habere, non obligat in conscientia ad denunciandum.*
24. *Hæreditas, vel legatum omni iure tam ciuili quam naturali debetur, si constet eam fuisse testatoris voluntatem, nullamque interuenisse fraudem, quia leges ciuiles cassantes testamenta minus solemnia fundantur secundum proba-*

bilem nonnullorum sententiam in præsumptione commissæ fraudis.

25. Census valet in foro interiori licet constituatur in pecunia antea debita, vel soluta: aut si tempore contractus censualis tradatur loco pecuniæ aliqua alia res æquiualens, cum Bulla Pij V. de censibus numeratam pecuniam coram Notario, & testibus, & alias solemnitates requirentibus, fundetur in præsumptione.

26. Census vt teneat de iure naturæ, sufficit quod sit æqualitas secundum æstimationem inter censum, & pretium.

27. Census antiquus augeri potest, vel nouus constitui ex pensionibus non solutis vbi Bulla Pij V. non est recepta (quam in Regno Siciliæ receptam non esse, notauit Lessius.

28. Census an constitui possit in pecunia credita negat Lopez.

29. Census constitui potest in re, quæ non habet tantam vtilitatem quantam habet census, sunt DD. pro vtraque sententia.

30. Pactum inter campsorem, & campsarium de certo intereße in casu non solutionis (si moraliter constet illud iustum esse, valebit in foro conscientiæ, cum Bulla Pij V, de cambijs fundetur in præsumptione fraudis vsurariæ, qua cessante etiam vbi dicta Bulla recepta est, in conscientia seruari poterit.

31. Campsor an peccet in casu, de quo agitur, cum operetur contra legem prohibentem, alij negant, alij affirmant.

32. Campsor probabilius videtur Auctori, non peccare mortaliter, sicque dictam Bullam Pij V. in foro conscientiæ non obligare.

33. Legis ratio quando cessat in particulari, in particulari etiam ceßat obligatio legis.

34. Bulla Pij V. de cambijs tantum prohibet pactum lucri certi, non item incerti, in casu scilicet quod campsarius non soluerit.

35. Bulla Clementis VIII. de largitione munerum cum processerit ex præsumpta causa ambitionis, si hæc cessauerit, cessabit etiam illius prohibitio in foro conscientiæ.

36. Loquens cum monialibus ad honestum finem non peccat, quia lex prohibens locutionem, fundatur in præsumptione inutilium amicitiarum (& sic excommunicationem non contrahet) dummodo scandalum absit, etiamsi loquatur per longum tempus vltra paruitatem materiæ.

37. Leges præscriptionis secundum Scotum, & alios, cum instituta sint solum vel potissimum in pœnam negligentiæ Domini, si negligentia reuera non interuenerit, non habent locum in foro conscientiæ, & sic qui vsu cœpit, vel præscripsit etiam cum bona fide, obstrictus erit in conscientia restituere.

38. Opinio tamen opposita est communis, & probabilior.

39. Princeps per suas leges potest priuare subditum re sua etiam absque eius culpa, si ratio boni communis ita postulat.

40. Leges præscriptionis si fundentur secundum Scotum in præsumptione negligentiæ, si reuera à parte rei non interuenit in re sua petenda Domini negligentia, in foro interno locum non habent.

41. Præsumptio cedit semper veritati.

42. Textus in cap. veniens 2. & in cap. is qui fidem de sponsalibus cum fundetur in præsumptione quod scilicet sponsalia de futuro secuta copula in matrimonium transiisse censeantur, quod scilicet sponsi non animo fornicario, sed coniugali coniuncti fuerint, si præsumptio est falsa non haberet locum in secundo matrimonio validè contracto, quod maximè est verum vbi constitutio Tridentini non fuit acceptata.

43. Christiani, qui Saracenis, & alijs etiam Christi nominis inimicis deferunt arma, ferrum, & similia (quibus illi Christianos impugnant) non incidunt in pœnam Bullæ Cœnæ 11. si ex earum subministratione, vel commutatione maius sequatur Christianis commodum, quam sequatur incommodum, cum dicta dispositio innitatur præsumptioni, talia scilicet illis subministrari pro nocumento Christianis inferendo.

44. Legis ratio quando ceßat in totum ceßat lex, & obligatio legis, quando cessat in parte, in parte cessat lex.

45. Lex licet condatur propter bonum commune, adhuc illa obligat, singulos in particulari, & in singulis habet vim ratio propter quam conditur lex.

46. Lex vt cesset, necesse est vt cesset causa, seu finis totalis, & adæquatus legis: nam si partialis tantum causa siue finis legis cesset, fieri potest vt perseueret altera causa, seu finis legis, qui sufficiens sit ad conseruandam obligationem legis.

47. Lex tributi ciuibus indicta, cum hostes Ciuitatem oppugnarent, non cessat, etsi hostes adesse desinant, dum periculum ab hostibus permanet, quia tenetur Princeps semper esse paratus, & habere naues, & milites expeditos, vel dum permanent aliæ iustæ causæ exigendi tributum, &c.

48. Lex si plures in se partes continet, quarum vna ab altera separari potest, tunc quamuis cessante ratione totali vnius tantum partis, lex cesset in totum secundum vnam partem, perseuerabit tamen secundum alteram partem, sicuti si causa tributi cesset in parte, in parte etiam cessabit tributum.

49. Iudicis sententia non obligat in conscientia, quamuis secundum ordinem iuris sit lata, si itidem eius præsumptio deficiat in aliquo casu.

50. Is, qui per talem sententiam aliqua re priuatus est, ut legato, hæreditate, &c. aut pecunia mulctatus &c. non tenetur in conscientia ad solutionem, nisi non parendo sententiæ maius malum, vel scandalum timeretur.

51. Is, cui res talis est applicata, si sciat sententiam falso fundamento niti, non potest eam retinere, sed obligatus est restituere.

52. Prouisus ex beneficio, vel officio per iudicis sententiam secundum allegata, & probata alteri ablato, ad restitutionem non tenetur, etiamsi priuatim sciat sententiam falsis probationibus fundari, condemnatum innocentem esse, modò tamen causa falsæ illius sententiæ non fuerit.

53. Ecclesia, & Respublica in beneficijs, & officijs multo maiorem potestatem habet quam in bonis Priuatorum, quia ea sunt bona communia.

54. Reus, quamuis non teneatur in conscientia

[illegible] terare sententiæ, si falsa præsum[illegible], aut falsis probationibus nitatur, p[illegible] si non de beneficijs, & officijs, sed de [illegible]bus proprijs agatur, tamen non potest per vim se defendere contra iudicem, aut eius ministros, ne sententiam talem in falsa præsumptione, aut falsis probationibus fundatam, exequatur.

55. In casu, de quo agitur sentiunt aliqui non esse i[illegible]itum vti mera defensione, si scandalum absit, & alioquin morte plectendus esset.

56. Iudex, & Ministri in casu, de quo agitur, cum reus non sit dignus pœna, non habent verum ius inuadendi; sed solum præsumptum, seu in opinione.

57. Sententia recensita non est facilè in praxim deducenda, maximè propter scandalum, quod ius abesse potest.

58. Maritus sciens coniugis adulterium (quamuis i[l]lud probare non possit) per se loquendo, vxori debitum reddere non tenetur, esto iudex ei sub excommunicatione per sententiam id mandet.

59. Condemnatus obedire tenetur, ne iudicium Ecclesiæ contemnere videatur, quatenus scandali vitandi necessitas vrget.

60. Matrimonij prioris simulator, si non expectata Ecclesiæ sententia, relicta putatiua vxore, alteram valide ducat, si per Ecclesiam cogatur positus censuris ad prius matrimonium, si effugere non possit prioris cohabitationem, potius excommunicationis sententiam secundum externum forum humiliter sustinere debet, quam vt in copulam consentiat ex eo, quia verum adulterium esset, & sic per se, & intrinsecè malum.

61. Idem dicendum (quotiescumq; matrimonij defectus manifesto alicui ex coniugibus apparet) quod potius sustineat excommunicationis sententiam, quam committat fornicationis peccatum.

62. Censura lata contra innocentem, qui secundum allegata, & probata in iudicio nocens censetur, reipsa eum non priuat Ecclesiæ suffragijs, alijsque spiritualibus commodis, aut facultatibus, &c.

63. Censura prædicta vt supra lata per legitimas probationes non omnino irrita est, nec omni effectu caret, sed putatiuo reo necessitatem imponit, vt in facie Ecclesiæ abstineat à Sacramentorum vsu, fidelium communione, alijsque rebus, quæ per censuram prohibentur, donec, &c.

64. Ecclesia neque vult, neque potest excedere limites datæ sibi potestatis, & potestas excommunicandi, &c. tantum data est in contumaces.

65. Excommunicatio, quæ euidenter est nulla, licet non teneat neque in foro interno, neque in externo, adhuc tamen excommunicatus nulliter (licet non sit extra iudicium vitandus) in iudicio tamen non admittitur, vt actor, donec probet excommunicationis nullitatem in facto tamen nullitatis probando admittitur.

66. Sententia Pastoris seu iusta, seu iniusta, gregi timenda est.

67. Iudex ex officio suo pertinente ad publicam vtilitatem, & disciplinam, obligatus est vt in iudicio secundum publica allegata, & probata, sententiam ferat, quamuis priuata notitia reum esse innocentem cognoscat, sed innocentiam eius publicè, & legitimè ostendere nequeat.

68. Clericus innocens si secundum allegata, & probata à iudice excommunicatus, actum sui ordinis exerceat, non contrahit irregularitatem.

69 Canones violanti censuram, irregularitatem statuentes, intelligi debent de vera, & reali censura.

70. Clericus innocens secundum allegata, & probata excommunicatus, occultè, vel coram ijs, qui eius innocentiam norunt, si sacrificet, nihil delinquit, si tamen de re accusetur, & conuincatur tanquam irregularis à iudice condemnari potest.

71. Innocens re ipsa, sed publicè condemnatus cum scandalo, & apparenti contemptu Ecclesiasticæ potestatis celebret, & monitus non desistat, tunc de nouo verè excommunicari poterit propter contumaciam.

72. Collatio facta innocenti Clerico excommunicato propter falsas allegationes, valida est, & prouisus in conscientia est tutus, quamuis collatio in foro externo rescindi, vel irrita declarari possit.

73. Census celebratus pecunia non numerata coram Notario, & testibus cessante fraudis præsumptione validus est in foro conscientiæ etiam post iudicis sententiam latam de nullitate contractus.

74. Idem dic de legatis, & hæreditate in testamento minus solemni.

75. Leges prædictæ, quia probabile est id quod statuunt statuere ob conuenientiam, & æquitatem naturalem, probabile etiam est, quod prædictæ leges obligent ad reparationem damni ante sententiam, ne dum post sententiam iudicis, sicut leges præscriptionis, &c.

76. Iudex si auctoritatem legum, & naturalem æquitatem secutus, aliquid, quod alias ex rigore iustitiæ non deberetur, alicui contra alium adiudicat, in foro conscientiæ fit debitum.

77. Iudex si in pœnam delicti per sententiam imponit alicui mulctam in fauorem eius, qui iniuriam passus est, fit debitum, oportet tamen sententiam niti in veritate non in falsa præsumptione.



Bijcies primò, leges statuunt, quod 1
(quamuis si contractus tantum cedat in commodum Domini, cuius res est, teneris solum ex dolo, vel lata culpa; non autem ex leuissima, vel leui, vt patet *Instit. quibus modis re contrahitur obligatio §. interea & is*, vbi dicitur depositarium, 2
nempè qui gratis rem depositam custodit, teneri solum ex dolo; nomine autem doli etiam culpa lata continetur, vt ibi glos. vnde si apud te posui librum, arma, vestem, vel quid aliud, &c. in meum dumtaxat commodum, teneris solum ex culpa lata. Et ratio vlterius, præter supradictas rationes, esse potest; quia æquitas postulare videtur, vt tunc non maio- 3
rem tenearis custodiam adhibere, quàm passim homines in suis rebus solent, cùm tibi

nulla fiat gratia, nec tuum commodum spectetur, sed Domini) tamen si contractus cedat in vtilitatem vtriusque, tenearis ex culpa
4 lata, & leui, etsi non leuissima; vt patet *ex l. contractus* 23. *ff. de reg. iur. & instit. supra §.*
5 *creditor.* Talis generis est contractus pignoris: pignus enim datur vtriusque gratia, nempe creditoris, & debitoris: vnde is, qui pignus accepit, non tenetur, nisi ad exactam diligentiam in eo custodiendo; vt patet *instit. supra*; non tamen ad exactissimam, vt ibidem
6 probat gl. Talis generis etiam est contractus conducti, locati, & contractus depositi, quando datur pretium pro rei custodia, secus si gratis fiat. Denique talis generis est contractus commodati, quando vtriusque gratia fit. Et ratio constitutionis harum legum est; quia cùm res aliena tibi concedatur in tuam etiam vtilitatem, æquitas postulat, vt valde diligenter eam custodias, etsi non diligentissimè: quia non tua solius gratia, sed etiam ob commodum Domini traditur.

7 Quin vlterius leges statuunt, quod si res alterius sit apud te per contractum, qui in tuam solius vtilitatem tendat, tenearis non solum ex leui culpa, sed etiam ex leuissima, v. g. si gratis tibi commodaui librum, equum, vestem, &c. tenearis in ea re custodienda adhibere non solum illam diligentiam, quam homines communiter in suis rebus similibus adhibere solent, sed etiam quam diligentiores, & diligentissimi. Vnde si v. g. librum
8 commodatum reliquisti in cubiculo, & egrediens ostium attraxisti, sed non tentasti, an firmiter clausum esset, teneris ad restitutionem. Ita habetur *in c. vnic. de commodato*, vbi dicitur: *Cùm gratia sui tantum quis accommodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur.* Quod Doctores de culpa iuridicè accepta interpretantur (quamuis Sotus velit ea Theologicè accipi pro vera culpa in conscientia) idem colligitur *ex l. in rebus* 18. *ff. commodati, vel contra, & Instit. quibus modis re contrahitur obligatio §. item is.* Et ratio harum legum
9 est, quia æquitas postulat, vt is qui gratis re alterius vtitur in suam vtilitatem, summam diligentiam adhibeat, ne Domino pereat: id enim ex gratitudine præstare debet. Vnde sufficiens adfuit fundamentum ad hoc per leges sanciendum, & strictam obligationem inducendum.

10 Ob hanc rationem multi satis probabiliter putant, has leges etiam ante iudicis sententiam, ad damni ex culpa leui, vel leuissima dati reparationem præstandam obligare in conscientia. Et ratio vlterius esse potest, quia hæ leges faciunt id, quod naturali æquitati est consentaneum, præstare circa rem alienam, quam mediante contractu apud se homo habet; qua sanctione posita, qui facit talem contractum, accipiendo, v. g. commodatum, conductum, depositum vel pignus, &c. implicitè se obligat ad præstandam eam diligentiam, quam dictæ leges requirunt: quare si talem diligentiam non præstet (quamuis id naturali obliuione, sine omni culpa factum sit) ad restitutionem tenebitur. Vide Couarr. *in epitome* 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. §. 6. *num.* 15. & Nauarr. *c.* 17. *num.* 184.

Respondetur tamen, & dictas leges non 11
obligare in conscientia ante iudicis sententiam, siue quia illæ (vt docent Sot. *lib.* 4. *de iust. q.* 7. *ar.* 2. Henriq & Sà *in locis supra cit.*) sunt pœnales, & procedunt ex præsumptione culpæ interioris; siue potius quia in foro conscientiæ non videntur ita receptæ: nemo enim est, qui pignori, vel rei conductæ putet se adhibere debere ex iustitia maiorem custodiam, quàm Dominus ipse adhibere consueuit.

Idem videtur dicendum de commodato: 12
etsi enim diligentius hoc custodiat commodatarius, quàm Dominus, non tamen is id facit, quod putet se teneri ex iustitia, sed ex gratitudine: id enim gratitudo postulat, propter commodum, quod ex re alterius percipit.


Adde, quod homo non minus tenetur ad 13
custodiam precarij, quàm commodati: Vnde plerumque fit restitutio, non solum si commodatum perijt, sed etiam si precarium, quamuis hoc sine omni culpa perierit: cùm tamen precarium non requirat etiam per leges, nisi custodiam communem, ita vt solum excludatur dolus, & lata culpa, vt *supra* dicebatur *ex l. contractus de reg. iur. & l. quæsitum est. §. eum quoque ff. de precario.*



Obiectio 2.

Obijcies secundò, si homo non tenetur in 14
conscientia, ergo iniquè cogitur in foro externo.

Respondeo, nego consequentiam; quia forum externum sequi potest oppositam sententiam, quæ non est improbabilis; siquidem potuit id lege statui propter bonum commune, ad hoc vt vitetur omnis fraus, & negligentia circa res huiusmodi; & præterea excitentur homines ad præstandam diligentiam eam, quæ æquitati naturali est consentanea, etsi ex iustitia non sit debita. Sicut qui deflo- 15
rauit virginem volentem, ante sententiam iudicis nihil ei ex iustitia dare tenetur; & tamen in foro externo cogitur eam dotare, lege sic statuente propter bonum commune. Ergo sic similiter qui amisit commodatum absque 16
culpa, etsi nihil ex iustitia debeat ante sententiam iudicis; cogi tamen poterit per sententiam ad restitutionem, ex vi legis propter bonum commune sic statuentis: neque hoc mirum videri debet; quia in foro externo, dum agitur de damno dato, etiam culpa leuissima 17
spectatur; vt patet *ex l. in lege* 40. *ff. ad legem Aquiliam*; cùm tamen hæc in foro conscientiæ non obliget, vt *supra* in fundatione nostri principij satis ostensum est.



Objectio 3.

OBijcies tertiò, ergo neque post sententiam, quamuis secundum ordinem iuris latam, tenebitur homo in conscientia soluere; vel si soluerit, poterit occulte compensare ab eo, cui soluit. Consequentia probatur; quia
18 lex fundata in præsumptione, non obligat in conscientia, si in aliquo casu deficiat eius præsumptio: ergo nec obligat sententia, quamuis secundùm ordinem iuris lata, si similiter in præsumptione fundetur.

Antecedens docent Valerus *verb. lex diffic.* 11 *num.* 1. Layman, *tract.* 4. *c.* 21. *num.* 4. Megalius 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *q.* 2. *num.* 55. Fernandez *p.* 2. *c* 4. §. 3. *num.* 4. & alij, quos citat, & sequitur Homobon. *p.* 1. *tract.* 5, *c.* 8. *q.* 53. (quidquid aliqui dixerint in contrarium, qui tamen sententiam hanc probabilem vocant: inter quos Becanus *in summ. p.* 2. *tract.* 3. *c.* 6 *q.* 9. *concl.* 4. *num.* 5. vbi sic ait,
19 tametsi leges humanæ, quæ irritant contractum, fundentur in præsumptione, tamen validæ sunt, & obligant in vtroque foro, tam interno, quàm externo, etiamsi contingat, præsumptionem in aliquo casu falsam esse. Hæc conclusio est certa in foro externo, dubia in interno: nam multi probabiliter contrarium docent) lex itaque in præsumptione fundata non obligat in conscientia, si in aliquo casu deficiat eius præsumptio.

20 Hinc, cùm lex hæredem non conficientem inuentarium, ad omnia defuncti legata, & debita soluenda obligans, fundetur in præsumptione, non tenetur in conscientia hæres illa soluere, quamuis inuentarium non confecerit, si reuera vires hæreditatis non excedant. Ita Sylu. *verb. lex. q.* 9. Angel. *eod. verb.* Nauar. *de restit. lib.* 3. *c.* 4. *dub.* 9. *num* 137. Sayrus *lib.* 3. *c.* 7. *num.* 7. Suar. *de legib. lib.* 3. *c.* 23. *num.* 9. Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 15. *num.* 37. & Salon. 2. 2. *q.* 77. *ar.* 3. *dub.* 10. contra Molinam *to.* 1. *tract.* 2. *disp.* 217. *num.* 12. Reginaldum *to.* 1. *lib.* 25. *c.* 52, *num.* 627. & alios.

21 Item secundò, cùm Decretum Trid. *sess.* 25. *c.* 19. audientiam professis (qui transacto quinquennio reclamare volunt, professionem suam fuisse nullam allegantes) denegans, fundetur in præsumptione ratificationis inductæ per illud quinquennium, prioris irritæ professionis veram in foro conscientiæ dispositionem non inducit. Ita ex communi Sanch. Gratian. Rodrig & Beia *in locis infra citandis.*

22 Item tertiò, cùm Bulla Sixti V. quoad professionis annullationem ob illum iuris defectum, quod scilicet de professi vita, & moribus inquisitio antea facta non fuerit, innitatur præsumptioni, in foro interiori non obligat, si reuera à parte rei nullum vitium subest. Ita Sanch. *de matrim. to.* 2. *lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 9. Rodrig. *quæst. Regul. q.* 54. *ar.* 4. Gratian. *discept. forens. c.* 413. & Beia *p.* 4. *c.* 18.

Item quartò, cum similiter Bulla alia Sixti 23
V. quoad Chiromanticos, &c. fundetur in præsumptione, quod huius generis homines pactum habeant cum dæmone; si quis certò sciat, eos tale pactum non habere, denunciare non tenetur. Ita Valer. *verb. Hæresis, diff.* 1. *num.* 4. & Riccius *p.* 3. *decis.* 278. *num.* 6.

Item quintò, cùm leges ciuiles cassantes 24
testamenta minus solemnia (idemque dico de contractibus) fundentur, secundùm probabilem nonnullorum sententiam, in præsumptione commissæ fraudis, si constat eam fuisse testatoris voluntatem, nullamque interuenisse fraudem, hæreditas, vel legatum omni iure, tam ciuili, quam naturali debitum est, ob generalem prædictam regulam, quod leges in præsumptione fundatæ vim suam amittunt, si de contraria veritate constat; quia præsumptio cedit semper veritati. Ita Abb. *c. quia plerique num.* 43. *& in repetit. c. cùm esses, num.* 8. *&* 15. *de testamentis.* Sylu. *verb. Hæreditas,* 3. *q.* 7. Sayr. *lib.* 3. *c.* 7. *num.* 9. & Medina *in fin. quæst.* 13. *de restit.* & alij contra Couar. *in cit. c. cùm esses, num.* 7. *de testam.* Vasq. *in moral. tr. de testam. c.* 3. *num.* 4. Salas *disp.* 16. *sect. vlt. num.* 52. qui tenent, prædictas leges actum, vt supra, cassantes, non fundari in præsumptione sed id efficere ob bonum publicum, ad euitandas scilicet hominum fraudes. Sed de hac re *supra* satis dictum est.

Item sextò, cum Bulla Pij V. de censibus 25
numeratam pecuniam coram Notario, & testibus, & alias solemnitates requirentibus, fundetur in præsumptione, valet census in foro interiori, quamuis is constituatur in pecunia antea debita, vel soluta, aut si tempore contractus censualis tradatur loco pecuniæ aliqua alia res æquiualens: pecuniæ enim nomine æquiualentia comprehenduntur, vt patet *ex l. pecuniæ, ff. de verb. signific. & l. quæ ff. de iure dotis.* Et sic sufficit, vt contractus nullam iniustitiam, aut fraudem contineat, sed vt solum de iure naturæ teneat. Ita contra Salas *de censib. dub.* 8. *num.* 11. Filliucium & alios docent Nauarr. *commentar. de vsuris, num.* 88. *&* 121. Less. *lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *num.* 80. Mald. 2. 2. *tract.* 5. *c.* 5. *dub.* 6. Boninsignius *de cens. cap.* 5. *num.* 5. Megalius 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 2. *num.* 57. Sà *verb. census, num.* 3. Faustus *in spec. confess. disp.* 18. *q.* 21. *& q.* 29. qui citat Valentiam, Salonium, & Palatium. Vt
autem de iure naturæ teneat census, sufficit 26
(vti notauit Less vbi *supra num.* 74.) quod sit æqualitas secundùm æstimationem inter censum, & pretium; quodque, si grauamina aliqua hinc inde præter naturam contractus per pacta assessoria imponantur, ea prudentis arbitrio debitè compensentur; præsertim vbi
Bulla prædicta Pij V. non est recepta (quam 27
in Regno Siciliæ receptam non esse notauit idem Lessius *cit. c.* 22. *dub.* 13. *num.* 99.) Vnde fit, quod ex pensionibus non solutis potest quis censum antiquum augere, vel nouum constituere. Vide Salas *vbi supra dub.* 8. *num.* 13. qui citat Nauarrum, & Rodericum.

Porrò, an census constitui possit ex pecunia 28

creditâ? negat Lopez *de contract. lib.* 1. *c.* 59.
29 At affirmat Sotus *de iustit. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 1. Vide etiam Faustum *cit. disp.* 18. *q.* 32. *num.* 2. Item, an censûs constitui possit in re, quæ non habet tantam vtilitatem, quantam habet census; negant aliqui: at affirmat etiam Sot. *vbi supra* cùm Couarr. *lib.* 3. *var. c.* 7. *num.* 6. Conrado *de contract. q.* 88. *concl.* 12.

30 Item septimò, cùm alia Bulla Pij V. de cambijs, quæ prohibet, ne campsor à principio contractus possit pacisci cum campsario certum, & determinatum interesse in casu non solutionis, fundetur in præsumptione fraudis vsurariæ, dictum pactum de certo interesse (si moraliter constet illud iustum esse) in foro conscientiæ valebit, etiam in locis vbi dicta Bulla Pij V. recepta est. Ita Less. *lib.* 2. *c.* 23. *dub.* 11. *num.* 90. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 25. *c.* 34. *num.* 467. & alij contra Filliucium *to.* 2. *tract.* 35. *p.* 2. *c.* 7. *num.* 424. & Homobonum *p.* 2. *tract.* 9. *c.* 15. *q.* 4.

31 An verò in tali casu mortaliter peccet campsor, cùm operetur contra legem prohibentem?

Affirmant Salas *tract. de cambijs, dub.* 13. *num.* 2. & Rebell. *p.* 2. *lib.* 11. *q.* 12. *num.* 5. ex eo, quia quando modus aliquis contrahendi prohibetur, ad tollendas occasiones peccandi; quamuis de facto in casu aliquo particulari iniustitia non committatur, non tamen propterea cessat vniuersim ratio legis; quoties autem vniuersim non cessat ratio legis, non cessat ipsa lex, & sic obligatio legis, ergo, &c.

32 At probabilius mihi videtur, in tali, & omni alio simili casu campsorem mortaliter non peccare; sicque dictam Bullam Pij V. in
33 foro conscientiæ non obligare. Ratio, quia, vt *infra* dicetur, quando cessat ratio legis in particulari, in particulari etiam cessat obligatio legis, sicuti præter alios infra citandos docet Granad. *par.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *par.* 1. *disp.* 15. *sect.* 2. & Sà *verb. cambium num.* 6. vbi ait, quod licet lex prohibeat cambium in aliqua forma, ex eo, quia in illa forma fraudem præsumit; si reuera tamen abest fraus, lex non intendit prohibere; idemque docet de cambijs omnibus, eorumque conditionibus, iure tamen naturali attento, licitis; nempe, quod licet talia per legem aliquam prohibeantur, cessante tamen fraude (quam lex præsumit) adhuc licitè in conscientia possint fieri, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine constet oppositum.

34 Aduerte tamen ex communi, quod in prædicta Bulla de cambijs Pius V. tantum prohibuit pactum lucri certi, non item incerti, in casu scilicet, quod campsarius non soluerit in loco, & tempore determinato.

35 Item octauò, cum Bulla Clementis VIII. de largitione munerum processerit ex præsumpta causa ambitionis; si hæc cessauerit, cessabit etiam illius prohibitio in foro conscientiæ. Ita Valerus *verb. Munera, diffic.* 1. *num.* 82. Adde, quod prædictam Bullam non esse vsu receptam, docent Valer. vbi *supra num.* 106. Gratian. *tom.* 2. *c.* 202. *num.* 17. Megalius 1. 2. *lib.* 2. *c.* 27. *q.* 3. *num.* 65. Homobon. *p.* 1. *tr.* 7. *c.* 30. *q.* 123. & Victorellus *in notis ad Manu.* Nauarr. *c.* 18. *num.* 105.

Item nonò, cùm lex prohibens locutionem 36
cum moniali fundetur in præsumptione inutilium amicitiarum: si quis cum illa loquatur ad honestum finem, v. g. ad consilium dandum, ad conscientiam sedandam à scrupulis, ad Spiritum deuotionis excitandum, & similia, non peccabit (& sic excommunicationem non contrahet) dummodo scandalum absit: & hoc intelligo, etiamsi cum illa loquatur per longum tempus vltra paruitatem materiæ, quæ ab alijs assignatur spatium vnius, ab alijs spatium alterius Miserere, ab alijs autem spatium quadrantis horæ, si locutio sit de rebus indifferentibus; nam si sit de obscœnis, tunc ad excommunicationem incurrendam sufficient vel decem verba; quinimò duo, vel tria, vt alij rectius docent.

Item decimò, cùm leges præscriptionis secundum Scotum *in* 4. *d.* 15. *q.* 2. *§. de secundo* 37
Gabrielem *ibidem q.* 14. *art.* 1. *in fine.* Adrian. *q.* 2. *de præscript. pag.* 166. Io. Medinam. *C. de restitut. q.* 18. institutæ sint solum, vel potissimum in pœnam negligentiæ Domini, si negligentia reuera non interuenerit præscriptio in foro conscientiæ locum non habebit, & sic qui vsucepit, vel præscripsit, etiam cum bona fide, obstrictus erit in conscientia restituere. Atque ita docent prædicti Doctores *in locis supra cit.*

Opinio tamen opposita est communis, & 38
probabilior. Ratio, quia tam ciuiles, quàm Canonicæ leges indistinctè, & sine restrictione negligentiæ Domini, approbant præscriptiones bonæ fidei: tum quia Princeps per suas 39
leges potest priuare subditum re sua, etiam absque eius culpa, si ratio boni communis ita postulat; Ergo cùm ratio boni communis id postulet, ne semper incerta sint Dominia rerum, & lites multiplicentur, omnino dicendum videtur, quod hisce legibus dominium in alium propter dictas rationes transferatur.

Confirmatur, quia lege pœnali non amittitur dominium ante sententiam iudicis; at præscriptio simul ac peracta est, dominium adimit, & in nouum possessorem transfert; ergo leges præscriptionis non sunt pœnales, Domini scilicet negligentiam tantum punientes.

Confirmatur secundò, quia ista negligentia in petenda re suá, non est nisi venialis, quæ non meret pro pœna ablationem rei. (Vnde Adrian. requirit in ea culpam mortalem) at hæc vel nunquam, vel rarissimè accidit; ergò ferè nunquam in foro interno præscriptio locum haberet, quod maximum videtur absurdum.

Interim non nego, quod in opinione Scoti, & aliorum docentium, leges præscriptio- 40
nis fundari in præsumptione, præscriptio, si reuera à parte rei non interuenit in re sua petenda Domini negligentia, in foro interno locum non habat; atque adeò quod qui præscripsit (etiam cum bona fide) teneatur in conscientia, postquam id certò sciuit, rem Domino restituere; vel saltem, quod Dominus,

tam commodè poterit, possit occultè rem suam compensare, sicuti in alijs casibus similibus supra dicebatur. Et ratio est eadem, quæ
41 supra, quia scilicet præsumptio cedit semper veritati, *arg. c. super hoc, de renunciatione*; & docet præter Doctores *supra* citatos, Abb. *in c. quia plerique, num.* 18. *de immunit. Eccles.* Couarr. *c. cum esses, num* 9. *de testam.* Nauarr. *c. ita quorundam, de Iudæis, notab.* 10. *num.* 29.

Cuius rei exemplum habemus; *in c. ve-*
42 *niens*, 2. *& in c. Is, qui fidem, de sponsalibus*, vbi dicitur, quod sponsalia de futuro, secuta copula, in matrimonium transijsse censentur, ob iuris præsumptionem, quod sponsi non animo fornicario sed animo coniugali coniuncti fuerint; quo tamen non obstante, si sponsus sciat, falsam esse hanc iuris præsumptionem, animum scilicet sibi non fuisse in matrimonium consentire; ideoque alteram postea priore sponsa quamuis per iniuriam, spreta, vxorem duxerit, non prius matrimonium falsa præsumptione nixum, sed matrimonium posterius subsistet: quod adhuc hodie est verum in ijs locis, vbi Tridentini constitutio *sess.* 24. *c.* 1. *de reformat. matrim.* Parochi, ac testium præsentiam ad valorem matrimoni requirens, recepta non est. Vide Couarr. *p.* 1 *epist. decret. c.* 4. §. 1.

Alterum exemplum affert Nauarr, *vbi supra*: licet enim, inquit ipse, *in cit. c. ita quorum-dam* excommunicentur in Bulla Cœnæ ij
43 Christiani, qui Saracenis & alijs etiam Christi nominis inimicis deferunt arma, ferrum, & similia (quibus illi Christianos impugnant) cùm præsumptio esse soleat, talia ijs subministrari cum nocumento Christianis inferendo; si tamen certo constet ministranti hic, & nunc similes res, Saracenum vel Turcam eas non ad bellicos vsus, sed v. g. ad ædes priuatas fabricandas adhibere: vel si (adde tu) ad bellicos vsus adhibeat, ex earum tamen subministratione, vel commutatione, maius sequitur Christianis commodum, quàm sequatur incommodum, qui ministrat, contra legem Ecclesiasticam non peccabit; atque adeo nec excommunicationem incurret.

Ex his ergo restat sufficienter probatum antecedens probationis tertiæ objectionis quod scilicet lex fundata in præsumptione non obliget in conscientia, si in aliquo casu deficiat eius præsumptio; & confirmatur, quia sicut quando cessat lex in sua generalitate, tunc non solum cessat in vno, sed etiam cessat in omnibus, sicque lex reducitur ad non legem, quasi tunc sit correcta ratio legis, & sic ipsa lex: atque adeo cessat obligatio legis: ita quando in aliquo particulari cessat finis adæ-
44 quatus, & totalis ratio legis, in tali particulari cessabit quoque obligatio legis (valet enim argumentum de toto ad partem) sed quando ratio legis cessat in totum, in totum cessat lex, & obligatio legis; ergo quando ratio legis cessat in parte, in parte cessabit lex, & obligatio legis, *ex auth. legis. quæ de tota ff. de rei vendit.* Quare sic argumentor: cùm ratio adæquata legis cessat in generali, seu comparatiuè respectu omnium personarum, ac temporum, cessat in generali obligatio legis. Ergo cùm ratio adæquata legis cessat in aliquo particulari, seu comparatiuè respectu alicuius personæ & temporis particularis, in particulari cessabit obligatio legis. Consequentia probatur; quia ita se habet lex in generali, ad rationem acceptam in generali, sicut lex in particulari, ad rationem acceptam in particulari; sed quando ratio legis cessat comparatiuè, seu respectu omnium obligatio cessat respectu omnium. Ergo quando cessat comparatiuè, seu respectu vnius, obligatio legis cessabit respectu vnius. Adde, quod lex non solum obligat omnes in generali, sed singulos in speciali: ergo sicut deficiente ratione apud omnes, manent omnes deobligati; ita deficiente ratione apud vnum specialem, manebit deobligatus vnus specialis.

Neque dicas, quod lex conditur propter bonum commune; ergo, vt obligatio legis cesset, requiritur, vt eius ratio, & finis cesset in communi, seu vniuersaliter; & non sufficit, quod cesset in casu particulari, sicque retinebit lex suam vim obligandi in casu particulari.

Respondetur enim *ex dictis*, quod licet 45
lex condatur propter bonum commune, adhuc illa obligat singulos in particulari, & in singulis habet vim ratio, propter quam conditur lex; ergo quando hæc in aliquo particulari cessat, in tali particulari cessabit obligatio legis. Atque ita contra Sotum *de iust. lib.* 1. *q.* 6. *art.* 2. Medinam *p.* 2. *q.* 96. *ar.* 6. Molinam *tom.* 1. *disp.* 81. Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 15. *num.* 37. *& de matrim. lib.* 3. *disp.* 3. *num.* 7. *&* 9. Vasq 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 163. *c.* 3. *num.* 19. *& opusc. de testam. c.* 1. *dub.* 1. *num.* 4. Salas *de legib. tract.* 14. *disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 19. *& tract. de cens. dub.* 8. *num.* 16. Suar. *de legib. lib.* 3. *c.* 23. *lib.* 5. *c.* 25. *lib.* 6. *c.* 7. & quamplures alios, docent Abb. *in c. quia in insulis de Regular.* Angelus *verb. lex, num.* 4. Nauar. *tom.* 4. *comment. in rubr. de iudicijs, num.* 74. Henriq. *lib.* 10. *c.* 15. *num.* 8. *in gl. lit. R. & lib.* 11. *c.* 17. *num.* 2. *in gl. lit. O.* Comitolus *lib.* 7. *q.* 1. *num.* 10. Sà *verb. lex, num.* 1. *& verb. ludus, num.* 1. Megalius 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *q.* 2. *num.* 55. Sosa *in Bull. Clementis VIII. de largit. muner. fundam.* 3. & alios.

Aduerte tamen, quod, vt lex cesset; neces- 46
se est, vt cesset causa, seu finis totalis, & adæquatus legis: nam si partialis tantum causa, siue finis legis cessat, fieri potest; vt perseueret altera causa, seu finis legis, qui sufficiens sit ad conseruandam obligationem legis; sicuti bene notauit Abbas *in c. cùm cessante, num.* 2. *de appellat. & in c. vlt. de immunit. Eccles. num.* 8. Vnde v. g. lex tributi ciuibus in- 47
dicta, cùm hostes ciuitatem oppugnarent, non cessat, etsi hostes adesse desinant, dum periculum ab hostibus permanet (quia tenetur Princeps semper esse paratus, & habere naues, & milites expeditos) vel dum permanent aliæ iustæ causæ exigendi tributum; vel, si omnes istæ causæ cessent, noua causa superuenit, ob quam de nouo imponi tributum potuisset: tunc enim licebit continuari tributum; quia causa tributi continuatur in causa simili, dum in locum prioris causæ, alia æquè

iusta causa succedit. Qua de re Io. Medina *q.* 13. *de restit.* Petr. Nauarr. *lib.* 3. *restit. c.* 1. *num.* 258. Less. *lib.* 2. *c.* 33. *dub.* 6. Suar. *lib.* 5. *de legib. c.* 15. *num.* 6.

48 Aduerte secundò, quod, si lex plures in se partes continet, quarum vna ab altera separari potest, tunc quamuis cessante ratione totali vnius tantum partis, lex cesset in totum secundùm vnam partem, perseuerabit tamen secundùm alteram partem: sicuti, si causa tributi cessat in parte, in parte solum cessabit tributum: vt enim iustum sit tributum, sufficit, quod causa sit proportionata tributo, seu quod non sit maius tributum, quàm postulet causa tributi: qua enim parte solū excederet causam butum, iniquum dumtaxat esset tributum. Atque ita ex communi docet Nauarr. *in c. si quando, except.* 11. *num.* 18. *de rescript.* Suar. *lib.* 6. *c.* 9. *in fine.* Et probatur, quia vtile per inutile non debet vitiari, *reg.* 37. *in* 6.

Ex dictis restat sufficienter vlterius probatum antecedens illud probationis tertiæ obiectionis; quod scilicet lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia, si in aliquo casu deficiat eius præsumptio.

Nunc restat, probari eiusdem tertiæ obiectionis probationis consequentiam; quod scilicet nec obligat in conscientia iudicis sententia, quamuis secundùm ordinem iuris sit lata; si itidem eius præsumptio deficiat in aliquo casu.
49

Quod probatur primò à paritate rationis. Secundò, quia iudex per sententiam non intendit, v. g. transferre dominium rei, sed solum declarare, vtriusnam illud sit; ergo, si fundamentum est falsum, quo sententia nititur, ipsa quoque sententia corruit, nec est seruanda in conscientia. Tertiò, quia sententia est veluti lex quædam, alicui priuatim imposita; ergo si lex non obligat, quando cessat eius præsumptio (quia propter rationes *supra* adductas ex eius obseruatione sequeretur id, quod est contrarium fini legis) neque etiam obligabit sententia, quamuis secundùm ordinem iuris sit lata, si etiam falsa præsumptione, aut falsis probationibus nitatur, ita vt similiter cesset eius præsumptio; quia cum finis sententiæ sit, vt vnicuique tribuatur, quod suum est; ex eius obseruatione eueniret similiter eius fini contrarium.

50 Vnde sequitur primò, eum, qui per talem sententiam aliqua re priuatus est, vt legato, hæreditate, &c. aut pecunia mulctatus, &c. non teneri in conscientia ad solutionem, nisi non parendo sententiæ, maius malum, vel scandalum timeretur.

51 Sequitur secundò, eum, cui res talis est applicata, si sciat sententiam falso fundamento niti, non posse eam retinere, sed obligari restituere; quia res illa est reuera alterius. Ita Innoc. *in c. quia plerique*, 8. *de immun. Eccl.* Sotus *lib.* 3. *q.* 4. *art.* 5. & alij.

Non obstat, quod Respublica, & Princeps possit ex aliqua causa de bonis subditorum disponere, eaque alijs applicare (vt patet in præscriptione secundum communiorem, & probabiliorem opinionem Doctorum) & hic videatur esse causa sufficiens id faciendi, nempe, vt publica iudiciorum forma seruetur; Non obstat, inquam, quia, etiamsi hæc causa sufficiens sit, vt Respublica iudici tribuat auctoritatem iudicandi secundùm allegata & probata, etiam contra priuatam suam scientiam, & exequendi iudicatum (quoad bona fortunæ tamen, non autem quoad vitam, & membra etiam; cùm de his, quamuis subditorum, non possit Princeps ita disponere, sicut de illis, vt alibi contra nonnullos graues Doctores dicebam) tamen non est causa sufficiens, vt reus amittat rem suam; ita vt in foro conscientiæ teneatur eam alteri cedere; aut vt alter, cui applicata est, non teneatur eam restituere, si possit, & sciat, sententiam falsæ præsumptioni niti: hoc enim ad bonum publicum non est, neque necessarium, neque expediens: non enim expedit Reipublicæ, vt si per calumniam probatum sit, me v. g. esse hæredem à Titio institutum, possim hanc hæreditatem mihi arrogare, etsi certò sciam, me hæredem non esse: aut vt fiscus possit sibi vindicare bona eius, de quo ei certò constat, per falsos testes tantum conuictum esse de hæresi, incestis nuptijs, crimine læsæ Maiestatis, aut similibus: quinimò potius id est contra bonum publicum; quia quodam modo sic, saltem indirectè, datur aditus ad calumnias, & praua officia malorum.

Aduerte tamen, quod, si quis esset priuatus beneficio, vel officio per iudicis sententiam secundùm allegata, & probata, & illud tibi à legitima potestate esset collatum, probabile est, te ad restitutionem non teneri, etiamsi priuatim scires, sententiā falsis probationibus fundari, & condemnatum innocentem esse; modò tamen causa falsæ illius sententiæ non fueris. Ita Innocent. *in c. quia plerique*, 8. *de immunit. Eccles.* & Panormit. *in c.* 1. *de concessione præbendæ*, Glos. *ibidem*, & communiter Canonistæ, ac etiam Sot. *lib.* 3. *de Iustit. q.* 4. *art.* 5. Ratio (inquiunt ipsi) est; quia hoc ipso, quod reus non appellauit, acquieuit sententiæ, & ita transiuit hæc in rem iudicatam, *iuxta cap. quod ad Consult.* 15. *de sent. & re iudic. & cùm dilectus* 32. *de electione.* 52

Sed hæc ratio non conuincit: solum enim probat, præsumendum esse in foro externo, sententiam fuisse iustam; eo quod non appellarit; & ideo postea eum non esse admittendum in iudicio, si beneficium repetat; non tamen probat, beneficium posse iustè retineri, si sciatur, illum iniustè fuisse beneficio priuatum.

Aliter ergo melius probatur aduertendum ex eo, quia Ecclesia, & Respublica in tali casu 53
priuant reum absolutè beneficio, vel officio, & applicant ei, cui postea confertur; cùm id facere possint, quia hæc sunt bona communia, in quibus multò maiorem, quàm in bonis priuatorum, potestatem habent; & aliàs sic faciendi iusta causa subest, ne iurisdictiones sint incertæ (quod plus interest, quàm vt nemo sine culpa iure suo priuetur) tum quia cùm constabit innocentia rei, facilè poterit ei prouideri, si scilicet aliud beneficium, vel officium eidem conferatur: tum quia quamdiu

non constat publicè, fuisse eum innocentem, restitutio est impossibilis: nam beneficium non potest restitui, nisi per collatorem; collator autem nolet restituere, quia de Rei innocentia ei non constat; vel quia nolet videri fecisse contra iudicis sententiam; vel quia ipsemet est iudex, qui reum beneficio priuauit.

Quare is, cui tale beneficium est collatum, poterit illud retinere, & non restituere; cùm resignando non possit alteri prodesse. Neque etiam tenetur restituere fructus: nam si potest retinere titulum, & præstare officium, poterit etiam retinere fructus, cùm hi sequantur titulum, & debeantur propter officium. Neque tenetur alia ratione compensare; quia causa non fuit, cur alter fuerit priuatus; quapropter hic queri non potest ab illo sibi iniuriam inferri. Idemque dico de officijs secularibus.

54 Aduerte secundò, quod reus, quamuis non teneatur in conscientia stare, seu obtemperare sententiæ, si falsæ præsumptioni, aut falsis probationibus nitatur, præsertim; si non de beneficijs, & officijs, sed de rebus proprijs agatur, tamen non potest per vim se defendere contra iudicem aut eius ministros; ne sententiam talem in falsa præsumptione, aut falsis probationibus fundatam exequantur. Ita S. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. Sot *lib.*5. *q.*6.*art.*4. & alij communiter. Et ratio est, quia iudex talem sententiam exequendi ius habet, imò auctoritate Principis, vel Reipublicæ ad hoc compellitur; ergo reus non potest ei resistere; alioquin daretur bellum vtrimque iustum, absque ignorantia: tum quia exinde nasceretur graue scandalum. & perturbatio in Republica: nam omnes iudicarent, quod ille crimen Maiestatis committeret; & sic opprimeretur, vel saltem daretur nefarijs hominibus exemplum similiter faciendi cum magno Reipublicæ incommodo & detrimento: suppono autem hic quod iudex seruato iuris ordine processerit.

55 Aduerte tertiò, quod quidam tamen sentiunt in hoc casu non esse illicitum, vti mera defensione, si scandalum absit, & alioquin innocens morte plectendus esset. Ita Paris à Puteo, Lucas de Peña, & alij, quos citat Couarr. *lib.* 1. *var. c.* 2. *num.* 13. Et ratio esse

56 potest, quia iudex, & ministri in tali casu, cùm reus non sit dignus pœna, non habent verum ius inuadendi, sed solum præsumptum, seu in opinione; ergo potest contra eos vti defensione; sicuti qui inuaditur ab innocente furioso, potest, si aliter eius vim euitare non potest, etiam cum illius læsione, & morte, se contra illum defendere, eo quod ille ius inuadendi non habet. Idem dicendum, quando erratur in persona malefactoris. Idemque multò magis dicendum, si iudici de iniquitate causæ constaret.

57 Verùm sententia ista non est facilè in praxim deducenda, maximè propter scandalum, quod vix abesse potest. Si tamen iudex iuris ordine seruato non processit, tunc reus posset omninò se tueri, vt etiam S. Th. *vbi supra* fatetur.

Sequitur tertiò; maritum scientem coniugis adulterium (quamuis illud probare non possit) per se loquendo, vxori debitum reddere non teneri; esto iudex ei sub excommunicatione per sententiam id mandet; quia ex dictis præceptum Ecclesiæ in falsa præsumptione fundatum, in conscientia non obligat; cùm (vt *supra* dicebatur) præsumptio cedat semper veritati. Atque ita in terminis docet Palud. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 4. *ar.* 2. Sot. *d.* 36. *q. vn. art.* 3. Veracrux 3. *p. speculi, c.*4. Sanch. *lib.* 10. *d.* 12. *num.* 6. & colligitur *ex c. litteras, de restit. spoliat.* 58

Dixi *per se loquendo*; quia, ne iudicium Ecclesiæ contemnere videatur condemnatus, obedire tenetur, quatenus scandali vitandi necessitas vrget. 59

Similiter dicendum, quod, si prioris matrimonij simulator, non expectata Ecclesiæ sententia, relicta putatiua vxore, alteram validè ducat; & Ecclesia, quæ fictionem alleganti fidem facilè præstare non debet, per sententiam positis censuris ad prius matrimonium illum compellat; quamuis ille, si nulla ratione effugere potest, quominus, relicta posteriore legitima vxore, priori putatiuæ adhæreat, possit ei aliquamdiu cohabitare, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciat, potius tamen excommunicationis sententiam, secundùm externum forum, humiliter sustinere debebit, quàm vt in copulam consentiat; ex eo, quia id verum adulterium esset, & sic per se, ac intrinsecè malum, quod, Ecclesiæ Prælatus, neque iubet, neque potest iubere, *arg. c. inquisitioni, de sent. excommunicat.* & docet S. Th. *supplem. q.* 46. *ar.* 4. & ibid. Ledesma *dub.* 2. 60

Idem dicendum (quotiescumque matrimonij defectus manifestò alicui ex coniugibus apparet) quod similiter in tali casu potius excommunicationis sententiam is sustinere debeat, quàm fornicationis peccatum, petendo, seu reddendo putatiuæ vxori, committere, vt *ex cit. c. inquisitioni*, constat, & videri potest Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 39. *concl.* 2. 61

Vbi regulam aduerte, quod censura lata contra innocentem, qui secundùm allegata, & probata in iudicio nocens censetur, reipsa eum non priuat Ecclesiæ suffragijs, alijsque spiritualibus commodis, aut facultatibus, cuiusmodi est, v. g. iurisdictio in foro interno, & externo, potestas conferendi, aut accipiendi Ecclesiastica beneficia, vsus Sacramentorum actiuus, passiuusque, &c. eiusmodi tamen sententia secundum legitimas probationes lata, non omninò irrita est, nec omni effectu caret, sed putatiuo reo necessitatem imponit, vt in facie Ecclesiæ (saltem coram ijs, qui censuram latam sciunt, innocentiam autem ignorant) abstineat à Sacramentorum vsu, fidelium communione, alijsque rebus, quæ per censuram prohibentur, donec ab ea in foro externo absolutus sit, vel innocentia ipsius, & censuræ error innotuerint. 62 63

Prima pars regulæ est Caiet. 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *ad* 2. Soti *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *coroll.* 3. Couar. *c. alma, p.* 1. §. 7. *num.* 5. & probatur; quia Ecclesia neque vult, neque po-

64 test excedere limites datæ sibi potestatis; sed potestas per censuras ligandi per se tantum data est Ecclesiæ contra inobedientes, & contumaces, non etiam contra innocentes, & non contumaces; ergo nec potest, nec vult Ecclesia hos ligare, nisi quatenus id per accidens aliquando necessarium est ad seruandam publicam disciplinam, & Ecclesiæ auctoritatem: consequenter si hæc ratio cesset, quia res occultè agitur, vel coram ijs, qui hominis innocentiam norunt, non est censura ligatus; cùm neque coram Deo ligatus sit; quia *æterni iudicis tribunal illum reum non habet, quem iniustè iudex condemnat. c. 1. de sent. & re iudic. in 6.* hæc autem sententia reuera, & secundùm Rei conscientiam iniusta est, quamuis in ordine ad forum externum iusta censeatur, ergo tantum obligat in ordine ad forum publicum, seu faciem Ecclesiæ, ne scilicet legitimè condemnatus publicæ potestati resistere videatur. Vide etiam Suar. *de censur. disp.* 4. *sect.* 7. *num.* 8. Auil. *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 1. *dub.* 2. *&* 3. Coninch. *disp.*
65 13 *dub.* 13. & Tolet. *lib.* 1. *c.* 10. vbi rectè subdit, quod quamuis excommunicatio, quæ euidenter est nulla, non teneat, neque in foro interno, neque in externo, adhuc tamen excommunicatus nulliter (licet non sit extra iudicium vitandus) in iudicio tamen non admittitur vt actor, donec probet excommunicationis nullitatem, in facto tamen nullitatis
66 probando admittitur.

Secunda pars est S. Thom. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 1. S. Anton. 3. *p. tit.* 24. *c.* 73. Couarr. *vbi supra* §. 11. *num.* 14. Nauarr. *c.* 9. *num.* 4. *&* *c.* 23. *num.* 3. Tol. *cit. c.* 10. quin & S. Gregor. *hom.* 26. *in Euang.* quem refert Gratianus in *c.* 1. *& c. non solum*, 11. *q.* 3. aien-
67 tis, *quod sententia Pastoris seu iusta, seu iniusta sit, gregi timenda est.* Et probatur, quia iudex ex officio suo pertinente ad publicam vtilitatem, & disciplinam (cui commoda priuata postponi debent) obligatus est, vt in iudicio secundum publica allegata, & probata (saltem, si de vita, & membris non agatur) sententiam ferat, quamuis priuata notitia reum esse innocentem cognoscat, sed innocentiam eius publicè, ac legitimè ostendere nequeat; ergo in tali casu reus condemnatus iustæ sententiæ, ac præcepto iudicis obedire tenetur, quatenus necessarium est ad publicam disciplinam, & iudicis auctoritatem defendendam; vt rectè indicat Gratianus *super c. si Episcopus* 11. *q.* 3. vbi explicans verba S. Gregorij, ait: *Non dicit sententiam iniustè latam esse seruandam, sed timendam: timenda est ergo, id est,*
68 *non est superbia contemnenda.*

Hinc, si Clericus innocens secundum allegata, & probata à iudice excommunicatus, actum sui ordinis exerceat, non contrahit irregularitatem; sicuti docuit Suar. *vbi supra num.* 20. Auila *cit. dub.* 3. *concl.* 4. contra Couarr. §. 7. *num.* 7. *concl.* 4. Ratio, quia talis non reuera, sed tantum apparenter, &
69 in ordine ad forum externum censura ligatus est: cùm autem Canones violanti censuram irregularitatem statuunt, intelligi debent de vera & reali censura; quia pœna, & odia sunt restringenda.

Adde, quod si talis innocens secundùm allegata, & probata excommunicatus, occultè, vel coram ijs, qui eius innocentiam norunt, sacrificet, nihil delinquit; si tamen de hac re accusetur, & conuincatur, tanquam irregularis à iudice condemnari potest; quia cùm in foro externo excommunicatus reputetur irregularis etiam declarari debet, si in excommunicatione tali celebrasse demonstretur. 70

Adde secundò, si talis re ipsa innocens, sed publicè condemnatus cum scandalo, & apparenti contemptu Ecclesiasticæ potestatis celebret, & monitus non desistat, tunc de nouo verè excommunicari poterit propter contumaciam. 71

Hinc etiam, si tali innocenti excommunicato propter falsas allegationes beneficium conferatur, collatio est valida, & prouisus in conscientia est tutus, quamuis collatio in foro externo rescindi, vel irrita declarari possit, atque ita docet Suar. *cit. loc. num.* 27. *&* 29. & probatur, quia talis excommunicatio, materialiter saltem, iniusta, non reddit hominem verè, & simpliciter inhabilem, sed solum in ordine ad forum externum, & hominum existimationem, quatenus ita necesse est, ratione communis boni, ac disciplinæ. 72

Sequitur quartò, quod stante Bulla Pij V. de censibus, quæ prohibet, ne census celebrentur pecunia non numerata coram Notario, & testibus, & ob præsumptionem fraudis (quæ si absit, ita vt contractus de iure naturæ teneat, & iniustitiam non contineat, validus est in foro conscientiæ, vt supra contra nonnullos Doctores dicebatur) idem dicendum sit, etiam post sententiam latam de nullitate contractus; quia cùm & tunc etiam sententia in præsumptione culpæ, & fraudis fundetur (prout omnia iura de re indicata disponentia fundantur, *c. cùm inter. de re iudic.*) in foro conscientiæ locum non habet, cùm hic solum veritas semper attendatur. Atque ita in terminis docet Megalius 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *q.* 2. *num.* 57. & alij. 73

Sequitur quintò, quod cum leges ciuiles testamentum minus solemne cassantes, in præsumptione commissæ fraudis fundentur (quare si constet, eam fuisse mentem testatoris, & nullam interuenisse fraudem, tunc hæreditas, & legatum, cui relinquuntur, debentur; vt supra cum Abbate, Medina, & alijs contra Couarr. & alios probabiliter dicebatur) dicendum sit, hæredem in minus solemni testamento institutum, item legatarios, & fideicommissarios in eo nominatos, posse occultam compensationem facere, etiam postquam hæreditas in foro externo per sententiam iudicis hæredi ab intestato adiudicata fuerit. Atque ita in terminis docet Molina *to.* 1. *tract.* 2. *disp.* 81. §. *quod si hæc fuit.* Ratio, quia tam leges, quam sententiæ in præsumptione fundatæ vim suam (vt dicebatur) amittunt, si constet de contraria veritate. 74

Ex his satis probatum videtur esse consequens, & antecedens tertiæ obiectionis, atque adeo totum, quod in ipsamet tertia obiectione dicebatur, scilicet, quod etiam post sententiam, quamuis secundum ordinem iuris

l[illegible]m homo in conſcientia non teneatur ſoluere, vel ſi ſoluerit, poſſit occultè compenſare ab eo, cui ſoluit.

Reſpondetur tamen, quoniam *ex dictis* pro-
75 babile eſt, quod leges ciuiles de contractibus ita ſtatuentes fundentur in præſumptione commiſſe fraudis, concedo totum, quod in argumento dicitur. At (quoniam probabile etiam eſt, id quod ita ſtatuunt, illas ſtatuere ob conuenientiam & æquitatem naturalem) probabile etiam eſt, quod prædictæ leges obligent ad reparationem damni ante ſententiam, nedum poſt ſententiam iudicis; ſicuti leges præſcriptionis, quoniam ſecundùm communiorem, & probabiliorem opinionem non fundantur in præſumptione culpæ, & negligentiæ Domini rem ſuam non petentis, ſed quod ſtatuunt, id ſtatuunt propter rationem, ne ſemper incerta ſint dominia rerum, & lites multiplicentur, obligant ante ſententiam
iudicis quapropter ob eamdem rationem, ſi iu- 76
dex auctoritatem legum, & naturalem æquitatem ſecutus, aliquid, quod aliàs ex rigore iuſtitiæ non deberetur, alicui contra alium adiudicat: in foro conſcientiæ fit debitum. Similiter & in foro conſcientiæ fit debitum, ſi iudex in pœnam delicti per ſententiam im-
ponit alicui mulctam in fauorem eius, qui 77
iniuriam paſſus eſt; oportet tamen ſententiam niſi in veritate, non in falſa præſumptione, vt *ſupra* dicebatur.

FINIS.





INDEX

RERVM ET VERBORVM ET SENTENTIARVM omnium quæ in hoc Volumine continentur.

C

Caietanus.

Campsor.

Canones.

Canonicus.

Carceratus.

Casus reseruatus.

Causa.

Catholicus.

Censura.

Cogitatio.

Cognitio.

Collatio.

Commodatarius.

Compenſatio.

Concubinarius.

Condemnatus.

Confessio, Confiteri, & Confessarius.

Dolor.

Dominium & Dominus.

Donatio & Donatarius.

Dubium & Dubitans.

E.

Ecclesia.

Effectus.

Electio.

Emptor.

Ensalmus.

G

Glossa.

Grauitas peccati.

H

Hæres & Hæreditas.

Hæreticus,

Homicidium.

Iudex & Iudicium.

Iuramentum.

Ius & Iustitia.

L

Legatum & Legatarius.

Libri.

Libertas.

Lis.

Medicus.

Notitia.

Nummus.

Nuncius.

O

Obedientia.

Obligatio.

Potestas.

Precarium.

Præceptum.

Prælatus.

Præscriptio.

R

Rathibitio.

Ratio.

Regula.

Religiosus.

Remorsus.

Reseruatio.

Restitutio.

Retentor.

Index.

Solemnitas.

Sponsus.

Sponsalia.

Subditus.

Superior.

Superstitio.

Suspensio.

Suspicio.

Synderesis.

T

Testator & Testamentum.

Testis, & Testimonium.

Textus.

Thesaurarius.

Titulus.

Transactio.

Tutor.

V

Valetudinarius.

Valor.

Venditor.

Vitium.

Voluntas.

Votum.

Vsurarius.

Vulnerans, seu Lædens.

Vxor.

FINIS.